ACTA ET DOCUMENTA CONCILIO OECUMENICO VATICANO II APPARANDO

SERIES I
(ANTEPRAEPARATORIA)

VOLUMEN II

CONSILIA ET VOTA
EPISCOPORUM AC PRAELATORUM

PARS VII

AMERICA MERIDIONALIS - OCEANIA

(SUB SECRETO)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXI

AMERICA MERIDIONALIS

AEQUATOR

1

Exc.mi P. D. BERNARDINI ECHEVERRIA RUIZ

Episcopi Ambatensis (Ambato)

Ambati, 10 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Praesul,

Hisce diebus Epistolam circularem Eminentiae Vestrae Reverendissimae accepi, qua constitutionem Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, totius orbis episcopis communicare E. V. dignatur.

Benignitate qua Eminentia Vestra omnes Ordinarios ad pandendam propriam mentem invitat confidens, sequentia reverenter exponere audeo.

Valde opportunum foret si Concilium formam consideraret instituendi *diaconatum* pro laicis, prasertim pro Religiosis qui, promotione ad diaconatum, non solum potissimum auxilium sacerdotibus praestarent, verum etiam stimulum et praemium in vita religiosa invenirent.

Communitates Religiosorum quae ad educandam iuventutem operam navant, magnum auxilium Episcopo praestarent si aliquos religiosos exclusive ad opus catechisticum, praesertim puerorum qui nullam christianam instructionem accipiunt, destinarent.

Materialismus totam invadit societatem et de die in diem homines Dei creaturas esse obliviscuntur, hac de causa valde opportunum esset si in Ecclesia universali, festum gratiarum actionis Summo Deo Creatori introduceretur. In tali festo, ut iam in sic dicto *Dia universal de accion de gracias* peragitur, omnes homines quamvis non omnino conformes in eadem doctrina, saltem in hoc deberent convenire quod Dei creaturae sunt et quod Illi soli adorationem et gratiarum actionem debent.

Recitatio Breviarii adhuc multas habet molestias quae mentem ab oratione distrahunt; multa sunt quae magis choralibus conveniunt quam privatim orantibus; hac de causa recitationem Breviarii ad simpliciorem formam reducendam credimus, ea certitudine quod talis simplificatio devotioni et orationi iuvabit.

Habitum clericorum, praesertim religiosorum et religiosarum ad maiorem simplicitatem reducendum esse credimus; ipsimet Episcopi sive saeculares sive regulares uniformem habitum etiam in colore habere

deberent; non credimus amplius existere rationes tuendi antiqua privilegia.

Interim venerationis sensus Eminentiae Vestrae Reverendissimae profiteor ad Sacrae Vestrae Purpurae osculum prostratus.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
add.mus
✠ Fr. BERNARDINUS ECHEVERRIA RUIZ, O. F. M.
Episcopus Ambatensis

2

EXC.MI P. D. EMMANUELIS A IESU SERRANO ABAD
Archiepiscopi Conchensis in Aequatore (Cuenca en Ecuador)

Die 18 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteras ab Eminentia Vestra, nomine Sanctissimi Patris Nostri Ioannis XXIII feliciter regnantis prolatas et ad Episcopos totius Orbis catholici missas laetus accepi; in illis enim expostulabantur annotationes in futuro Concilio Oecumenico pertractandae, quam quidem notitiam gratissimam Nobis fuisse nemo est qui non videat.

Ad argumento tanti momenti sinceram aptamque responsionem reddendam, iuxta normas ab Eminentia Vestra in litteris signatas, sacerdotes utriusque cleri, prudentia et praestantia praeditos opportune convocavi eorumque iudicio audito, quae Nobis consideratione digna videbantur, Eminentiae Vestrae communicanda esse iudicavi.

Ea quae speciali attentione indigent et urgentiora remedia expectant sunt quae ad fidem, moralem et disciplinam ecclesiasticam pertinent et quamvis universam Ecclesiam spectent sunt tamen maioris momenti in Nostris Americae regionibus et speciatim in Nostro agro Dominico, Nostrae pastorali solicitudini concredito: sectarum protestanticarum irruptio et progressus, saecularizatio omnium vitae actuum i. e. laicismus, marxismus et spiritismus.

Ante omnia, prae oculis habendum est, ut fratres a vera Ecclesia disgregati, in Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam i. e. in domum Patris vocentur et unus fiat Pastor et unum ovile.

Pari modo curandum est ut unusquisque Catholicus ita intelligere doctrinam et ita sanctam Ecclesiae unitatem deamare studeat ut prae-

sto sit eam et defendere et propagare et pactiones omnes cum sectis et doctrinis catholicismi extraneis penitus reicere.

Illa, proh dolor! frequens populorum ignorantia doctrinae catholicae et voluntatis infirmitas efficiunt ut facile hodiernae laicorum generationes doctrinis protestanticis et philosophicis acatholicorum sese conforment necnon moribus paganis ab iis instauratis ac dilatatis.

Servus Christi agnoscere debet se Christianum nominari quia fidelis est Christo in Ecclesia ab Ipso fundata et divinitus propagata.

Nostra Sancta Ecclesia a pluribus inimicis, hodiernis temporibus oppugnata conspicitur quorum omnium periculosissimus videntur et sunt communistae qui veram fidem e cordibus hominum eradicare conantur immo et odium in Deum generare intendunt.

Quotidianis blasfemiis verbis et operibus prolatis: libris, opuscolis multis, conferentiis, specialibus eruditionibus corda iuvenum et opificum deformare, a recta via deflectere conantur, timorem Dei in cordibus eorum extinguere quod etiam fit in Institutis primariis et superioribus.

Pravae, antiquae et speciosae communistarum praemissae: mala generalia mundi, perversitas hominum, iniustitiae divitum, pravitas dominantium atque falsae et illogicae conclusiones: « Aut Deus non existit, aut, si existit, est Deus crudelis, quia Ipse auctor est omnium malorum, sponsor omnium pravitatum, ideoque inimicus hominum. In utroque casu necesse est detestari et execrari Eum et religionem condere novam ad Eum detestandum et execrandum », penitus reiciendae et impugnandae sunt.

In votis est ut Sacrum Concilium in suum iudicium vocet hoc delictum lesae divinae Maiestatis, de eo animadvertat homines ut crimen detestentur, et cuidam theologorum delegationi perpetuae tradat mandatum ut argumenta antireligiosa communistarum frangat et diluat, dum apostolatum exerceat vindicandi gloriam Dei et timorem Ipsius Dei roborandi in cordibus hominum.

Periculosae in nationibus Americae Latinae habendae sunt protestantismi doctrina et eius diffusio et quamvis doctrina protestantica omni auctoritate ad credendum sit destituta tamen in dies eorum sectatores accrescunt propter divitias cum quibus Protestantes alliciuntur pauperes et egentes: nunc scholas vel collegia vel nosocomia erigendo gratuite, nunc auxilia et subsidia pauperibus elargiendo, nunc denique ipsis Guberniis technicos mittendo qui suam doctrinam protestanticam sensim sine sensu omni quo possunt modo diffundere incumbunt.

Utinam, vox Concilii summa auctoritate praedita inflammet corda et mentes catholicorum Americae Septemtrionalis eosque ad salvandos po-

pulos nostros ab insidiis protestantismi excitet tunc spiritu missionali, tunc aliquo auxilio ad defensionem doctrinae catholicae apto.

Deest in populis nostris vera, integra et alte in cordibus servata fides. Tres sunt annumerandae causae quibus ignorantia religiosa invalescit inter nos: laicismus officialis in educatione cum quo vetantur pueri et iuvenes doctrinam religiosam ediscere: numerosiora instituta Gubernii quibus aliae scholae ob penuriam pecuniae opponere Ecclesia minime potest: deficientia ipsius docentiae religiosae fere in plurimis institutis catholicis et nimia sacerdotum penuria qua attentio spiritualis animarum minima evenit.

Influxus nocivus Americae Septentrionalis in dies accrescitur et ostenditur in pravis moribus ediscendis. Criterium laxitudinis quo mores iudicantur ita evaluit ut ne conspiciatur quidem quid sit rubor nec intelligatur verecunde agere posse in hodierna societate.

Materialismus crassus qui tantum vitae commodum in omnibus et super omnia quaerit oculos mentis obnubilat ita ut inter malum et bonum discrimen non agnoscatur; unde usus et mores ab Ecclesia damnati et principiis moralibus catholicis contrarii, absque scrupulis conscientiae recipiantur.

Mirandum quidem ad dolendum ut sacerdotes etiam victimae reperiantur huius mundani spiritus et a severitate moralis catholicae deflectere incipiant. Iterum iterumque precamur ut Concilium severitatem doctrinae et morum in pristinum splendorem restituere dignetur: sic adimplebitur Christi doctrina: « non veni solvere leges aut prophetas sed adimplere ».

Mundus evenit campus apertus absque ulla defensione adversus inmoralitatem: inimicus homo quacumque hora diei et noctis, seminare potest malum: spectaculis, libris, libellis, musicis, choreis. Quid Nobis faciendum est? ... Concilium doceat nos quid agere debeamus.

Inter opera urgentiora, quibus nunc vacare debet Ecclesia ut morbos spirituales elidat et pellat, Nobis videtur ante omnia et super omnia oportere educationi clericorum et religiosorum prospicere. Sunt seminaria et novitiatus, qui si ex fructibus eorum iudicantur, minime fiducia Ecclesiae promerentur, iuvenes enim in ipsis efformati spiritu sacerdotali et religioso plene destituti et mundanae vitae et commodis dediti videntur. Forsitan necesse sit ut ipsa Sancta Sedes per Sacra Dicasteria Seminariorum et Religiosorum visitatores proprios mittat ad corrigendos errores et mala his in institutis pellendos, quia visitationes quibus usque nunc Ecclesia ad hunc finem utitur, generaliter nihil boni faciunt.

Si de disciplina clericorum agimus, una cum fidelibus rogamus ac

vehementer exoptamus Sanctissimum Patrem ne postulationes audiat, licet numerosiores, de tollendis talaribus vestibus et caelibatu ecclesiastico. His praesertim temporibus sacerdotes a vinculo matrimonii et ab omnibus rebus familiaribus liberi sint decet et est necessarium ut totis viribus ad animarum salutem sese conferant.

Servetur etiam in suo vigore can. 596 et si usus vestis talaris non sit possibilis omnes signo aliquo externo induantur quo clerici a secularibus plane discriminentur; vestes talares adiuvant ad sacerdotaliter vivendum, ut mundus sciat nos segregatos esse a mundo et ut Ecclesia adimplere possit munus suum et sacerdotes et religiosos invigilandi.

Bonum Ecclesiae postulat ut clerus regularis Ordinariis localibus collaborationem praestet, exiguus enim numerus sacerdotum saecularium, opera catholica summi momenti absque directione et assistentia ecclesiastica id instanter postulant.

Sacrum Concilium exemptionem religiosorum cum necessitatibus spiritualibus populorum rite componat sub una atque ipsa auctoritate episcoporum.

Eminentissime Domine! Antequam hisce annotationibus e vita reali desumptis finem imponamus, gratias quam maxima, Eminentiae Vestrae tradendas esse duximus quia opportunitas Nobis data fuit aperiendi cor Nostrum et humilitate simul ac sinceritate plena, ea exponendi quae in Sacro Concilio utilia esse iudicavimus.

Faxit Deus ut praeparatio et executio Concilii maiorem Dei gloriam, Ecclesiae Catholicae splendorem et animarum salutem adducant.

* * *

Annotationes mihi a religiosis consultatis traditae, de institutis religiosis et docentibus.

1. Servato specifico uniuscuiusque Instituti Religiosi, statuatur vel insinuetur ut unus e finibus secundariis sit instructio religiosa et apostolatus socialis.

2. Ad erigendam domum religiosam non requiratur nisi venia Praepositi Generalis uniuscuiusque Ordinis vel Congregationis in scriptis data, habito tamen prae oculis can. 496 *C.I.C.*

3. Nominatio Superiorum Localium vel Provincialium fiat a Superiore Generali, praevia informatione data a quattuor Consultoribus qui candidatum agnoscant.

4. Tertio quoque anno catalogus eorum qui munus Superioris obire poterunt Superiori Generali mittatur.

5. In unaquaque Provincia vel Ditione Oeconomus Generalis nominetur qui semel in anno rationes inspiciat et de suo labore Ordinarium certiorem faciat.

6. Tam Religiosorum quam Religiosarum communitates copiam confessariorum habeant, duo vel tres saltem confessarios ordinarios ad quos libere accedere possint, ad res suae conscientiae pertractandas.

7. In omnibus Institutis Religiosis, per unam saltem horam orationi mentali et per quadrantem examini conscientiae quotidie vacetur.

8. Studium, diffusio et praxis functionum liturgicarum quam maxime foveatur.

9. Firmis praescriptis cann. 539-541, aliisque in propriis uniuscuiusque religionis constitutionibus, invalide ad Novitiatum admittantur qui psychastenicam constitutionem habeant.

10. Religiosi ac Religiosae ad activitates cum proximis, ex. gratia, ad Magisterium non mittantur nisi iam saltem tres anni, post Novitiatum expletum pertransiere.

11. Religiosi ac Religiosae ne laboribus exterioribus ita onerentur ut vita spiritualis detrimentum patiatur.

12. Servetur in suo rigore can. 596; ubi vero usus habitus talaris non sit possibilis, omnes vestitu vel signo exteriori induantur oportet quo Clerici ac Religiosi a saecularibus plane discriminentur, nisi gravis causa excuset, iudicio Superioris Maioris vel urgente necessitate, etiam localis.

13. Ut vitentur difficultates cum Auctoritate Civili praesertim cum officiis laboris, promotae ab iis qui vitam religiosam deseruerint: candidati ad Novitiatum documentum subsignent in quo constet ingressum in Religione contractum laboris non significare.

14. Ut collaboratio Religiosorum cum Parochis ac Praelatis dioecesanis intimius progrediatur, maiores facilitates concedantur Religiosis ad Sacrum ministerium obeundum.

15. Decernatur ut Religiosi cuiuscumque Nationis vel Religionis ad illas regiones mitti possint ubi maior necessitas et spiritualis fructus speretur.

16. In institutis studiorum superiorum serio et constanter Superiores puritatem doctrinae edocendae invigilent; si quis igitur Professor opiniones non conformes doctrinae catholicae exponat et sustineat a munere praeceptoris amoveatur.

17. Sacerdotes qui cum opificibus spiritualiter adlaborent nec dignitatem sacerdotalem, nec ministeria spiritualia, nec multo minus propriam vitam spiritualem amittant.

18. Curent Superiores ut maior subditorum numerus, Ordinum et

Congregationum docentium in aliqua disciplina emineat et titulos academicos consequatur.

19. Curent Superiores ut subditi in doctrina sociali recte informentur et ceteris ministeriis opera socialia praeferant.

20. Efformatio subditorum sit solida, personalis, convictione plena et minime in actibus exterioribus fundetur.

21. Superiores non indulgeant neve permittant subditis ut spectaculis vel locis mere mundanis adeant ubi moralitas desideretur ut sunt: theatra, balnearia, cauponae, ludorum aulae, etc.

22. Scholasticis lectionem librorum prohibitorum non sinant Superiores, nisi gravi de causa et attenta speciali directione.

23. Liceat Sacerdotibus litare quotidie mane vel vespere.

24. In unaquaque Natione Foederatio Religiosorum et Religiosarum instituatur quae iuribus civilibus gaudeat ad Iura Institutorum Religiosorum defendenda.

25. Utinam, in locis missionum, ubi celebratio quotidiana Missae difficilis et absentia sacerdotis frequens sit, permittatur Religiosis sacram Communionem recipere ab eo qui Superioris munere fungitur.

26. In unaquaque Dioecesi vel saltem Archidioecesi domus Sacerdotibus senescentibus destinetur ubi vitam, moraliter et physice tranquillam ipsi transigere valeant.

* * *

1. Professores prae oculis habeant laborem docendi esse summi momenti ad conservationem et diffusionem doctrinae catholicae quod ad consequendum aliqua media assignabimus.

2. Professores Catholici ita curent docere disciplinas in omnibus institutis Primariis, Secundariis, Superioribus vel cuiuscumque generis sint ut Collegiis officialibus antecedant; praesertim adlaborent ut discipuli mente et corde alte retineant spiritum responsabilitatis, moralitatis et rectum usum libertatis.

3. Scholae religionis et apologeticae maxima aestimatione habeantur; ideoque seligantur imprimis apti et praeclari magistri, ne nisi approbatione Ordinarii loci admittantur.

4. Principia catholica et quattuor praesertim pericula a Summo Pontifice Pio XII, felicis recordationis, memorata: i. e. Protestantismus, laicismus, marxismus et spiritismus clare exponantur.

Refutentur solidis argumentis doctrinae acatholicae quae in dies grassantur et in Universitatibus laicis mordicus sustinentur ita ut alum-

ni nostrorum Collegiorum et clare agnoscant difficultates et illis respondere et solvere possint.

5. Textus religionis vel theses in curriculo exponendae ab Ordinario loci approbetur.

6. Seligantur etiam Professores Philosophiae, Biologiae, Historiae et aliarum disciplinarum quae cum doctrina catholica assimilentur.

7. Instituantur normales ad efformandos Professores catholicos et facultates vel Academiae ubi titulus Professoris Religionis vel Apologeticae concedatur.

8. Curetur ut omnes vel saltem maior pars Professorum Institutorum Catholicorum titulo academico ornentur ita ut periculum vitetur exigendi a Gubernio titulum ad docendum necessarium.

9. Curandum est ut maius tempus possibile impendatur in edocenda religione, saltem per duas horas in hebdomada, curetur etiam ut materia officialis aestimetur.

10. Debellentur errores et mala moralia sed maxima cum caritate tractentur qui erroribus sint obnubilati et ad rectam viam eos adducere curetur.

11. Alumni maiores praesertim sexti anni labores sociales, conferentias religiosas cum opificibus suscipiant.

12. Frequenter exercitia publica habeantur declamationum, disputationum rerum religiosarum vel socialium.

13. Congregationes marianae vel Legiones Mariae et Apostolatus Orationis, Actio Catholica cum iuvenibus; Cruciata Eucharistica cum parvulis instituantur et foveantur, sicuti exercitia spiritualia vel « Cursillos de Cristiandad ».

14. In tanta sacerdotum penuria Diaconi ordinentur, inter saeculares iam sacramento matrimonii ligatos, qui aliquas functiones liturgicas exercere, Professores religionis nominari possint.

15. Seligantur Professores vel auxiliares saeculares qui titulum praecipue in Normalibus Catholicis vel Universitatibus acquisierint et semper qui rectas ideas habeant.

16. In admissione alumnorum discriminatio personarum: divitum vel pauperum, nobilium vel plebeiorum semper vitetur ut doctrina principiis catholicis contraria.

17. Vitetur in vestitu (uniformes) et publicis spectaculis (desfiles) tam alumnorum quam alumnarum vanitas et quidquid mundanitatem sapiat.

18. Circuli studiorum rerum socialium, missionum et vocationum instituantur et foveantur.

19. Specialis cura habeatur vocationum ad vitam sacerdotalem fo-

vendam; copia confessariorum habeatur et quam maxime aptus Cappellanus vel Director spiritualis alumnorum seligatur.

20. Initio curriculi scholaris habeatur consessus Capellanorum vel Directorum spiritualium ad diversas spirituales necessitates pertractandas.

21. In unoquoque Instituto Catholico instituantur: Associatio Patrum Familiae et Antiquorum Alumnorum tam ad iura propria catholica ante Gubernium defendenda quam ad eorum efformationem catholicam servandam et augendam.

22. In unaquaque Natione instituantur tam Foederatio Associationum Patrum Familiae quam Foederatio Antiquorum Alumnorum et Institutorum Catholicorum qui iuribus gaudeant (personería juridica) ad defendenda iura catholica ante Gubernium.

✠ EMMANUEL A IESU SERRANO ABAD
Archiepiscopus Conchensis in Aequatore

3

EXC.MI P. D. CAESARIS A. MOSQUERA CORRAL

Archiepiscopi Guayaquilensis (Guayaquil)

Una cum eo responsum dedit:

EXC.MUS P. D. ALOYSIUS A. CARVAJAL

Episcopus tit. Coptitanus, Auxiliaris Guayaquilensis

Guayaquil, setiembre 15 de 1959

Eminencia Reverendísima,

En respuesta a la veneranda comunicación de Vuestra Eminencia Reverendísima, signada con el N. 1 C/59-570, de 18 de junio del presente año, cúmpleme acompañar las humildes opiniones y sugerencias que, de acuerdo con el Exc.mo Señor Obispo Auxiliar, hemos formulado para someterlas respetuosamente a la benévola consideración de la Pontifica Comisión Antepreparatoria Pro Concilio Ecuménico.

Beso la sagrada púrpura de Vuestra Eminencia Reverendísima.

✠ CÉSAR A. MOSQUERA CORRAL
Arzobispo de Guayaquil

Eminentissime Domine,

In obedientia Litteris sub numero 570 ab Eminentia Tua Reverendissima, dignissimo Praeside Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico subscriptis, pergratum est mihi humiles exprimere opiniones ad mentem Summi Pontificis Ioannis XXIII, feliciter regnantis.

I

1. De divini verbi praedicatione. Parochi aliique sacerdotes verbum Dei praedicantes, dum vitia hodiernae societatis et mores perditos libera voce insectantur, videant ne verba de publica administratione loci, de factionibus politicis, de rebus mere oeconomicis, civilibus ac socialibus, sacris veritatibus miscere consuescant.

2. Nostris diebus, Sovietismus (eodem modo ac Protestantismus), cum omnibus viribus, scholas, collegia, universitates pervadere conatur.

Apud unamquamque igitur ecclesiam paroecialem urget stabilire scholas saltem primarias, ubi pueri et puellae, a primaeva infantia edoceantur in nostra Sancta Religione Catholica.

Ad erudiendum populum in praecipuis quaestionibus, quae ad mores et doctrinam pertinent, parochi omnes instituant non tantum scholas catholicas, quae vulgo paroeciales vocantur; sed etiam bibliothecas populares, collatis libris, qui vel bonos mores instruant, vel Evangelicam Historiam narrent, aut ecclesiasticam, vel quolibet modo id praestent, quod vere utile sit, vel saltem innoxium evadat.

Valde laudandi parochi qui suum populum saepe reformare curant Sacris Missionibus. Peropportunum erit spiritualium exercitiorum consuetudinem pro peculiaribus fidelium coetibus in paroeciis quandoque induci, saltem semel in anno.

Laudandi etiam laici omnes, qui per aliquos dies in domum aliquam religiosam conveniunt, spiritualia exercitia peracturi.

3. Si S. Rituum Congregatio opportunum iudicaverit, Episcopis facultas tribuenda erit cantum Tertiae ante Missam Pontificalem supprimendi. Alioquin, Cathedrales sine fidelibus stabunt magnis in festis liturgicis, propter nimis longam caeremoniarum durationem.

4. Novae leges de ieiunio eucharistico; novissimae rubricae Missalis et Breviarii; simplificatio Rituum Hebdomadis Maioris eloquenter exhibent Sanctae Sedis decisionem adaptandi Sacram Liturgiam ad saeculum in quo vivimus, ad maius malum vitandum.

5. Alia capita doctrinae aliaque argumenta circa principia dogmatica, verbi divini praedicationem, bonos mores, catholicam instructio-

nem, septem Sacramenta, cultum liturgicum, disciplinam populi christiani, defensionem et propagationem Fidei, apostolatum laicorum, optima inveniuntur in 240 Decretis et Conclusionibus Sanctae Sedi humiliter subiectis a *primo Aequatoriensi plenario Concilio* in urbe Quiti celebrato mense decembris anni 1957.

II

1. De Baptismo. Primum Sanctae Romanae Ecclesiae Sacramentum a parentibus petitur quando infantes male se habent. Parochi, igitur, frequenter fideles doceant infantem baptizandum intra hebdomadam nativitatis. Potissimum instruant obstetrices, medicos et chirurgos; ita ut, si mortis periculum adesse videatur, infantibus conferre sciant Baptismum privatum, vulgo dictum « aqua succursus » (agua del socorro).

2. De Confirmatione. Parochi modis omnibus inducant ut tam salubri Sacramento fideles se muniant.

3. De Sanctissimae Eucharistiae Sacramento. Pueri et iuvenes, si de Prima eorum Communione interrogentur, negative respondent, quia nec ipsi nec parentes necessitatem sentiunt in gratia Dei vivendi.

Moneantur, igitur, parentes, vel qui loco sunt parentum, ne falsa pietatis seu religionis specie impediant quominus pueri et puellae ad Sacram Communionem, cum primum liceat, admittantur.

Ad tantum vero opus digne sancteque preparentur, praemissis etiam, si fieri possit, saltem tribus diebus in pietatis exercitiis tenellae aetati congruis.

4. De Poenitentiae Sacramento. Parochi aliique divini verbi praecones vehementer hortentur fideles tum publicis sermonibus, tum privatis etiam monitionibus ad conscientiam saepe abluendam, praecipue vero ad praeceptum de annua confessione implendum.

Confessarii etiam moneantur a Sancta Sede ut Studium Theologiae Moralis nunquam intermittant; lectionem quoque piorum librorum, quibus vel melius semper addiscant fideles in viam perfectionis adducere, sollicite adiungant.

5. De Extrema Unctione. Infirmos in periculo mortis constitutos parochi et confessarii humanissimis verbis inducant ut Extremam quoque Unctionem statim recipiant, illa Catechismi Romani severissima verba sedulo meditantes: « Gravissime peccant qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiant ».

6. De Ordine. Curent Parochi ut in suis paroeciis instituatur « Opus Vocationum Sacerdotalium », eo praecipue fine iuvandi — quantum

fieri possit — iuvenes qui congruentibus mediis oeconomicis carent.

Parentes qui filios habent ad vitam sacerdotalem a Domino vocatos, videant quantum decoris id sibi ipsis afferat, nec contra divinam vocationem quidquam facere audeant, immo potius assiduis precibus ac bonis exemplis fovere studeant.

7. De Matrimonio. Parochi et confessarii diligenter castissimeque fideles instruant de sanctitate et de fine Matrimonii, deque coniunctis officiis. Errores contra Sacramentum Matrimonii ab impiorum hominum pervicacia magis in dies erumpentes enixe profligare contendant; ac quae sapientissime a Pio XI in Enc. *Casti Connubii* docentur, fidelibus commendent.

Iuvenes moderni non quaerunt nisi libidinem, a Sacramento Matrimonii aborrentes. Moneant igitur Parochi non solum parentes, verum etiam catechistas, directores societatum iuvenilium de honestis moribus, rectores scholarum collegiorumque, abusum illum quo iuvenes utriusque sexus longo tempore ante matrimonium amoribus indulgent ac etiam sponsalia ineunt, gravissimum constituere honestatis ac pudicitiae periculum.

8. Conclusio. Ex his paucis observationibus una eademque eruitur conclusio: Necessitas reformandi apostolatum ad rechristianizationem hodiernae societatis assequendam.

Gratum mihi facies, Eminentissime ac Reverendissime Domine, si, ad maiorem Dei gloriam animarumque salutem, humiles suprascriptas parvas opiniones Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico commendare Tibi videbitur.

✠ CAESAR A. MOSQUERA CORRAL
Archiepiscopus Guayaquilensis

✠ ALOYSIUS A. CARVAJAL
Episcopus tit. Coptitanus
Auxiliaris Guayaquilensis

4

EXC.MI P. D. SILVII A. HARO ALVEAR
Episcopi Ibarrensis (Ibarra)

Die 3 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Pergratum mihi est te certiorem facere quod accepi litteras a Te missas per quas meam opinionem expectabas circa proximum Concilium Sacrum Oecumenicum sub Ss.mo Nostro Papa Ioanne XXIII celebraturum.

Talis vero invitatio non solum me indignum obstringit, verum etiam humiliter et alacriter me movet ad votum exponendum ut ubique terrarum adprecetur ut Coelum concedat ea omnia necessaria ad praeparandum vel celebrandum Concilium.

Haec sunt postulata quae mihi liceat exponere ratione mei muneris Episcopi Ibarrensis.

1. Nova requiritur Iuris Canonici editio, in qua omnes interpretationes Commissionis *C.I.C.*, Rotae Romanae, Sacrae Congr. Concilii, etc. incorporentur.

2. Nova editio Iuris Liturgici expostulatur, in qua Decretorum Collectio compilata enucleate elucescat.

3. Constitutio quaedam universalis videtur esse necessaria de Actione Catholica moderanda, tum quoad principia tum quod ordinationes atque statuta pro uniuscuiusque ditione vel natione.

4. Ex Sacro Vaticano Concilio, veram doctrinam de hodiernis quaestionibus tum scientificis tum politicis prout relationem habent cum principiis dogmaticis et moralibus, omnes expectamus.

5. Declaratio de doctrina catholica super Hierarchiam interest imprimis omnium.

6. Nova legislatio ad hoc tempus congruens, relate ad privilegia exemptorum, qua et apostolatus moderetur sub Episcopo, atque de iuribus parochorum norma fixa edita sit pro omnibus, v. gr. quoad quartam funerariam.

7. Salvo meliore iudicio, perutile mihi videtur ut Concilium Plenarium Aequatorianum adprobatum non sit antequam celebratum fuerit Oecumenicum. Interea tamen instituatur Pontificia quaedam Commissio de emendando Concilio ad mentem Sanctae Sedis.

Gratias pergrato animo agens, ut in orationibus tuis me habeas, humillime rogo.

✠ SILVIUS A. HARO ALVEAR
Episcopus Ibarrensis

5

EXC.MI P. D. NICANORIS C. GAVILANES CHAMORRO

Episcopi Portus Veteris (Portoviejo)

Portus veteris, 30 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratum est mihi humiliter responsionem dare communicationi Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico Prot. N. 1061/59.

Cum Ecclesia orta sit ex unico fonte Cordis Salvatoris Nostri et inde Una, Sancta, Apostolica, Romana: haec unitas fulgere debet non solum in doctrina dogmatica et morali sed etiam in parte disciplinari scilicet:

1. Unitas in recitatione S. Breviarii Romani.

2. Unitas liturgica in celebratione Sanctae Missae, suppressis diversis ritibus.

3. Cum hodie sit praxis superstitiosa in veneratione imaginum sanctorum cum detrimento cultus Ss.mae Eucharistiae precamur Patres Concilii ut rigidas normas disciplinares dent circa cultum Imaginum Sanctorum.

4. Ut administratio Sacramenti Baptismi non sit onerosa mihi videtur conveniens aliquas orationes supprimere et in lingua vernacula administrare.

Eminentiae Tuae Rev.mae

✠ NICANOR C. GAVILANES CHAMORRO
Episcopus Portus Veteris

6

EM.MI P. D. CAROLI M. CARD. DE LA TORRE

Archiepiscopi Quitensis (Quito)

Quiti, die 31 augusti 1959

Em.me ac Rev.me Domine mi Obs.me,

Oboediens desiderio Sanctissimi Domini Nostri Ioannis XXIII, feliciter regnantis, prout in veneratis Litteris Eminentiae Tuae Rev.mae diei 18 iunii 1959 (1 C/59-30) exprimitur, audito consilio aliquorum

virorum ecclesiasticorum utriusque cleri, prout in ipsis innuitur, sapientiae Eminentiae Tuae Rev.mae, sequentia humiliter submitto:

1. Optandum ut in Concilio perficiatur Constitutio de Ecclesia Christi iam in Concilio Vaticano incohata, determinando, sub luce divinae Revelationis et sanctae Traditionis, potestatem propriam Episcoporum, qui, utpote Successores Apostolorum, sunt proprii Pastores Ecclesiarum particularium, et efformant Hierarchiam collegialiter unitam cum Supremo Pastore.

2. Ut, simili modo quo Pius XI Communismum sollemniter damnavit, Sacrum Concilium gravibus severisque verbis iterum Laicismum, praesertim in educatione iuvenum, damnet: Laicismus enim, licet aliquando non se gerat, quemadmodum saepissime accidit, ut apertus hostis Ecclesiae, attamen semper portas aperit omni errori, et praesertim Protestantismo et Communismo nunc in nostris regionibus grassantibus.

Initio huius saeculi Protestantismus unitatem catholicam in nostra Republica scindere intentavit; sed populus, tunc quasi totus catholice educatus, illi, in nostris terris, pedem figere non permisit. Nunc, post quinquaginta annos educationis laicae, facillime, non sine magno animarum detrimento, erigit scholas, collegia, nosocomia, etc.

3. Ut perspicuis verbis doceatur natura et amplitudo magisterii divini Ecclesiae, etiam ad res politicas se protendentis cum de rebus agitur cum fide aut moribus connexis, praesertim quoad votum ferendum in publicis comitiis.

4. Quaerere concreta media ad hoc ut normae ab Ecclesia iam sapienter datae, tum relate ad selectionem, tum ad efformationem candidatorum ad sacerdotium, sive in Clero dioecesano, sive in Clero regulari, reapse sint efficaces, ita ut quantum fieri potest, supposita fragilitate humana, minuantur crises, quae, tum tempore iuventutis, tum in aetate etiam provecta, intra Ecclesiam Dei, adeo frequenter lamentantur. Quaerere etiam solutionem aliquam pro illis, qui, non obstante hac diligente selectione et accurata efformatione, modo, ut ita dicam, definitivo, ab integritate vitae sacerdotalis defecerunt.

5. Ut attentis erroribus contra fidem et bonos mores grassantibus alumni institutorum catholicorum, sive primariae, sive secundariae vel supremae educationis, ita apostolica formatione instructi sint, ut ab aulis egressi Dei Ecclesiae in animarum apostolatu collaboratores esse possint.

6. Ut privilegium exemptionis, de quo in canone 500, ita explicetur, et si opus fuerit restringatur et coarctetur, ut Episcopi, Apostolorum

successores, in sua quisque dioecesi omnium activitatum ecclesiasticarum vere moderatores habeantur et sint.

7. Optandum ut facilior evadat receptio Sacrae Communionis omnibus horis diei, absque necessaria relatione cum Missa serotina.

8. Ut reformatio Breviarii, iam incohata, cito perficiatur novumque Breviarium vere sit breve, simplex et accommodatum pietati sacerdotum nostri temporis.

9. Ad fovendam participationem omnium fidelium in actibus liturgicis, ut adhibeatur lingua vernacula, exceptis partibus essentialibus, non solum in administratione sacramentorum, sed etiam in celebratione Missae: v. gr. epistulae, evangelii, etc.

10. Revocatio ad pristinam et strictam observantiam praeceptorum Evangelii quoad mores: isti enim, non solum in dies magis magisque deveniunt pagani, sed quod peius est, etiam actiones clarissime ab Evangelio damnatae propugnantur ut licitae et indifferentes.

11. Coordinare et ad unitatem redigere multiformem activitatem apostolatus laicorum.

Omni qua par est reverentia manus Eminentiae Tuae Rev.mae deosculor meque profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum et devotissimum in Christo servum

✠ Carolus M. Card. de la Torre
Archiepiscopus Quitensis

7

Exc.mi P. D. LEONIDAE PROAÑO VILLALBA
Episcopi Rivibambensis (Riobamba)

Die 14 septembris 1959

Finis propositus: Unitas: « Ut sint unum »

Quibusnam haec invitatio proponenda est, tempore praesenti?

A) Fratribus nostris separatis: Protestantibus atque schismaticis.

B) Populo Iudaeorum.

C) Gentibus paganorum.

D) Gentibus communistarum.

E) Fidelibus catholicis, hodiernos errores admittentibus, tum intellectu, tum moribus suis.

Quis?

Ecclesia Catholica, Christi nomine, hanc profert invitationem. — Genuina renovatio Ecclesiae Catholicae conceptionis, ut Christi Corpus Mysticum. Non est enim Ecclesia ens metaphysicum aliquod; Ecclesia non est unus Pontifex. Non est Pontifex cum Hierarchico Ordine: Ecclesia sumus omnes fideles in Christo baptizati. Omnes homines, etiam non baptizati, sunt Christi membra in potentia.

Ecclesia, Corpus Christi Mysticum, se ipsam movet, quaerens unitatem.

Quibusnam Remediis?

Haec sunt necessaria:

a) *Clericorum novae formatio*: deserendo methodum sese defendendi hucusque usitatam, et assumendo methodum alios persuasione devictos attrahendi.

1) *Formatio Clericorum in pietate*: discat sacerdos colere pietatem, sine fictione et sine modis repellentibus, veram et manifestam in medio motui activo hominum, et in strepitu mundano huius temporis; discat sacerdos servare perpetuo intimam cum Deo unionem, quamvis cum hominibus frequenter conversari debeat; discat sacerdos Christum ferre apud se, ut Eum praedicare possit, et verbis, et habitu, et gestu, in conventibus, in colloquiis, in coetibus mutuis privatis, quum visitat domos, fabricas, officinas; immo etiam, quum viatoribus occurrit. Uno verbo, discat sacerdos armonice iungere, quasi in statera, orationem et actionem.

2) *Sacerdotis theologica formatio*: sit solida, sed potius inclinata ad illuminandas mentes hominum hodiernorum, plenas materialismo, aut superbia scientifista, aut immanentismo, quibus sublatis, reponantur, loco proprio, valores, ut dicunt, spirituales, et supernaturales, et transcendentales.

3) *Sacerdotis formatio apostolica et pastoralis*: fundata in devotione profunda, in intuitione idearum sublimium, in amore ardenti, intenta ad omnes methodos licitas adhibendas, duce scientia tecnica appellata, usurpando ergo practice tabellas statisticas numerorum et tabellas organizationis motuum apostolicorum; tabellas denique *secretariatuum* et officinarum. Quare, ut consequi possimus, adhibenda est ordinatio obligatoria, universalis omnibus convictoriis, in quibus per aliquot menses, quinis annis, redeant sacerdotes ad convivendum. Praeterea, imponantur secessus frequentiores sacerdotibus, eo fine, ut firmius evadat aequilibrium vitae asceticae cum actione apostolica, et in

hac quiete spirituali, lectiones deducantur, ob oculos animae positae, ab experientia practica sacerdotali felici aut infelici.

b) *Qua ratione, sacerdotum numerus augebitur?*

1) Ubique, sed in primis, in regionibus in quibus desunt sacerdotes, mirum in modum, ut in America Latina, seminariorum fundationes augescere, et Vocationum Sacerdotalium Operi, opem ferre.

2) Ordinare, sed modo efficatiore et generosiore, Opus Cooperationis Sacerdotalis, in regionibus, in quibus et sacerdotes, et vocationes sacerdotales abundant, ut opem ferant regionibus quae his carent.

c) *Quomodo Ordines Religiosorum et Religiosarum et eorum Communitates, praesentibus temporibus aptiores et efficatiores reddentur?*

Haec remedia necessaria videntur.

1) *Revitalizatio,* ut ita dicam, sana et legalis, vitae spiritualis Religiosorum, et organizationis canonicae aliquorum Institutorum et Communitatum Religiosorum et Religiosarum.

2) *Maior dependentia* ab Episcopo Dioeceseos in iis rebus quae ad apostolatum referuntur, etiam in iis quae ad disciplinam externam morum pertinent.

3) *Maior collaboratio* Religiosorum et Religiosarum, cum Episcopo et cum Clero Paroeciali in rebus ad apostolatum pertinentibus.

d) *Educatio et organizatio Catholicorum Laicorum.*

1) Conentur vere, ut par est, familiam christianam efformare, theorice et practice, grande opus!

2) Omnibus viribus, contendant perscrutare maximum problema educationis catholicae communicatae in scholis et collegiis, quae Ecclesiae subsunt aut ab ea patrocinantur; non eo tantum fine ut crescant, sed presertim,eo studio ut remedium apponatur inefficaciae qua generaliter laborant.

3) Studio maximo contendere, ut pueri et adolescentes, tum in ipsa familia, tum in scholis, tum in collegiis catholicis, ita edoceantur ut sentiant animas, utpote Christi membra mystica, fratrum suorum, a Christo ipso sibi traditas salvandas.

4) Haec formatio perficiatur, ope apostolatus spiritualis et socialis motibus, necessitatibus uniuscuiusque regionis atque Dioeceseos accommodatis; ita ut Episcopus facultatem habeat quam latam declarandi qua associationes atque apostolatus laicorum motus, constituant Actionem Catholicam suae Dioeceseos.

e) *Catholici Laici, pro viribus, methodice conentur solvere modo christiano, problemata socialia, quae in urbibus et agris enascuntur.*

e) *Organizatio paroecialis.*

1) In medio, Parochus atque paroecialis ecclesia.

2) Duce et iudice parocho, immediate sint officinae paroeciales: ad regimen paroeciae, ad motus apostolatus excitandos, ad res Secretariatus paroecialis expediendas, cum suis archivis atque tabellis statisticis.

3) Tertio loco, schola paroecialis.

4) Quarto loco, collaboratio Apostolorum Laicorum.

5) Quinto loco, collaboratio Religiosorum utriusque sexus in diversis operibus paroecialibus.

g) *Nova organizatio oeconomica ecclesiastica.*

1) Tollatur omne periculum et omnis apparentia abusus.

2) Eradatur impressio pervulgata de divitiis Ecclesiae Catholicae, et de Parochis qui divites fiunt impensis populi fidelis.

3) Congrua sustentatione alatur, a populo fideli, vita Parochi, et in genere, vita sacerdotum, etiam vita Episcopi, ita ut eradicentur inaequalitates oeconomicae, quae odium pariunt et periculum contra spiritum sacerdotalem.

4) Tribuat paroeciae et dioecesi omnia quae necessaria sint ad cultum divinum fovendum, ad officinas sustentandas, ad scholas paroeciales atque opera educationalia augenda; denique ad opera paroecialia et dioecesana provehenda.

5) Sacerdotes, si casus advenerit, infirmi, invalidi, senectute confecti, vitam reliquam, securam adspiciant.

6) Practicum securumque fiat auxilium caritatis catholicorum degentium in regionibus mundi ditioribus, erga catholicos in regionibus pauperioribus commorantes.

h) *Usus ordinatus, non quocumque modo, sed gradu amplissimo, inventionum mirabilium hodiernorum, praeli scilicet, radiophonorum, cinematographorum, televisionum, ad ideas spargendas atque seminandas in hominum animis, isque ad suas partes trahendos.*

Haec instrumenta communicationis socialis, ab inimicis Ecclesiae usurpata, aut ab hominibus commercio sine conscientia deditis, mentes moresque hominum susque deque convertunt quam citissime, quia die noctuque, quasi obsidionem quandam sustinet perpetuo, ab ideis, sensationibus, imaginibusque sparsis, quae animos hominum occupant, eorum-

que intellectus voluntatesque, sine obstaculo, apprehendunt, tenentque, diriguntque.

Veritas et doctrina catholica, iisdem mediis sparsae, modo tenaci et iucundo, disseminandae sunt ab hominibus catholicis, ubique terrarum, tempore praesenti degentium, ut Evangelium Christi usque ad omnes gentes terrarum perveniat, per has mirabiles ipsorum hominum tecnicas scientificasque inventiones, quasi per novos evangelii Apostolos.

✠ Leonidas Proñao Villalba
Episcopus Rivibambensis

8

Rev.mi P. D. VINCENTII MAYA

Administratoris Ap. Praelaturae nullius de El Oro (El Oro)

Machalae, in Aequatore, 25 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est exponere, iuxta desideria Augusti Pontificis Ioannis XXIII et petitionem vestram, Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico, observationes ac vota, quae sequuntur:

1. Quod, nisi motivis canonicis nitatur et S. Sedi quaeratur, nullus episcopus religiosos dimissos e sua religione in clero saeculari admittat.

2. Quod non admittatur incardinatio sacerdotis indigni ad numerum sacerdotum illius dioecesis augendum.

3. Quod saeculares possint ordinari, quamvis iudicio proprii ordinarii necessarii vel utiles non sint ecclesiis dioecesis (huius ordinarii) ut ita ordinati possint servire in alia dioecesi sine necessitate excardinationis. Spiritus missionalis Ecclesiae praesertim id postulant.

4. Quod, etiam in casu necessitatis, paroeciae dioecesis non dentur modo perpetuo religiosis, sed tantum temporaliter, et Ordinarius sit qui de cessatione illius necessitatis iudicet.

5. Quod can. 125, quod directe ad Ordinarios respicit, etiam directe ad clericos respiciat.

6. Quod omnes sacerdotes debeant semel in anno spiritualibus exercitiis vacare; et nemo ab eis eximatur, nisi in casu particulari et gravi de causa ac de expressa eiusdem Ordinarii licentia.

7. Quod in qualibet dioecesi solutio pro infirmitate et senectute

sacerdotum afferatur. Secus accidere potest quod sacerdos infirmus vel senex aliquod ministerium exerceat non praecise pro salute animarum sed potius pro necessitate oeconomica, vel nimius pro hac necessitate solvenda.

8. Quod finis praecipuus illorum qui ad educationem catholicam destinantur, non oeconomicus sed educativus sit.

9. Quod excludatur Titulus XVII, de exsecutione sententiae (can. 1917-1924) a parte prima Libri IV, quia non includitur in definitione iudicii ecclesiastici, quae datur in can. 1952, § 1.

10. Apparet incompatibilitas inter can. 2222, § 1 et 2195. Proinde loco can. 2222, § 1 ponantur remedia poenalia ut vitetur illa incompatibilitas.

1. Quod aliqui canones ponantur relate ad actionem catholicam.

12. Quod definiatur dogma circa Beatissimam Virginem Mariam Mediatricem omnium gratiarum.

Interim, devotos ac obsequentes animi sensus ex corde

profiteor Eminentiae Vestrae

VINCENTIUS MAYA
Administrator Ap. Praelaturae nullius de El Oro

9

EXC.MI P. D. ALFREDI BRUNIERA
Archiepiscopi tit. Claudiopolitani in Honoriade, Nuntii Ap. in Aequatore

Quito, 24 agosto 1959

Eminenza Reverendissima,

Seguendo le venerate istruzioni impartite col Dispaccio N. 1 C/59-1662 del 13 luglio ultimo scorso, mi reco a doverosa premura di manifestare nel foglio, qui compiegato, alcuni voti o « desiderata » richiesti per il prossimo Concilio Ecumenico.

Quanto ho creduto in coscienza di esprimere, è il risultato di tanti anni di esperienza acquisita in diversi paesi dei vari continenti, ed anche l'opinione di molte persone, ecclesiastiche e laiche, con le quali ho potuto spesso intrattenermi.

Chiedo venia del ritardo, dovuto principalmente alle circostanze speciali, in cui sono venuto a trovarmi, appena giunto in questa nuova sede.

Per quanto riguarda la risposta al medesimo ven. Dispaccio da

parte degli Ecc.mi Ordinari dipendenti da questa Rappresentanza Pontificia, è stata mia premura ricordare, anche recentemente, questo loro dovere; mi consta che alcuni hanno già inviato i loro voti; spero che i rimanenti, sollecitati con una mia circolare, lo facciano quanto prima, allo scopo di facilitare il grave compito di codesta Commissione Pontificia Antipreparatoria per il futuro Concilio Ecumenico, che tanta eco e tanto interesse ha suscitato e suscita in tutto il mondo ed anche in questo Paese.

Profitto della circostanza per rinnovare gli atti del mio devoto ossequio mentre, chino al bacio della Sacra Porpora, amo riconfermarmi

di Vostra Eminenza Reverendissima
dev.mo obb.mo servitore

✠ ALFREDO BRUNIERA
Arcivescovo di Claudiopoli di Onoriade
Nunzio Apostolico in Equatore

1. Post tot eventus et tecnicae progressus maximi videtur momenti, in Ecclesia Christi, disciplina cleri, ut eius vita interior magis magisque cum sapientibus exhortationibus Pontificum in pluribus Litteris Encyclicis aliisque Documentis datis consona sit « ne aliis — uti ait Apostolus — praedicando, reprobi efficiamur ».

2. Ne clerici in rebus materialibus se immisceant propter necessitates existentiae, opportunum videtur minimum saltem ad vitae sustentationem necessarii eisdem providere; plurimi enim sunt adhuc qui, propter egestatem et miseriam conati sunt per mercaturam aliaque negotia sibi suisque alimentationem providere.

3. Opportunum videtur aliqua statuere puncta quoad actitudinem clericorum in rebus politicis seu in actione politica, quae hodie in omnibus nationibus animum etiam ecclesiasticorum excitat, praesertim occasione suffragii popularis vel in dissertatione partium politicarum.

4. Optandum est ut clerici qui, « in partibus missionum » sunt destinati, opportunam et aptiorem efformationem recipiant praesertim quoad adaptationem mentalitati, psychologiae, usibus etc. populorum ad quos missi sunt; saepe saepius missionarii exteri, quamvis sacrificia multa peregerint, male aestimantur a populis evangelizatis propter eorum incuriam mores cognoscendi eosdemque adaptandi; hoc etiam necessarium evadit ad demonstrandum Ecclesiam Christi esse Catholicam et indoli uniuscuiusque populi esse adaptatam.

5. Iuxta aliquos clericos valde optandum est ut in proximo Oecu-

menico Concilio praerogativae episcoporum in sua propria dioecesi definiantur, sicuti in Concilio Vaticano infallibilitas Summi Pontificis definita fuit.

6. In eruditione seminaristarum opportunum videtur theologiam docere sub aspectu positivo, speciatim in libris: ostendendo, scilicet, puncta praecipua communia cum doctrina protestantium, ortodoxorum aliorum fratrum separatorum, et in fine puncta quae nos dividunt ab eis.

7. Optandum est equidem ut Ordines Minores, quae temporibus nostris ad meram caerimoniam vertuntur, proprium adquirant valorem in Ecclesia, saltem limitationes auferendo a iure canonico impositas, praesertim quoad exercitium ordinis diaconatus, in administratione baptismi, in distributione communionis, in praedicatione etc., eo magis quia in praesenti tempore excitatur idea de instituendo diaconatu laicorum.

8. De apostolatu laicorum. Numquam sicuti in diebus nostris, collaboratio laicorum in apostolatu valde optanda est; immo necessaria aestimatur praesertim ad appropinquandos eos qui contra Ecclesiam eiusque ministros praeiudiciis imbuti sunt; ex praxi discimus quod fere semper efficacior evadit actio laicorum ferventium quam clericorum, speciatim in relationibus cum intellectualibus.

9. Necessarium igitur videtur modalitates et limites super hac cooperatione statuere, ita ut laici catholici, semper sub Antistitum auctoritate, firmiter et audacter sibi sumant responsabilitatem actuositatis perficiendae; fiducia enim, uno verbo, eisdem praestanda est ut animose in bonum animarum agere valeant.

10. Actio Catholica in singulis nationibus psicologiae cuiuscumque populi aptanda est, ne aliquid extraneum videatur in corpus nationis immissum; spiritus omnium populorum in suis manifestationibus servandus est sive quoad apostolatum, sive in caerimoniis religiosis.

11. Quod videtur praecipui momenti in toto orbe catholico, praesertim ubi liturgia latina viget, est participatio populi magis intensa et practica cultui divino sive in sacro faciendo, sive in aliis coerimoniis religiosis, ita ut praesentia christifidelium ne sit simpliciter et totaliter passiva, sed potius activa; exinde urgens videtur usus vernaculae linguae, speciatim in re quae Missam et Sacramenta attinet.

12. Simplificatio valde optanda est legislationis canonicae quoad delegationem et impedimenta Matrimonii; quoad peccata Ordinariis reservata; quoad confessores religiosarum, necnon quoad leges poenales Ecclesiae, censuras etc.

13. Statuere et definire in iure opportunum videtur naturam exemptionis religiosorum ita ut ipsa magis respiciat regimen internum con-

gregationis vel familiae religiosae, quam externam activitatem, quae sub Ordinarii loci auctoritate praecipue exercenda est in bonum commune.

✠ ALFREDUS BRUNIERA
Archiepiscopus tit. Claudiopolitanus in Honoriade
Nuntius Ap. in Aequatore

10

EXC.MI P. D. ANGELI BARBISOTTI

Episcopi tit. Cauniensis, Vicarii Ap. Esmeraldensis (Esmeraldas)

Circa fidem

1. Errores moderni, ut sunt materialismus (saecularismus), communismus, atque exaggeratus nationalismus, iam a Summis Pontificibus hisce ultimis temporibus damnatis, iterum solemniter damnentur.

2. Concilium suam faciat doctrinam a Pio XII in encyclica *Mystici Corporis* lucide traditam, ita ut christifideles, suae unionis cum Christo et inter se conscii, vitam unitatis vivant, non solum in iis quae ad fidem, mores et liturgiam pertinent; sed et in omnibus actionibus quotidianis, ita ut in praxim deducitur oratio Christi: « Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint ».

Circa disciplinam

1. Desideratur revisio Codicis Iuris Canonici.

2. Urgeat Concilium ut vita catholicorum circa propriam paroeciam volvatur. Ad hunc finem in posterum ecclesiae et oratoria publica ne erigantur, quae paroeciae, vel a paroecia dependentia non sint.

3. Legislatio canonica circa bona Ecclesiae ita revisetur ut ad mala maiora praecavenda, bona ipsa, magis quam praediis, titulis crediti (vulgo « azioni industriali ») constent.

4. Item optandum ut legislatio canonica circa familias religiosas ad diem aptetur: V. g.: sicut ab episcopo etiam religiosi ordinem sacerdotalem accipiunt, sic ab eodem missionem canonicam habeant, eo sensu ut, non solum in ministerio paroeciali obeundo, sed et in educationali, sive sociali ab episcopo dependeant, ut fit in territoriis missionum S. Congregationi de Propaganda Fide subiectis. E converso, episcopi residentiales

ope religiosorum sine invidia utantur, non tantum in confessionibus audiendis et in praedicatione verbi Dei; sed in ipso quoque gubernio dioeceseos, sicut exemplum dat Romana Curia, quae frequenter in dicasteriis suis ope religiosorum utitur. Hoc modo dualismus inter clerum dioecesanum et clerum regularem eliminabitur, ad aedificationem catholicae plebis.

5. Adiuventur aliquo modo caritate pleno sacerdotes illi qui fragilitate humana magis quam malitia in re morali erraverunt, ita ut via regressus facilis evadat, si est possibile et illi velint, v. g. permittendo transitum ad ritum catholicum in quo matrimonium sacerdotibus licitum est. Quando hoc impossibile sit, in pace in legitimo matrimonio vivant, ita ut eorum filii nullo stigmate malo maculentur.

De missionibus apud infideles

1. Ecclesia se considerare debet in « Statu Missionis Permanentis », cum maior pars hominum in hac secunda parte saeculi XX adhuc nuntium evangelicum ignoret.

2. Ideoque opus missionum apud infideles (vel ad eos qui infidelibus aequiparantur, ut sunt habitantes maioris partis Americae Latinae) est opus maximum Ecclesiae ad complendum mandatum Christi « Ite, docete omnes gentes ». Non est opus supererogatorium, sed necessarium.

3. Adiuventur ergo maximo modo:

a) Instituta et Collegia ad praeparandos missionarios, sive verbis, sive sumptibus, sive praesertim personis;

b) Praelati in territoriis missionum, ita ut tempus ne perdant quaestuis, itineribus et litteris scribendis ad auxilium petendum. Auxilia nunc a Sancta Sede missionibus data valde exigua sunt, atque insufficientia ad ipsos missionarios alendos, tanto minus ad quodcumque opus missionale directe agendum. Modus facilis augendi pecuniam in beneficio missionum erit impositio levis taxae v. g. unum pro cento, per annum super introitus cuiuscumque paroeciae in territoriis non missionalibus existentibus.

Circa Liturgiam

1. Conservetur lingua latina in Missa et in formulis essentialibus administrationis sacramentorum.

2. Tota difficultas in usu linguae latinae in liturgia venit ab ignorantia eiusdem linguae in sacerdotibus. Ideoque in seminariis sive dioecesanis, sive religiosorum, tirones sedulo studio linguae latinae incumbant.

3. Fidelibus tradantur ubique vulgari idiomate libri sive Missae, sive

ritualis romani, atque sacerdotes sciant partem ministerii sacerdotalis esse quoque docere fideles usum horum librorum.

4. Desideratur nova editio Pontificalis Romani atque Caeremonialis Episcoporum, atque, una vice pro semper, Missalis et Breviarii Romani.

✠ Angelus Barbisotti
Episcopus tit. Cauniensis
Vicarius Ap. Esmeraldensis

11

Exc.mi P. D. DOMINICI COMIN
Episcopi tit. Obbensis, Vicarii Ap. Mendezensis (Méndez)

Una cum eo responsum dedit

Exc.mus P. D. IOSEPH PINTADO
Episcopus tit. Phobenus, Coadiutor c. s. Vicarii Ap. Mendezensis

Concae (Ecuador) die 11 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Maxime nobis complacet Eminentiae Vestrae notum facere de futuro Oecumenico Concilio nos epistulam ab Eminentia Vestra accepisse, de qua plurimas gratias agimus.

Causa absentiae Exc.mi Domini Dominici Comin cui se in Europam recipere necesse fuit, mense rescribere anteacto non potuimus.

Libentissimo nunc et coniunctim rescribimus, gratiasque agimus Deo qui Ss.mo Domino Ioanni XXIII Summo Pontifici Concilii Oecumenici convocationem inspiravit, tam necessariam et opportunam.

Maximi etiam momenti ac valde praesentia sunt quae Sanctissimus Pater multis iam locis de argumentis Concilii puncta proposuit.

Quod de « consiliis et votis » ad nos pertinet, cum aequalitas et iunctio stricta Vicariatui nostro sit (v. d. de Mendez) cum Congregatione Salesiana quae in suis Capitulis Generalibus omnia horum argumentorum cum satis definitis conclusionibus persecuta est, quas certe in Magnum illum Concilium Superior Generalis producet, his conclusionibus cum quibus omnino consentimus nobis adhaere visum est.[1]

[1] Cf. p. 35 s.

Certe mandabimus ut in toto Vicariatu preces eleventur ut Spiritus Sancti gratia et Mariae Virginis Auxilium, proximi Magni Concilii initium et felicem exitum ferant .

Eminentiae Vestrae Reverendissimae

✠ Dominicus Comin
Vicarius Ap. Mendezensis

✠ Iosephus Pintado
Episcopus tit. Phobensis
Coadiutor c. s. Vicarii Ap. Mendezensis

12

Exc.mi P. D. MAXIMILIANI SPILLER

Episcopi tit. Myriceni, Vicarii Ap. Napensis (Napo)

Tena, die 27 giugno 1960

Eminenza Reverendissima,

Sebbene in ritardo credo opportuno rivolgermi a Vostra Eminenza per presentare un'umile proposta per il prossimo Concilio Ecumenico, proposta che, se crede oportuno, la può far studiare dalla Commissione per le Missioni.

Come Vostra Eminenza sa, nelle Missioni affidate ai Religiosi vi è il Superiore Ecclesiastico e quello Religioso. Purtroppo la esperienza ci dice che questo dualismo di autorità non poche volte è causa di disaccordi, che sono un grave inconveniente per l'Apostolato Missionario; quando poi il Superiore Religioso ha sotto la sua giurisdizione anche delle case che si trovano fuori del territorio della Missione, gli inconvenienti aumentano e si corre il pericolo che il Superiore Religioso si preoccupi di preferenza delle case che si trovano fuori del territorio della Missione e non dia al Vicario Apostolico il personale di cui abbisogna.

Di questo argomento ho parlato con Sua Eccellenza Mons. Domenico Comin, Vicario Apostolico di Méndez e abbiamo pensato di proporre che nelle Missioni affidate ai Religiosi, il Superiore Religioso abbia sotto la sua giurisdizione solo le case della Missione; meglio però sarebbe che il Superiore Ecclesiastico avesse anche l'autorità

di Superiore Religioso, così si eviterebbe il dualismo di autorità che pregiudica alla pace e all'accordo dei Missionari.

Inoltre io personalmente mi permetto proporre anche quanto segue, cioè che il Vicario o Prefetto Apostolico delle Missioni affidate ai Religiosi, sia membro del Capitolo Generale della sua Congregazione per suscitare maggiore interessamento nella Congregazione per le Missioni.

Ringrazio vivamente Vostra Eminenza per la benevolenza che dimostrerà verso questa mia esposizione, e baciando umilmente la Sacra Porpora mi professo di Vostra Eminenza Reverendissima, devotissimo servitore

✠ MASSIMILIANO SPILLER
Vescovo tit. di Mirica
Vicario Apostolico di Napo

13

REV.MI P. D. GEORGII MOSQUERA
Administratoris Ap. Vicariati Zamorensis (Zamora)

Zamorae, die 17 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Officium Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, Prot. N. 1 C/59-2519, die 18 iunii ab Eminentia Tua subscriptum, hesterna die recepi.

Cum responsiones ad Pontificiam Commissionem quam primum mitti debeant, easdem, omni qua par est diligentia parare et huic officio inserere statim curavi; quasque summa cum reverentia Eminentiae Tuae offero et mitto.

I. Concilium unionem cum Ecclesiis Christianis omni sollertia quaerere debet. Ad hanc unionem procurandam, dummodo Dogmata integre serventur, quaestionibus mere ritualibus maximum momentum non est tribuendum.

II. Haec unio, praeter bonum stricte spirituale et supernaturale, quod prae se fert, maximam utilitatem externam, socialem etiam pariet, praesertim in America Latina, ubi quaestio protestantica catholicorum animos magis ac magis in dies exasperat.

III. Sacerdotes saeculares et Religiosi saepe munere suo funguntur nimis independenter inter se. Normae dentur a Concilio, quibus maior concordia inter utrumque Clerum servetur.

IV. Sacerdotes, qui curam pastoralem habent, normam habeant

pro recitando Officio Divino clariorem, qua ex una parte tranquilli maneant et ex altera huic oneri facilius satisfacere possint.

V. Habitus Praelatorum, Religiosorum et Monialium nimia diversitate et implicatione laborant. Quaeri non poterit forma aliqua generalis, quae more militum, aliquo charactere specifico, dignitatem et Ordinem indicare possit?

VI. Praedicatio praecipiatur magis Evangelio consentanea: clara, brevis, spontanea.

VII. Tempus utile ad praeceptum annuae Confessionis et Communionis implendum ad totum annum protrahatur.

VIII. Scholae Catholicae ubique et ab omnibus Religiosis et Monialibus enixe foveantur.

Interim fausta quaeque Eminentiae Tuae adprecans, me Eminentiae Tuae addictissimum profiteor.

Fr. Georgius Mosquera, O. F. M.
Administrator Ap. Zamorensis

14

Exc.mi P. D. BENIGNI CHIRIBOGA

Episcopi tit. Acalissensis, Auxiliaris Quitensis

Quito, die 2 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Obsecundans libenter petitioni Eminentiae Vestrae, per litteras datas die 18 iunii sequentia puncta propono, quae mihi digna videntur ut considerationi proximi S. Concilii subiciantur:

1. Cum Sancta Ecclesia, fere ubique, deficienti copia sacerdotum prematur, expediret ut S. Concilium viam patefaceret ut hac in re iuvent viri religiosi, qui nunc, exigua utilitate communi, magno numero commorantur apud templa quae exstant in praecipuis urbibus, et ibi, praecise in iis vicis ubi templa sunt frequentiora; dum alibi desunt et templa, et sacri ministri.

2. Expediret examini subicere institutionem alumnorum qui ad sacerdotium praeparantur; ea enim non videtur satis aptata hodiernis exigentiis. Candidati utique ad sacerdotium acquirere debent peritiam linguae latinae (quae nunc plurimis deest), politioremque rationem verba faciendi et scribendi. Sed etiam imbui debent modernis disciplinis quibus homines nostri temporis excoluntur et alliciuntur; huiusmodi sunt

historia, linguae exterae, mathesis, scientiae physico-chimicae et biologicae, in gradu quidem respondenti institutioni mediae. In conficiendo autem systemata studiorum magnopere cavendum erit ne iuvenes nimia varietate et numero disciplinarum distrahantur; ita enim potius obruuntur quam erudiuntur, ut abunde docet experientia collegiorum vel lycaeorum saecularium.

3. Quoad institutionem philosophicam et theologicam, expediret: omissis quaestionibus nimis conquisitis, quae aulas medioaevales nimis redolent, magis incumbere cognoscendis et medendis peculiaribus necessitatibus et problematibus nostri temporis. Saepe enim nostra institutio de his problematibus est nimis generica, vel supponit condiciones quae iam non verificantur. Hic praecipue cogito de problematibus vitae socialis, politicae et familiaris. Quae vero antea innui de vitando nimio numero disciplinarum, hic sunt repetenda: potius quam multiplicandis disciplinis, provideatur aptiori tractationi philosophiae et theologiae.

4. Quod attinet ad sanctimoniales feminas, urgenda videtur accuratior institutio, tam in sacris doctrinis quam in profanis. Etenim nunc parum eruditae inveniuntur. Cum sacrae virgines hodie praecipue incumbant scholis et nosocomiis, deberent cumulare scientiam requisitam in magistris vel aegrorum ministris laicis cum analoga notitia de rebus sacris et moralibus.

Nisi his deficientiis operariorum et operariarum Ecclesiae provideatur, difficulter vitabitur quominus ii et a semetipsis et ab aliis impares suis muneribus obeundis aestimentur.

5. Cum ex vespertina celebratione Sancti Sacrificii Missae uberes fructus pietatis dimanaverint, expediret eam largius concedere, non, sicut hucusque, per modum singularis concessionis. Possunt enim inveniri Praelati qui, nimio studio veteris usus conservandi, strictiores se praebeant in ea concedenda. Idemque dicatur de facultate binandi, etiam extra dies festos.

6. Actualis praxis reservationis episcopalis peccatorum videtur parum efficax ad bonum animarum promovendum. Vix enim sunt casus in quibus non possit recurri ad exceptiones indicatas in can. 900. Sed saepe etiam recursus ad tales exceptiones creat confessariis angustias conscientiae. Nec reservationes apparent practice idoneae ad publica vitia exstirpanda et collapsam disciplinam instaurandam. Ideo, potius videntur penitus omittendae, ne confessarii superfluas difficultates inveniant in suo arduo ministerio fungendo.

7. Ad fovendam vitam interiorem, quae anima est omnis apostolatus, expediret ut Concilium enixe provideret exercitio quotidiano ora-

tionis mentalis ab omni sacerdote adhibendo. Officium vero divinum Breviarii Romani non videtur minuendum.

Haec sunt quae considerationi Eminentiae Vestrae et Commissionis Antepraeparatoriae S. Concilii humiliter putavi subicienda.

Eminentiae Vestrae addictissimus in Domino,

✠ BENIGNUS CHIRIBOGA
Episcopus tit. Acalissensis
Auxiliaris Quitensis

15

REV.MI P. D. MICHAËLIS AB ARRUAZU, O. F. M. CAPP.
Praefecti Ap. Aguaricoensis (Aguarico)

1. *Circa Sacramenta.* — Constituere in omnibus dioecesibus secretariatum sacramentorum et liturgiae ut vere zelus apostolicus ostendatur in Ecclesia Dei in his sanctissimis actibus perficiendis. Hic secretariatus omnibus viribus promovere debet scriptis, verbis et visitationibus frequentibus dignam et opportunam receptionem sacramentorum et splendorem divini cultus.

Promoveatur omnibus mediis frequentia sacrae Communionis, praecipue inter pueros et puellas. Ad hanc frequentiam consequendam graviter urgeatur omnibus confessariis, praecipue curam animarum habentibus, ut fere omnibus diebus, statutis horis, magis fidelibus convenientibus, audiant confessiones cum vera dignitate sacerdotali.

Promoveantur quam maxime Congressus Eucharistici internationales, nationales, dioecesani et interparoeciales ad cultum Sanctissimae Eucharistiae publice ostendendum et publicandum. In his magnis sollemnitatibus occasionem praebeant Episcopi, parochi, Superiores religiosi et Congregationes piae ut conferentias vel colloquia habeant ad res magni momenti Sanctae Ecclesiae tractandas.

Minuatur numerus peccatorum reservatorum ut facilius fidelibus attendatur in suis confessionibus. Concedatur parochis facultas admittendi ad professionem fidei quibus per apostasiam et haeresim ab Ecclesia fuerunt separati et hoc habitualiter.

Parvuli et adulti post susceptum baptismum, confirmationem et primam Communionem Deiparae Virgini Mariae consecrentur ante ipsius imaginem sacram per seipsos vel per suos patrinos. Post susceptum sanctum viaticum hoc ipsum faciant et moribundi. In his actibus magni momenti vitae nostrae intima adesse debet nostra dulcissima mater caelestis Virgo Maria.

2. *Circa Catechesim.* — Desideratur Catechismus unicus cum traductionibus officialibus in omnibus idiomatibus existentibus. Episcopi poterunt adnotationes particulares postponere, consideratis adiunctis peculiaribus dioeceseos. Multum interest praeparare unicum textum in universa Ecclesia Dei ad magis magisque unitatem ipsius ostendendam. Propaganda vere organizata et lectio assidua Sanctorum Evangeliorum et librorum catechismi doctrinae christianae maxime promoveatur inter fideles catholicos.

In omnibus curiis dioecesanis bene constituatur secretariatus catechesis cristianae, ubi parochi, sacerdotes, religiosi et cathechistae invenire poterunt doctrinae cristiana libros, pelliculas cinematographicas, filminas catechisticas, collectiones murales, collectionem hymnorum et canticorum religiosorum, machinas proiectionum etc. etc. Publicationem periodicam imprimere debet ad parochos et cathechistas bene instruendos in his maximi momenti disciplinis. Confraternitas catechesis omnibus viribus promoveatur.

3. *Actio catholica et apostolica.* — Natura et essentia et consequentiae doctrinae actionis catholicae et obligationes graves actionis apostolicae omnium fidelium saepius tam in catechesibus, quam in homilis et in praedicationibus extraordinariis enucleentur. Omnes Associationes piae actionem catholicam exercere debent sensu stricto, sub mandato et directione Ordinariorum locorum. Non tantum adulti, sed et pueri bene cognoscere debent suam gravem obligationem tam exemplis, quam verbis et actibus fidem catholicam propagandi.

Missiones populares. — In omnibus paroeciis exercitia spiritualia vel missiones populares praedicari oportet per octo vel decem dies omnibus trienniis. Confessiones fidelium in missionibus tantum permittantur post omnino completa exercitia vel missiones populares ut maior fructus obtineatur. Ad confessiones audiendas omnes facilitates adhibeantur, et Episcopus manipulum confessariorum optime organisare debet ut convenienter et sine praecipitatione attendatur confessionibus. Praecipue in hoc consistit uberrimus fructus exercitiorum vel Missionum.

Missiones de Propaganda Fide. — In populo christiano verus fervor infundatur de Fide propaganda inter infideles et haereticos. Omnes associationes piae et Tertii Ordinis sodales hoc optimum opus adiuvare debent ex toto corde sese inscribendo in Operis Pontificiis Missionalibus. Valde interest ut omnes pueri et parvuli baptizati post baptismum inscribantur in Opera Pontificia de Sancta Infantia ut omnes christifideles intimam cooperationem praestent ad maximum opus Propagandae Fidei.

Missiones de Propaganda Fide. — Optimum foret si omnes locorum

Ordinarii, in dioecesibus bene constitutis, a Sacra Congregatione de Propaganda Fide peterent administrationem cuiusdam iurisdictionis missionalis ut cum sacerdotibus dioecesanis, sub immediata dependentia ipsius Sacrae Congregationis de Propaganda Fide ut ad servitium spirituale bene attendatur. Optima experientia reperitur in sacerdotibus saecularibus dioecesis Victoriensis, in Hispania, qui a Sancta Sede obtinuerunt veniam ad veras missiones constituendas in Africa et America. Episcopus, sacerdotes saeculares et regulares cuiuscumque dioeceseos cum omnibus christifidelibus, cum vero fervore apostolico, intime et efficaciter coadiuvarent ad Regnum Christi propagandum et sic ad maximum cresceret sacra familia Christi Domini nostri. Hic labor missionalis, intimus, concretus et familiaris multum prodesset ad propagationem Fidei in universo mundo et ad vere fovendum spiritum missionalem in populo cristiano et ad vocationes sacerdotales consequendas.

Cum severitate urgeatur et exigatur a Superioribus regularibus ut mittant ad missiones Propagandae Fidei sacerdotes et missionarios optimos, omnibus virtutibus sacerdotalibus ornatos et magna idoneitate ad labores apostolicos praeditos, quia vere sunt Christi et Ecclesiae legatione fungentes. Unus tantum missionarius non bonus frustrare potest laborem aliorum. Praeparatio praevia et conveniens exigatur ab omnibus missionariis clericis et laicis ut fructus maximus obtineatur et Superiores Missionum tranquillitatem et pacem habeant.

Actio paedagogica. — Multum interest actio paedagogica in omnibus scholis, collegiis et universitatibus catholicis. Instructio paedagogica, ad mentem Romanorum Pontificum, Sancti Iosephi Calasantii, Sancti Ioannis Baptistae de la Salle, Sancti Ioannis Bosco, beati Marcellini Champagnat etc. ab omnibus magistris Professoribusque enixe impertiatur. Disciplina paedagogica moderna valde necessaria est in his temporibus ad verum profectum discipulorum.

Specialisatio. — Clerici et laici catholici maxime curent specialisationem obtinere in scientiis et artibus. Specialisatio Superiorum ad bene subditos gubernandum, theologorum, canonistarum, missionariorum, paedagogorum, professorum, praedicatorum etc. etc. quam maximum promoveri debet.

En breviter exposita consilia, vota vel animadversiones circa res, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

Eminentissime Domine, humiliter vestram imploro benedictionem paternam

aff.mus in Christo
MICHAËL AB ARRUAZU (HIGINO GAMBOA)
Praefectus Apostolicus Aguaricoensis

16

REV.MI P. D. ALBERTI ZAMBRANO PALACIOS

Praefecti Ap. Canelosensis (Canelos)

Puyo, 26 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Existimo necessariam et maxime urgentem proximam celebrationem Concilii Oecumenici quod, Deo largiente, maxima bona afferet Catholicae Ecclesiae.

Sequentes considerationes modeste expono:

a) Tam pro meo missionali territorio quam pro aliis dioecesibus iudico necessariam uniformitatem in tradenda catechesi et sic suggero *confectionem et editionem unius textus Catechismi.*

b) Cum America Meridionalis in magno periculo versetur ob Protestantismi et Communismi irruptionem, rogo Venerabilem Consilium ut efficacibus arbitriis, tot malorum progressiones impedire velit.

c) Suppliciter peto ut in America instituatur Seminarium ad uniformem instructionem harum disciplinarum. Hoc Seminarium sustentabitur oeconomice ab omnibus dioecesibus et missionibus Americae Septemtrionalis, Centralis et Meridionalis.

d) Huius Seminarii aut Universitatis Ecclesiasticae Institutio mihi videtur maximi momenti ad progressum novi Continentis cui necessarius est Clerus optime institutus.

e) Obsecro ut apud Concilium agatur de redigendis sacris himnis in honorem Deiparae Virginis et Augustissimi Sacramenti Altaris, quibus cultus divini splendor augeatur in sacris Processionibus.

Haec praecipua, iudicio quidem meo, expono Eminentiae Vestrae et futuro Concilio.

Humiliter in Christo

ALBERTUS ZAMBRANO PALACIOS

Praefectus Ap. Canelosensis

17

Rev.mi P. D. VENCESLAI A SS. SACRAMENTO

Praefecti Ap. Sancti Michaëlis de Sucumbios

(San Miguel de Sucumbios)

Die 10 februarii 1960

Eminentissime Pater,

Ad officium N. 1 C/59-1985 Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico, mihi remissum 18 iunii 1959, ac in hac Praefectura post diem primam septembris anni transacti receptum, mihi pergratum est exponere:

I. Quoad laicorum ordinationem spectat, ut prolatum est, in ordine quidem diaconatus, valde necessarium esset, praesertim in regionibus Missionibus commendatis. Huiusmodi Ordinem sacrum conferre religiosis fratribus seu laicis professis cum votis solemnibus, ad Patres missionarios in operibus apostolicis adiuvandos, scilicet in baptimi, communionis et extremae unctionis administratione.

II. In Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis, religiosis Ordinibus commendatis valde perutile esset et magna incommoda in gubernatione huiusmodi omnino vitaret, si in una eademque persona, scilicet Vicarii seu Praefecti unitae invenirentur utraeque repraesentationes nempe Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, et Ordinis religiosi respectivi. Id est, paucis verbis, unum caput et una sola auctoritas in omnibus.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae

addictissimus

Venceslaus a Ss. Sacramento
(Emmanuel Gomez Fraude)
Praefectus Ap. S. Michaëlis de Sucumbios

ARGENTINA

1

Exc.mi P. D. EMMANUELIS MARENGO
Episcopi Azulensis (Azul)

I. *De doctrina et disciplina cleri et populi christiani*

Propositum: Totius vitae paroecialis instauratio, ut communitas christiana resurgat vivificata ad finem suum plenius adimplendum: tribuendo Deo debitum honorem et omnibus membris communitatis media necessaria suo supernaturali fini.

1. Cognitio religionis per catechismum amplificetur. Catechismorum recensio fiat, cum methodis paedagogicis aptis diversis aetatibus, eorum captui et circumstantiis, ut in ipsis dogma revera in Evangelio nitatur, quin virilitatis absentiam redoleant.

2. Mystici corporis doctrina eiusque influxus et theoretice et practice magis cognoscatur ut communitas christiana in pristinum splendorem redigatur:

a) *Liturgia*: Missa communitaria quotidiana. Missa paroecialis solemnis dominicalis peragatur,

b) *Iuvamen* in operibus apostolicis praestitum ab omnibus christifidelibus sive actioni catholicae sint addicti, sive aliis confraternitatibus vel associationibus sint inscripti, ut aliquid omnibus omnino necessarium, habeatur,

c) *Cooperatio* in operibus caritatis erga pauperes, urgeatur,

d) *Cooperatio* in cultu clerique sustentatione propugnetur, ut tandem aliquando elemosynarum erogatio propter sacramentorum receptionem vel propter alia officia religiosa, sensim abrogetur, quin negotiationis vel vanae ostentationis species iam diu inveterata perduret,

e) *Cooperatio* inter clerum dioecesanum et regularem procuretur, ut lamentabili luctae actuali finis imponatur.

3. *De clero dioecesano*: Apta praeparatio et adaptatio ad actualis apostolatus opera, quoad hierarchiam, vitam individualem et communitatis, potissimum desideratur.

a) *In Seminariis*. In pietatis efformatione, in studiorum regimine, in disciplinae regulatione, regulamentorum restructuratio urget, ita ut humanae qualitates supernaturalesque virtutes unice hunc ad finem dirigantur, quo sacerdotali ministerio plenius rectiusque candidati disponantur.

— Coetus professorum officiis, scientia et prudentia nec non virtutibus florentibus sacerdotibus coalescat.

— Antequam subdiaconatus ordinem candidati accipiant, per integrum saltem annum in determinatis paroeciis vitam degant, in quibus parochi in eorum modo agendi directe invigilent, practica paroeciali eos imbuant, ita ut iudicium positivum vel negativum de unoquoque suo Episcopo praebere possint. In Seminarium deinde redeant, quo melius meditationi, studiis pastoralibus, asceticis et liturgicis operam dantes, quintum theologiae annum persolvant et debitis interstitiis ordines maiores accipiant.

b) *In vita sacerdotali. De Breviario*: Ad cleri dioecesani adaptationem necessitas urget, ut ipsum, onus esse desinat et in fontem gratam orationis, tam oralis quam mentalis, nec non praedicationis redigatur.

— *Spiritualia exercitia* quotannis peragantur: recollectio spiritualis, si possibile sit, in mense fiat ut zelus apostolicus eiusque sensus augeatur.

— *De habitu et tonsura*: De habitus forma et tonsurae usu provideatur. De religiosorum et monialium habitu, quaedam prudens resolutio minime omittatur.

— *De vita communitatis*. Ut vita paroecialis reviviscat, urget ut vera unio caritatis intercedat:

— Inter Episcopum et parochos, qui plus minusve dissociati vivunt, quin labor paroecialis coordinetur in Dioecesi.

— Inter parochos et eorum vicarios, qui frequenter una domo sed non uno spiritu vitam degunt.

— In civitatibus, in quibus aliquae paroeciae sint erectae, una earum sit velut caput, ut operum apostolatus unitas servetur. Idem fiat si parvi populi circa quamdam paroeciam maiorem sint coadunati.

II. *Actuositas multiplicis generis, qua hodie Ecclesia tenetur*

Propositum: Labor paroecialis determinatis locis et personis circumscribi non potest, sed e contra in omnibus influxum suum excercere debet.

— De quaestione operariorum eorumque associationibus.

— De quaestione discipulorum et professionali.

— De quaestione oeconomica eiusque effectibus.

— De propaganda per cinematographum, radiophoniam, televisionem, folia periodica etc.

III. *Negotia maioris momenti quae Ecclesia obire debet*

Propositum: Omnes Christo ope instructionis et caritatis alliciendi sunt.

1. *De communismo*. Ecclesiae influxus in solutione quaestionis socialis perpendatur, eiusque documenta enuncleentur. Falsitas felicitatis a com-

munistis oblatae et verbis et scriptis pandatur. Doctrinae materialismi dialectici errores enixe profligantur.

2. *De Protestantismo.* Coetus studiorum biblicorum instaurentur, quibus saltem N. Testamentum ab omnibus cognosci possit. Christifideles ad orationem pro ipsis effundendam adhortari, et ad maiorem caritatem erga ipsos excercendam suadere oportet. Actio propagandistica de domo in domum propugnetur, ita ut, si divites, per se ipsos, si pauperes, per obsequium, omnes denique S. Bibliam possideant et in eius lectione aliquid temporis quotidie impendant.

IV. *Quaedam alia proposita*

1. *Curia episcopalis* axis et fons actionis apostolicae ordinatae esse deberet, prospiciens omnia opera apostolica paroeciarum in unitate cum Episcopo, nec non in ordine nationali et universali sub Christi Vicario in vinculo caritatis, prout doctrina Mystici Corporis exigit. Ad hoc melius consequendum in unaquaque Curia erigatur:

a) *Coetus administrationis* pro aedificatione et reparatione ecclesiarum et domorum paroecialium, qui praebere possit, si casus dat, iuvamen pecuniae ex bonis dioecesis, et permittere sacerdotibus cessationem muneris et instituere mutualitates dioecesanas.

b) *Coetus missionarius,* pro missionibus ruri et in civitatibus peragendis. Pro quibusdam curriculis vel operibus propagandis.

c) *Coetus scriptorum,* pro scriptis in foliis periodicis, pro libris, catechismis, iuxta normas ab Episcopo statutas, pro scriptis per radiophoniam proferendis. Attendat etiam ad televisionem et cinematographum.

d) *Coetus sacerdotum,* pro fratribus qui longe ab aliis distent, ut ipsos in confessione audiant, opportuna solatia et consilia impertiant, in infirmitate visitent, in morte committant, et, ut suffragiis adiuventur, curent.

e) *Caput nummarium dioecesanum* ad paroecias pauperes iuvandas et ad alias necessitates dioecesis solvendas, constituatur.

2. Revisio *C.I.C.* rogatur, quoad remotionem parochorum, ut Episcopus habeat maiorem facultatem ad ipsos amovendos cum munus pastorale non plene adimpleant. Nec revisio concessionis paroeciae in perpetuum in favorem religiosorum omittatur.

3. *Dogmatica definitio Mediationis Universalis B. Virginis Mariae* enixe petitur.

Quod iam innuitur in protoevangelio nec non clarius in N. Testamento; quod SS. PP. a S. Ireneo, (Adversus Haereses), clarissime tradiderunt; quod Summi Pontifices a Benedicto XIV (in Bulla « Glo-

riosae Dominae »), passim docuerunt; quod populi christiani in orationibus, picturis et monumentis crediderunt; quod inter alia B. Mariae Virginis, maximum privilegium constituit, hoc, hodiernis temporibus dogma tam doctrinae Corporis Mystici accommodatum ut definiatur, ab omnibus credendum desideratur. Ad mentem S. Bernardini Senensis in sermone de salutatione angelica: « Tu es collum plenum, per quem gratia divina fluit a Christo Capite Corporis Mystici usque ad omnia membra, ut Salomon testificatur in Cant. 7-4: Collum tuum, (quod est Beata Virgo), sicut turris eburnea ».

✠ EMMANUEL MARENGO
Episcopus Azulensis

2

EXC.MI P. D. GERMINIANI ESORTO
Archiepiscopi Sinus Albi (Bahía Blanca)

Sinus Albi, 28 maii 1960

Eminentissime Domine,

Acceptis litteris tuis, quibus mecum communicabas institutionem Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, quibusque me rogabas ut Tibi, Praesidi huius Commissionis, innotescere facerem si quae vota, consilia et animadversiones voluerim suggerere et ea, omni cum libertate et sinceritate, exponerem ad paranda argumenta Oecumenici Concilii, grato animo, audens illa libertate uti, bono Ecclesiae animarumque saluti, si quo possum, consulere tantum intendens, ea omnia quae adiungo, ad te mittere decrevi, me tuo animo committens accipiendum.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam prosequor meque profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum
✠ GERMINIANUS ESORTO
Archiepiscopus Sinus Albi

De Hierarchia ecclesiastica

1. Regimen universale et dioecesanum Ecclesiae magis repraesentativum, ut dicunt, fiat, salva eius constitutione monarchico-hierarchica; v. gr. legislatione universali firmetur quae in hoc subiecto pro Consilio Episcoporum Americae Latinae (Celam) instituta atque concessa sunt.

Episcopi facultatibus, iis praesertim quae ad regimen dioecesis referunt, modo ordinario et permanenti gaudeant, quae nunc ad casum vel ad tempus conceduntur.

2. Intimius et arctius coordinetur tota actio pastoralis et socialis in unaquaque diocesi sub directione et mandato Episcopi, ad efficacem actionem obtinendam pro necessitatibus veris et urgentioribus dioecesis.

a) Exemptio a iurisdictione Episcopi, quae Ordinibus et Congregationibus religiosis conceditur, vigeat tantum in rebus stricte internis Ordinis et Congregationis.

b) Quoad apostolatum omnis generis externum membra Ordinum et Congregationum Religiosarum, omnino Episcopo subiaceant.

c) Coordinetur, et in quantum fieri potest, iniatur unio utriusque cleri, saecularis et religiosi, in servitium dioecesis vel totius Ecclesiae iunctim dicati, quae dedicatio constitueret fundamentum eius status perfectionis.

d) Suppressio vel nova ordinatio illorum Ordinum vel Congregationum, qui non possunt adimplere fines pro quibus olim instituti sunt.

e) De Capitulo canonicorum et de eius officio nova decernantur iuxta privilegia pro aliquibus locis concessa, ita ut servitium chori, magis ac magis reductum, locum cedat muneri Consilii Episcopi sive in dioecesis regimine gerendo sive in rebus administrandis.

De clero

3. Comparare media ut ratio vitae sacerdotis, studiose servatis quae ad eius statum et dignitatem spectant, ita eum ad populum potius adpropinquet ut sacerdos sit active praesens in rebus et propositis humanis.

4. Opportuna decernere ad vitandam solitudinem sacerdotis, per instaurationem vitae communis vel communem ordinationem actionis (équipes).

5. Constituere, charactere obligatorio, servitium sociale pro sacerdotibus.

6. Absolvere quaestiones de habitu ecclesiastico.

7. Institutio humana et intellectualis cleri aptetur hodiernae conditioni rerum humanarum, necessitatibus et exercitio ministerii, ratione habita cum institutione laicorum et cum spiritu technico nostri temporis, iuxta normas a Sancta Sede datas.

8. Seminaria et domus pro institutione religiosorum ne erigantur nisi adsit sufficiens et quam amplius toto ordine instructa copia sacerdotum et numerus alumnorum.

9. Constituere intervallum plurium mensium vel unius anni durante

ministerio sacerdotum, tempore quod ratione personarum vel circumstantiarum opportunius iudicetur, ut isti a negotiis vitae pastoralis seclusi, pietati, studio et reflexioni incumbant.

De cura animarum in genere

10. Munus pastorale, quod est finis regiminis et legum Ecclesiae, maximi momenti sit et clare emineat in futura actione apostolica Ecclesiae constituenda et in legibus ferendis, ita ut vires omnes Ecclesiae ne dispertiantur sed melius quam arctius in hunc finem obtinendum coadunentur.

a) Solvere sacerdotes, praesertim in Ordinibus et in Congregationibus religiosis, ab omni munere quod laici implere possunt; v. gr. in rebus administrandis, in disciplinis tradendis in collegiis, etc.

b) Detorquere ad laicos (diaconos) quod spectat ad administrationem praesertim oeconomicam in regimine ecclesiastico, tum in ordine dioecesano, tum in ordine paroeciale.

c) Recognitio Codicis Iuris Canonici ad hunc finem obtinendum in legibus et in praxi.

11. Diligenter perpendere normas quae relationes inter Statum et Ecclesiam moderantur ut conditio Ecclesiae omnino independens et ab omni specie cuiuscumque compromissionis libera enucleate evadat.

a) In examen revocetur relatio oeconomica inter Statum et Ecclesiam.

b) Patronatus Status sub omni forma supprimatur.

12. Acre studium implere de sociologia religiosa ad mentem diversarum classium socialium dignoscendam et earum habitudinem ad Ecclesiam.

a) Investigare causas imparis praxis religiosae virorum et mulierum.

b) Remedia significare ad recovandum coetum operarium in sinum Ecclesiae.

c) Decernere media ut Ecclesia sit actu praesens in omnibus inventis progressus hodierni, praesertim in arte cinematographica, radiophonica ac televisifica.

d) Quaerere ubi aliae confessiones religiosae cum Ecclesia Catholica convenire possunt, ad unitatem procurandam.

13. In simpliciorem quam potest formam reducere usos et consuetudines Ecclesiae, qui reformatione capaces sunt, ut magis accommodentur rationi agendi nostrorum temporum.

a) habitus religiosarum et religiosorum.

b) sacrae vestes pro quibusdam actionibus liturgicis.

De Praxi Sacramentali

14. Opportuna statuere de disciplina ad recipienda sacramenta.

a) De baptismo, pro filiis illorum parentum, qui a fide defecerunt vel ab omni praxi religiosa sunt alieni, pro adultis.

b) Praeceptum de recipienda confirmatione.

c) In examen revocentur disciplina et mores introducti in receptione primae communionis et matrimonii, ita ut nihil in hoc vel in aliis similibus inveniatur quod indulgeat mundano usu.

15. Instaurare ordinem diaconatus in Ecclesia, pro viribus solutis vel uxoratis, cum potestate administrandi sacramenta baptismi, communionis, assistendi matrimoniis, concionandi et administrandi bona temporalia Ecclesiae.

16. Institutionem ordinum minorum necessitatibus et conditionibus Ecclesiae accommodare, restituto eorum munere in Ecclesia.

17. Utrum nova disponere conveniat in admittendis ad funera eis, qui nullam vitam christianam degerunt nec signa poenitentiae ante mortem dederunt.

De Institutione Paroeciali

18. Aptare institutionem paroecialem diversae rationi vitae hodiernae et praesenti ordinationi sociali, praesertim in civitatibus, in quarum institutione momentum habeat diversitas vitae, modus vivendi, eruditio, h. e. divisio paroeciarum et earum institutio attentis illis adiunctis fiant, quae magis gentes divident quam territorium.

19. Substituere in doctrina et in lege, conceptum « oeconomicum » paroeciae, pro alio conceptu in quo munus pastorale prae aliis locum ferat.

a) Paroeciae ne « tradantur » sed tantum Parocho et eius cooperatoribus committantur.

b) Parochus, proinde, non acquirat ius proprietatis in omnes proventus, praesertim si hi proveniunt ex iuribus stolae, quae multo differunt ex conditione oeconomica fidelium; sed proventus administrentur ab Episcopo cum suo Consilio, et parte retributa parocho, alia pars pro necessitatibus aliarum paroeciarum et Dioecesis servetur. Examini subiciatur systema stipendiorum pro administratione sacramentorum et celebratione funerum. Optandum ut dos paroeciae constituatur contributione firma et obligatoria fidelium, utpote renovatio legis decimarum et primitiarum.

c) Episcopi potiantur, cum consensu Capituli, facultate removendi

parochos, qui aetate vel alia ex causa gravi paroeciam regere non possunt.

d) Paroecia ita instituatur ut sit reapse nodus et nexus totius vitae et praxis spiritualis omnium fidelium.

e) Supprimere vel in novam formam redigere pias uniones, confraternitates et associationes omnis generis fidelium, iuxta novas formas apostolatus laicorum et praecipuas necessitudines Ecclesiae.

De Liturgia

20. Restituere, in instituenda pietate fidelium, S. Sacrificio Missae sensum et valorem veri sacrificii communitatis.

a) Statuere, illustratione et disciplina opportuna, s. Sacrificium Missae non esse actum pietatis privatae sacerdotis; v. gr. pro celebratione privata S. Sacrificii in ecclesiis ubi fideles ad satisfaciendum praeceptum de audiendo sacro, conveniunt.

b) Usus linguae vernaculae in lectionibus biblicis.

c) Ordinatio participationis activae populi fidelis.

d) Aptare lectiones biblicas missalis institutioni fidelium et sensui liturgico, speciatim in dominicis post Pentecosten.

e) Missa vespertina sit in posterum, ut disciplina ordinaria, recepta in iure.

f) Omnes dominicae semper primatum habeant super festa Sanctorum.

g) Simpliciores et breviores reddere quosdam ritus liturgicos, nempe, consecrationem Ecclesiae, etc.

h) Lingua vernacula, quantum possibile est, in administratione sacramentorum adhibeatur.

i) Breviarium reformetur in sua constitutione interna et externa ordinatione ita ut aptius, si possibile, orationi matutinae, vespertinae et noctis sacerdotis inserviat, et eius absolutio per triginta vel quadraginta puncta pertrahatur.

De catechetica institutione et praedicatione

21. Novo modo ordinare catechesim et praedicationem, quae sua subiecta et methodum hauriant ex Sacra Scriptura et Liturgia.

a) Catechismus et praedicatio ne nimis respondeant cuidam synthesi theologicae pro scholis, quae sit difficilis captu populo.

b) Providere ut praedicatio dominicalis veram constituat catechesim adultorum.

c) Erigere scholas optime toto ordine instructas catechistarum, qui efficacem operam praestent sacerdotibus vel eos suppleant in instituendis fidelibus.

Tota opera detur ad decernenda media ut, omnibus viribus unitis, carpatur ignorantia religiosa, quae est radix et fons omnium malorum. lorum.

✠ GEMINIANUS ESORTO
Archiepiscopus Sinus Albi

3

EXC.MI P. D. CAROLI M. PÉREZ
Episcopi Rivadaviae (Comodoro Rivadavia)

22 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ad acceptissima littera Em. Vestrae diei 18 iunii 1959, pergratum est mihi rescribere.

Ad primum, convocationem Concilii Oecumenici a S. P. Ioanne XXIII, mihi videtur, a Divino Spiritu afflatam esse, propter opportunitatem, transcendentiam atque Ecclesiae maximam utilitatem afferentem

Voveo ut Pontificia Commissio Antepraeparatoria, cui praesidet Em. Vestra, opus commendatum optime perficiat atque ut ita fiat, preces meas et eas omnis Dioecesis Rivadaviae, Altissimo indesinenter elevo.

Ad secundum, ad dandas responsiones petitioni Em. Vestrae, pauper est experientia mea, sed post diuturnam orationem, haec themata exponere audeo, ut a Concilio Oecumenico considerentur:

1. Post nomen Sanctissimae Virginis Mariae, nomen Sancti Ioseph in Canone Sanctae Missae adiungere.

2. Celebrationem Sacri et administrationem Eucharistiae permittere, servatis servandis, quibuscumque horis, sicuti P. M. Pius XII s. m. anno Lourdiano permisit.

3. Programmata Sacrae Scripturae curriculi Theologiae modificari, ut Sacerdotes, Antiquum et Novum Testamentum optime noscant ita, ut Lectiones N. T. illustrent exemplis ac factis V. T. et a primo cursu, vitae ordinariae apostolatus eos applicent, *absque* valde accuratis argumentis ad probandum originem et authenticitatem Sacrorum Librorum.

Seminaria et formationis domus religiosae, praecipue optimos *catechistas informent,* ut Dominum Nostrum Iesum Christum noscere et diligere studiosissime doceant.

4. De Actione Catholica ac de activitate laicorum in Ecclesia, Corpori Iuris Canonici, aliquas leges adiungere.

5. Differentias in applicatione eleemosynarum missarum et funerum, et in administratione Sacramenti Matrimonii, eliminare quoad fieri potest.

Missis Eminentiae Vestrae me et omnem Dioecesim Rivadaviae commendo

Eminentiae Vestrae Rev.mae
add.mus

✠ Carolus M. Pérez
Episcopus Rivadaviae

4

Exc.mi P. D. RAIMUNDI I. CASTELLANO
Archiepiscopi Cordubensis in Argentina (Córdoba)

Cordubae, die 27 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Mihi pergratum est respondere litteris Eminentiae Tuae datis sub die 18 iunii, N. 1 C/59-399, circa futurum Concilium Oecumenicum, cuius Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae digne et efficaciter praees.

Ad rem autem liceat mihi proponere vota vel argumenta quaedam, praeter quaestionem fundamentalem cum orthodoxis et haereticis unionis, quae forte sint magni momenti ad vitam et expansionem S. Matris Ecclesiae:

1. Disciplina et sanctitas sacerdotalis. Melior et accurata institutio clericorum in seminariis; permanentia saltem per annum neosacerdotum in aliquo convictorio speciali ad complendam eorum educationem, maxime in disciplina pastorali, ascetica et Actione catholica, in practica confessionis, praedicationis, etc.; consuetudo vitae communis inter clericos, aut saltem cohabitatio duorum sacerdotum in paroeciis; exercitia spiritualia obligatoria per annum, saltem per quinque dies completos.

2. Communismum. Cum sit intrinsece perversum et haeresis magna huius temporis, Ecclesia promovere debet actionem ordinatam et perseverantem in universo orbe ad praeservandam veram fidem ab insidiis marxismi materialistici. Ad hoc videtur necessarium esse illustrare ad populum errores communistarum, ac praecipue clarissimas normas doctrinae socialis catholicae audacter ad rem deducere quam primum.

3. Roborare auctoritatem Episcoporum aliorumque Ordinariorum ita

ut possint assumere religiosos, etiam exemptos, ad pastoralia munera obeunda in Dioecesi ubi illi habitant, salva semper disciplina et fine specifico uniuscuiusque Ordinis seu Congregationis religiosae.

Hac occasione nactus, Sacram Purpuram reverenter deosculor et me profiteor Eminentiae Tuae addictissimum servum in Christo Iesu

✠ RAIMUNDUS I. CASTELLANO
Archiepiscopus Cordubensis in Argentina

5

EXC.MI P. D. FRANCISCI VICENTIN
Episcopi Corrientensis (Corrientes)

Corrientes, 19 octobris 1959

Subsignatus, Episcopus Corrientensis in Republica Argentina, in responsione ad Prot. N. 1 C/59-405, haec suggerenda existimat:

1. An et quomodo conveniens sit ad pristinam disciplinam ecclesiasticam circa Ordines maiores praesertim, Subdiaconatum scilicet et Diaconatum, redire absque caelibatus voto. Selectio tunc ad sacerdotium candidatorum specialior esset, ac validissimum adiutorium necessitatibus Ecclesiae Christi haberetur, speciatim in regionibus ubi sacerdotum numerus valde exiguus est, ex parte illorum praecipue alumnorum Seminariorum qui, ecclesiasticis studiis peractis, propter nimiam caelibatum servandi difficultatem, clericalem statum relinquunt.

2. An opportunum videatur declarationem conciliarem patrum emittere circa matrimonii Sacramenti sanctitatem, obligationesque coniugum; simulque sollemniter onanismi et abortus peccata universaliter diffusa deplorare, necnon poenas contra similium abusuum stabilitatem reiterare, ut ab omnibus prae oculis habeantur.

✠ FRANCISCUS VICENTIN
Episcopus Corrientensis

6

EXC.MI P. D. PACIFICI SCOZZINA
Episcopi Formosae (Formosa)

Formosa, 15 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Ad litteras Venerabiles Commissionis, ab Eminentia tua suscripta, respondeo:

Nullam suggestionem a me esse faciendam de doctrina vel disciplina.

Eminentiae Tuae add.mus in Domino
✠ Fr. PACIFICUS SCOZZINA, O. F. M.
Episcopus Formosae

7

EXC.MI P. D. GEORGII R. CHALUP
Episcopi Gualeguaychensis (Gualeguaychú)

E Civitate Gualeguaychensi, die 26 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Perlibenter nuntium accepi per literas Eminentiae Vestrae diei 18 iunii 1959 per quas notum factum est mihi, Summum Pontificem, feliciter regnantem, Eminentiam Vestram praesidem constituisse Commissionis antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico concelebraturo, Deo volente. Valde mihi gratum est significare Eminentiae Vestrae vota mea ut hic magnus eventus cedat in proventum dilectissimae Matris Ecclesiae.

Ad adimplenda desideria Augusti Pontificis, quem Deus conservet, et ad fidem augendam, Eminentissime Domine, mihi videtur quod inter innumeras opiniones, sententias et vota Excellentissimorum Episcoporum quae in futuro Concilio agitabuntur, ista sequentia inclui debeant:

1. Ut doctrina quae tenet Beatissimam Virginem Mariam, singulari gratia Dei Omnipotentis, esse mediatricem universalem omnium gratiarum teneatur ut doctrina revelata et idcirco veluti catholicae fidei dogma.

2. Ut instituatur studium de participatione habita a Sancto Ioseph in mysterio redemptionis generis humani, et inde doctrina catholica de hac materia statuatur.

3. Ut revisio perficiatur Codicis Iuris Canonici, et ita fiant immutationes vel emendationes quae ad necessitates pastorales actuales regi-

minis Ecclesiae necessariae fuerint, quae magis consonant et magis sese accommodant actuali tempori. Et ita ut imminuetur numerus censurarum, speciatim in quantum ad excommunicationes spectat. Et ita porro, ut assistentia sacerdotis in sacramento matrimonii semper valida sit, etsi illicita, quamvis careat iurisdictione ordinaria vel delegata.

4. Ut in administratione sacramentorum Baptismi et Extremae Unctionis imminuantur eorum ritus, et ita in caeremonia liturgica consecrationis Ecclesiae.

5. Ut in creatione novae Dioeceseos, divisione, mutatione circumscriptionis, vi canonis 215, aequalis, vel proportionalis divisio bonorum intersit, et in hac materia, applicentur regulae iustitiae socialis, speciatim in divisione novae circumscriptionis; enimvero sunt dioeceses quae magnis copiis sese locupletant, dum sunt quae magna egestate laborant.

6. Ut errantes a vera fide et acatholici, et ad fovendam unionem omnium christianorum in una vera fide, et Ecclesia, ubi quaedam boni fructus spes affulgeat et iuxta personarum et locorum adiuncta praebeantur his fratribus nostris omnes facilitates, in quantum fieri potest, quae ad hunc finem conducunt, firma, tamen, fide catholica, et remoto omni scandalo.

7. Ut denuo condemnentur formaliter errores laicismi moderni in quantum attinet ad matrimonium dictum civile tantum, ad educationem iuventutis (Schola laica), ad relationes sociales et ad relationes inter Ecclesiam et Statum.

Et interim, velit Eminentia Vestra, accipere vota mea ut Concilium Oecumenicum futurum, in Ecclesiae bonum et in splendorem cedat.

Eminentiae Vestrae addictissimus
✠ GEORGIUS R. CHALUP
Episcopus Gualeguaychensis

8

EXC.MI P. D. HENRICI MUHN
Episcopi Jujuyensis (Jujuy)

Jujuy, die 5 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est ad attentam communicationem Eminentiae Vestrae Reverendissimae N. 1 C/59-654, respondere.

Manifesto quod vota exigui numeri sacerdotum et religiosorum de hac

Dioecesi, meique propria, ad reformationes liturgicas se referunt; id est, ut administratio sacramentorum, forma excepta, in vernacula lingua fiat; reformatio missalis et breviarii, pro quibus reformationibus speciales commissiones, ut scimus, iam formatae sunt.

Quod ad me spectat, cum sim gravatus attentione extensae Dioecesis Jujuyensis ubi pauci sacerdotes sunt, et cum in attentione directa fidelium debeam collaborare nequeo visionem exactam magnarum necessitatum Ecclesiae Universalis habere, quae, pro altera parte, bene notae erunt Illustribus Praelatis qui in corde Almae Urbis incumbunt studio organicae partium structurae Concilii Oecumenici.

Interea me profiteor Tibi addictissimum in Christo Iesu Domino Nostro,

✠ HENRICUS MUHN
Episcopus Jujuyensis

9

EXC.MI P. D. ANTONII I. PLAZA
Archiepiscopi Platensis (La Plata)

La Plata, die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Grato animo accipiens Litteras ab Eminentia Tua missas die 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-723), ex corde adhaereo hos omnibus quae Augustus ac Sanctissimus Pater Ioannes XXIII, relate ad Concilium Oecumenicum disposuit aut in futuro disponendum iudicabit.

Petitioni igitur tuae libenter annuens, consilium adhibens eorum qui in ministerio mihi assistunt, et re attente perpensa, visum est haec proponere, quae relate ad unitatem necessitatibus Ecclesiae in his regionibus magis videntur consulere.

1. Cum magis ac magis urgeatur necessitas coordinandi totam actionem apostolatus cuiuscumque ordinis cum proprio Episcopo, determinandum est:

a) Quomodo fovenda efficax communicatio inter religiosos et cum episcopo (v. gr. regimen exemptionum).

b) Quae sint relationes consociationum laicalium et Institutorum (v. gr. educationis) a religiosis etiam exemptis dependentium, cum Episcopo in ordine ad hunc apostolatum dioecesanum.

c) Schema codificationis apostolatus laicorum.

2. Necessitas, equidem maxima, promovendi et exigendi secundum

bene stabilitas normas catechesim adultorum; qua in re attendendum est:

a) Ad disciplinam sacramentorum.

b) Ad tempora liturgica.

c) Ad usum linguae vernaculae in aliquibus partibus liturgiae.

d) Ad maiorem usum Sacrae Scripturae in lingua vernacula in actione liturgica et secundum schema catecheticum necessitatibus hodiernis accommodatum.

Interim Eminentiae Tuae deosculans Sacram Purpuram me profiteor addictissimum servum

✠ ANTONIUS I. PLAZA
Archiepiscopus Platensis

10

EXC.MI P. D. HENRICI RAU

Episcopi Maris Platensis (Mar del Plata)

Mar del Plata, die 20 aprilis 1960

Excellentissime Domine,

Pergratum mihi est omni cum sinceritate responsionem mittere duabus Litteris — Prot. N. 1 C/59-808 — quibus Excellentia Tua postulabat opinionem meam aliorumque peritorum ecclesiasticorum huius dioecesis circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

I. *Doctrinae capita*

a) Arbitror necessariam esse declarationem quamdam *doctrinalem,* sollemnem, omnino explicitam, de « atheismo positivo », communismo atheo, seu de materialismo dialectico..., non solum theoricam, sub multiplici eius aspectu, seu philosophicam, sed vel maxime respondentem expositionibus concretis quae solent fieri ab auctoribus huius doctrinae quae ut nulla alia, seducit populum. Deberet, ut credo, non solum exponi, sed refutari etiam positive: indicando remedia quibus possit cohiberi praecipue in ambitu « universitario » ... et contraponendo huic errori valde diffuso pulchritudinem doctrinae christianae.

b) Aliqua, etiam, videtur, dicenda sunt de mirabilibus inventis technicae modernissimae, quae solent adhiberi ab incredulis ut argumenta contra Providentiam ...: vires « nucleares », T-V., « peregrinationes » ad libitum usque ad alios planetas ...

Necnon, de inventis in rebus psychologicis (Psychologia Profunda ...).

c) Fortasse exponenda esset doctrina catholica de « migratione » populorum, de regionibus excessive populosis (superpoblación); de distributione aequitativa et « radicatione » personali et familiari innumerorum emigrantium (« refugiados ») expulsorum e sua patria... Quaenam sint obligationes Status, fidelium ... relate ad eos ...

II. *Disciplina cleri*

a) Necessitas urgenda videtur « vitae interioris » profundioris in utroque clero ... Remedia eam fovendi, praesertim Exercitia Spiritualia, quotannis, obligatorie facienda. Officium Divinum, brevius fiat, saltem in festis, quando urgent officia pastoralia. Immo, aliquibus diebus laboris extraordinarii, brevissimum sit ...

b) Restringenda — videtur — « exemptio » Religiosorum saltem in aliquibus casibus. Magis urgenda est eorum subordinatio Episcopis. Item, arbitror debere restringi facultatem Religiosorum relative ad Paroecias « pleno iure ». Bene distinguenda est amplitudo facultatum Parochi et Superioris et urgenda cooperatio magis sincera inter utrumque clerum in rebus quae attingunt apostolatum.

c) Permulti expectant declarationem S. Sedis de celibatu. Multum locuti sunt de hac re « periodica », esse, e. gr., voluntatem proximi Concilii, abrogare hanc legem ... Inculcare oportet, ut credo, fundamenta theologica, magis quam rationes canonicas et historicas. Iudico hoc problema esse intime connexum cum quaestione posita in (a): de « vita interiore ».

Aliquid etiam dicendum videtur de habitu clericali: suadenda quaedam regula uniformis pro toto mundo?

III. *Disciplina populi*

a) Clarius definienda sunt quaedam capita doctrinalia et practica relate ad « Actionem Catholicam ».

b) Urgenda in tota Ecclesia arctior « coordinatio » fidelium et coetuum religiosorum et laicalium *cum* et *in* Episcopo.

c) Relate ad liturgiam: paulatim permittendi textus in lingua vernacula ut facilior reddatur participatio populi.

IV. *Actuositas Ecclesiae*

a) Sancta Sedes immediate intervenire in gravissimo problemate distributionis cleri in America Latina; statuere normas ad hoc ut celerius et in melioribus conditionibus quamplures sacerdotes possint exire e sua dioecesi et admitti in illis dioecesibus Americae Latinae in quibus sollicitati fuerint ab Episcopis. Magnae adhuc sunt in hac re difficultates.

b) Videtur necessariam esse existentiam alicuius « organismi centralis internationalis », apud Vaticanum, immediate dependentis a beatissimo Summo Pontifici, qui constet e sacerdotibus et laicis, repraesentantibus totum mundum, in quantum hoc fieri potest, cuius officium sit: *a*) studere ... cognoscere magna problemata huius temporis ... *b*) notas facere quaestiones... *c*) suggerere, indicare solutiones, tradere normas pro universa Ecclesia, et hoc quidem cum maxima « agilitate » ...

Rogo Excellentiam Tuam accipias benigne haec vota relativa ad futurum Concilium.

Fausta quaeque Excellentiae Tuae a Domino adprecor

Excellentiae Tuae Rev.mae
add.mus
✠ HENRICUS RAU
Episcopus Maris Platensis

11

EXC.MI P. D. ALFONSI M. BUTELER
Episcopi Mendozensis (Mendoza)

Mendozae, die sexta aprilis 1960

Eminentissime Pater,

Grato animo referam Eminentiae Tuae quae proponenda videntur in futuro Concilio. Et breviter illa dicam quia non pauca ex toto fere mundo ad Eminentiam Tuam pervenient.

Maxima horum temporum tristitiae causa et angustiae, meo iudicio, esse debet « laicizatio » in essendi modo atque vivendi sacerdotum tam religiosi cleri quam dioecesani. Opinantes ipsi quod mundus hodiernus hoc unico modo ad Deum converti potest, participes fiunt fere omnium novitatum quae secum affert vita huius saeculi. Et ita paulatim ab omni norma vitae vere sacerdotalis, sensim sine sensu, ipsi recedunt.

Unde concludere licet: veram interiorem et spiritualem vitam sacerdotum, hodiernis progressus materialis vitae exigentiis, regressum quasi ad nihilum fecisse. Et hoc apparet modo etiam publico quum palam positivas leges quae disciplinam spectant audacter spernunt.

Concilium Oecumenicum, ut mihi videtur, modo aliquo speciali, curam Ecclesiae circa cleri sanctitatem pro temporum urgentia, prae oculis habere oportet. Redire quam cito indigemus ad strictiorem clericorum vitam, ut omnes sentiamus Iesu Christi verba dicentis nos non de hoc mundo esse etiamsi in illo vivamus.

Si sanctus clerus catholicus est, sanctificabitur fidelium societas. Secus ad peiora ibimus.

Haec mihi occurrunt dicenda litteris Eminentiae Tuae respondendo. Eminentissimi Patres videbunt quomodo in praxim reducenda erit haec mea propositio. Censura quaedam non parvi momenti imponenda fortasse erit contra contumaces qui verbo aut opere despicere audeant humilem pietatem humilemque oboedientiam, vestem talarem, tonsuram capillorum, necnon pias consuetudines quae sanctum et pium sacerdotem ornant et manifestant, sacerdotem nempe qui iuxta antiquos et laudabiles canones vitam gerit.

Faveat Deus Ecclesiam suam benedicere ut in meliorem vitam et frugem omnes fideles, praecipue vero sacerdotes, convertat.

Interim preces nostras continuo ad Patrem elevemus pro nostra sacerdotali sanctitate.

✠ Alfonsus M. Buteler
Episcopus Mendozensis

12

Exc.mi P. D. MICHAËLIS RASPANTI
Episcopi Moronensis (Morón)

Dabam Pago Moronensi a. d. VIII K. maii anno MCMLX

Eminentissime Domine,

Pergratum quid mihi videtur fecisse cum responsionem praebeam petitioni quam tu, Eminentissime Domine, Praeses Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico dignanter mihi fecisti, a. d. XV K. Aug., transacto anno MCMLIX. Habe me excusatum, quaeso, si moram aliquam diversis causis fecerim.

In primis libenter mihi liceat intentionem Sanctissimi Domini Ioannis Pp. XXIII, gloriose regnantis, Oecumenicum Concilium celebrandi, laeto corde esse receptam, exponere. Absque dubio hoc magnum opus Concilii, Sanctae Matri Ecclesiae iam perenniter a Christo vivificatae, aliquid novum virtutis inferet atque donabit illi instrumenta efficaciora ad difficultates novissimi saeculi continua evolutione suscitatas magis ac magis solvendas.

Animo opem ferendi aliquo modo, quamvis humiliter, ad praeparationem illius magni eventi Sanctae Matris Ecclesiae, gratum mihi videtur de hac re si licet, aliquid tibi tradere ut ista Pontificia Commissio pro futuro Concilio consideret.

1. Ope Sancto Sacrificio Missae assistendi, sicque praeceptum dominicale facilius implendi, fidelibus concedatur facultas hoc praeceptum etiam die sabbati horis postmeridianis satisfaciendi.

2. Cum praecipue in regionibus Americae Latinae fideles linguam latinam dignoscant, ad maiorem intellectionem rituum sacrorum, usus permittatur linguae vernaculae, saltem in partibus variabilibus Missae, ut in Sacramentis conficiendis, excepta eorundem Sacramentorum forma.

3. Utile videretur si Pontificale Romanum et Caerimoniale Episcoporum, exigentiis mundi recentioris conformentur.

4. Ut Diaconatus hominibus laicis, aptitudines convenientes habentibus, ad sacerdotes adiuvandos quibusdam actionibus liturgicis, speciali modo locis egentibus defectu sacerdotum, instituatur.

5. Religiosorum communitates invitationem recipiant ut adiutorium in ministerio animarum conficiendo suam cooperationem, praecipue diebus festis, magis ac magis offerant.

6. Sanctum Missae Sacrificium ab Introito incipiat, et benedictione finali concludatur. Etiam forma ad Sacram Communionem administrandam brevietur hoc modo: « Corpus Christi. Amen ».

7. Paschale Praeceptum sic proponatur: « Semel in anno Eucharistiae Sacramentum saltem recipiatur, si fieri potest, tempore paschali ».

8. Religiosae, post Novitiatum expletum ad formationem catechisticam accuratius acquirendam, per aliquot annos vacare obligentur, et sic aptiores efficiantur ad sacram religionem docendam.

His peractis, spero te, Eminentissime Domine, esse contentum, et fausta quaeque a Domino adpraecor. Eminentiae tuae Rev.mae. Add.mus fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
Add.mus

✠ MICHAËL RASPANTI
Episcopus Moronensis

13

EXC.MI P. D. AUGUSTINI HERRERA

Episcopi Sancti Dominici Novem Iulii (Nueve de Iulio)

E Civitate Sancti Dominici Novem Iulii, 2 sept. 1959

Eminentissime Domine,

Acceptis litteris, quibus Nobis communicare voluisti desideria Summi Pontificis feliciter regnantis, Ioannis XXIII opiniones cognoscendi, consilia atque vota Episcoporum ubique terrarum circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, rebus bene perpensis, humiliter, reverenterque Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae, has animadversiones considerandas tradimus quae ad *C.I.C.* respiciunt:

1. Legislationem canonicam circa validitatem in matrimoniali sacramento administrando, Nobis videtur RR. PP. simpliciorem reddere debere praesertim quoad delegationem generalem spectantem pro his qui Vicariorum Cooperatorum officio carent (can. 1096).

2. Confessio nupturientium, iterum ante celebrationem matrimonii praescribenda, praxi consulitur (can. 1033).

3. Notio et natura beneficii (can. 1409), praecipue paroecialis, denuo considerari oportet, ut dioeceseos gubernatio et ipsum ministerium pastorale quam plurimum iuvetur. Ad hoc, videtur v. gr. sequentia proponenda:

a) Ut stabilitas parochorum ultra decem annos ordinarie non protrahatur, ideoque, distinctio inter paroecias amovibiles et inamovibiles, abolenda est.

b) Ut beneficiarius ne sit dominus absolutus emolumentorum beneficii paroecialis, sed eius administratio melius a Curia dirigatur. Sic avaritiae pericula vitarentur his in regionibus satis frequenter in trutinam redigenda cum scandalo fidelium. Immo et ita ipsa amotio parochorum, gravibus de causis, facilius redderetur, absque iudicii necessitate, quae gravia incommoda saepe saepius secum ferri solent.

c) Ut in ecclesiis cathedralibus ubi Capitulum desit, ipse Episcopus parochi functiones adsumat, instituens Vicarium Actualem. Experientia teste paroeciae cathedralitiae magnas difficultates afferunt, tum Episcopo cum etiam Capitulis.

4. Ne alius canonicus ordinationis titulus adsit in posterum, pro sacerdotibus dioecesanis, quam « ad servitium dioeceseos », quo quis clericus nihil amplius exigere queat « ex iustitia » quam congruam eius

sustentationem, minime vero ipsius familiae. Immo, utinam una cum testimonio et iusiurando de coelibatu, nonne consentaneum esse quoque et a subdiaconis exposcere iusiurandum non cumulandi bona temporalia ex beneficiis ecclesiasticis, nec in negotiis saecularibus se immiscendi, nec quaerendi activitates quae propriae sunt laicorum, ut honores, officia civilia, rerum politicarum gestionem, etc. sicut et ipsa docentiam in scholis non religiosis? (can. 979).

5. Annuae communionis praeceptum, Nobis videtur melius in praxi, saltem pro nostris regionibus, non ad tempus paschale reducere, quamvis hoc protrahatur, sed simpliciter statuere ut semel in anno, quolibet die intra annum civilem, praeceptum adimpleatur. At vero, communio paschalis iugiter quamplurimum commendanda suadetur (can. 859).

6. Pueris administratio Confirmationis Sacramenti, nonne melius videretur simpliciter petere post primam Communionem? Ita eorum instructio magis accommodata esset (can. 788).

7. Denique, celebrationes Synodi sufficiens videtur exigere ut aliquoties peragatur, iudicio Ordinarii. His in regionibus, v. gr. sunt dioeceses quae tercentis abhinc annis ullam Synodum celebrarunt et de omnibus dioecesibus quae in Republica sunt, non excedunt quinque in numerum quae eam celebrarunt post *C.I.C.*

8. Etiam requiritur novus conceptus operum servilium ad praeceptum adimplendum de festo servando. Utinam quoque et dies festivi pro universa Ecclesia definiendi sint. Immo, et ieunii atque abstinentiae, maxime si in considerationem vertitur conditio plurium locorum et praesentibus circumstantiis.

Haec pauca et non maioris momenti Nobis videtur pandere et de rebus doctrinalibus aliis competentioribus relinquendo iudicia, ac denique votum tantum manifestamus accipiendi postea iam schemata in concreto, saltem de rebus maximis, ut animadversiones facilius et opiniones reddantur.

Interea, Eminentiae Vestrae Sacram Purpuram reverenter deosculans, Nostri animi sensus profitemur ex corde.

✠ AUGUSTINUS HERRERA
Episcopus S. Dominici Novem Iulii

14

Exc.mi P. D. ZENOBII L. GUILLAND
Archiepiscopi Paranensis (Paranà)

Romae, 17 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Cum iam Romae sistebamus occasione quinquennalis Visitationis ad Apostolorum Limina, ad Archiepiscopalem Sedem Paranensem pervenit, prima medietate mensis Augusti tuam epistolam diei 3 iunii c. anni, cuius exemplar paucis abhinc diebus, in hac eadem Urbe recepimus.

Hac de causa sero hoc remittimus responsum.

Nostras animadversiones, consilia et vota expostulas circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Re mature ante Deum perpensa, qua par est reverentia, sincere malumus relinquere istae Commissioni libertatem ut scientia et prudentia quibus pollet decernat quidquid ipsae utilius et opportunius videbitur pro Ecclesiae bono et animarum emolumento.

Spiritus Sancti gratia illustret et dirigat citius Commissionis labores et opera.

Occasionem arripimus tibi profitendi impensos nostri animi sensus.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus in Christo

✠ Zenobius L. Guilland
Archiepiscopus Paranensis

15

Exc.mi P. D. GEORGII KÉMÉRER
Episcopi Posadensis (Posadas)

Die 30 augusti 1959

1. Quam maxime fructuosa sicut et « actuosa » participatio christifidelium ad mentem Constitutionum Apostolicarum, in primis Encycl. *Mediator Dei, Mystici Corporis* aliarumque Pii Papae XII, in sacro Cultu Deo offerendo, praecipue in Sancto Sacrificio Missae, ita ut assistentes, divitias et dulcedines Liturgiae Sacrae percipiendo, nutriantur et ex communi effusione orationum et concentuum una voce Deum laudantium fiat cor unum, unaque familia Dei, unaque acies bene formata contra tot adversarios nominis Christi animarumque ab Eo redempta-

rum. Ut tali participatione etiam rudibus mentibus comprehensibili et gustabili desides attrahantur et praeceptum audiendi Missam tamquam grave ab Ecclesiae doctoribus exhibitum nec sensu privetur nec fructu neque foveat formalismum religiosum tam acriter a Domino repudiatum et impugnatum, sed, e contra, contribuat ad rationabile Deo praestitum obsequium solidamque aedificationem Ecclesiae Suae Sanctae. Hoc modo etiam vitaretur, in tanto discrimine rerum, ne adeo necessaria media sanctificationis animarum et unificationis fidelium reservata manerent nimis exiguo et privilegiato numero eorum qui latini sermonis sunt ignari.

2. Ut tot oppidis et vicis, sacerdotali ministerio orbatis, singulis saltem diebus dominicis et festivis tribuatur quaedam « Liturgia Verbi », consistens in lectione et explicatione Verbi Dei, canticis necnon caeremoniis pietatem et unionem fidelium foventibus, a legitima auctoritate ecclesiastica confecta seu approbata, ne catholici nominis christiani careant iis quae haereticas communitates consolidant, paulatimque fide debilitentur et in retia superstitionis et erroris facile incidant.

3. Ut Episcopo Dioecesano efficaciter totoque animo adsistant in evangelizatione et restauratione gregis sui in Christo omnes religiosi sicuti pro catechetica instructione canone 1334 explicite sancitum est, nec littera regulae possit opponi rigoroso mandato Christi. Recordetur quae Pius Papa XII in primo Congressu internationali Religiosorum Romae celebrato anno 1950, die 8 decembris, strenuis clarisque verbis declaravit: « Sine ulla haesitatione, secundum praeceptum iuris divini, sacerdos saecularis aut religiosus, ministerium suum exercere debet tamquam collaborator episcopi et sub directione episcopi. Immo ipsa exemptio ordinum religiosorum nullo modo opponitur principiis constitutionis datae a Deo Ecclesiae; ipsaque exemptio nequaquam contradicitur legi illi ob quam sacerdos oboedientiam debet episcopo. Re vera, ad normam iuris canonici subiciuntur religiosi exempti Episcopo loci tantum quantum exigit adimpletio muneris episcopalis et bona organizatio spiritualis curae animarum » (« En effet, d'après le droit canonique, les religieux exempts sont sous la dépendance de l'évêque du lieu, autant que le réclament l'accomplissement de la charge épiscopale et la bonne organisation de la charge spirituelle des âmes » (Documentation Catholique, 1950, p. 1671).

4. Simili modo desideratur instrumentum iuridicum quo *omnes laici,* praeprimis qui *cuicumque associationi* piae nomen dederunt, adstringantur ad apostolatum, sub ductu Pastoris, prouti vires, ingenium, circumstantiae id permittant.

✠ GEORGIUS KÉMÉRER
Episcopus Posadensis

16

Exc.mi P. D. IOANNIS IRIARTE

Episcopi Reconquistensis (Reconquista)

I. *Consideratio generalis*

A) Fere omnia quae in hoc responso suggeruntur *disciplinam* attingunt, non doctrinam.

B) *Obiectum Concilii*: Censeo omni vi ac decisione impelli debere Ecclesiae adaptationem evolutioni mundi hodierni.

C) *Facta*:

1) Tam in mundo quam in Ecclesia citissime res evolvuntur et immutantur (biblica interpretatio - disciplina S. Eucharistiae...).

2) Plura et praecipua quae in Ecclesia hodie fiunt adhuc instabilia et immatura non plene sunt evoluta (actio laicorum, exempli gratia, populi participatio in S. Sacrificio Missae et alia).

D) *Unde* videtur officium esse Concilii:

1) *aperiendi ianuam* ampliori libertati experiendi in iis rebus, demptis prudenter regulis quae id nimis coarctant;

2) *impellendi Ecclesiae reformationem* sensu quo oporteat;

3) *non tamen mutandi legislationem veterem in aliam nimis praecisam ac definitam* quae, in hoc tempore experimenti et evolutionis duplicem posset habere effectum nocivum:

a) *impediendi ulteriorem perfectionem* evolutionis adhuc in exsecutione (v.gr. laicorum status activus in Ecclesia);

b) *imponendi praemature* normas quarum adimpletioni multi nondum sunt parati. Sic verbi gratia reformatio profunda in regimine oeconomico (stipendiorum, beneficiorum, ascensus ad dignitates et aliorum) quam generalis sensus Ecclesiae exoptat non videtur adhuc absolute imponenda ex allata ratione. Hoc non impedit Concilii suggestiones et impulsus in iis experiendis quae exoptanda videantur.

II. *Universalis Ecclesia*

A) Simpliciora omnino reddere Ecclesiae omnia, quo melius evangelicae simplicitati et paupertati cohaereant ac hodiernae aetatis placitum priscorum temporum usibus non oppugnant.

Sic fieri oportet:

a) in vestibus praelatitiis;

b) in modo loquendi documentorum ecclesiasticorum (tam romanorum quam episcoporum);

c) in aedibus sacris struendis;

d) in modo procedendi curiae;

e) in luxu aedium Nuntiorum Apostolicorum;

f) suppressione titulorum nobilitatis pontificiae;

g) suppressio item nominationum mere honorificorum pro ecclesiasticis viris.

B) Tolli oportet nimia praeeminentia occidentalis ac Europae in Ecclesia, quae est universalis ac talis debet etiam omnibus videri.

C) Sic igitur fieri oportet in ipsa Curia Romana universaliori reddenda, proportionata participatione omnium populorum.

D) Suaviter sed firmiter impellatur distributio cleri et religiosorum proportione habita cum necessitatibus cuiusque regionis.

E) Maior in dies exoptatur activa participatio omnium Ecclesiae membrorum in vita et ductu eiusdem, servato quidem ordine constitutionis divinae hierarchiae monarchicae. Sic desideratur:

a) maior opinionum libertas;

b) consultationes numerosiores;

c) maior participatio in laboribus.

F) Roboratio organizationis ecclesiasticae in ordine nationali coram statu civili, nunc potentissimo in ordine sociali. Infirmior videtur Ecclesia in illo ordine, dum melius se habet in ordine dioecesano ac internationali.

G) Conari oportet Ecclesiam liberare ab oeconomica dependentia a Statu civili, cum hoc fidelium sit officium.

III. *Dioecesis*

A) Plenior coordinatio laboris in dioecesi penes Episcopum et optabile Consilium Dioecesanum, ne vires deperdantur, praesertim in magnis dioecesibus.

B) Suppressio aut modificatio Capituli Canonicorum, quod in praxi plerumque non agit ut senatus Episcopi.

C) Promovere distributionem aequam ingressuum dioecesanorum, ut ex una parte superflua aut minus utilia vitentur et ex alia alibi necessaria non careant subsidio opportuno.

IV. *Paroecia*

A) Adaptatio paroeciarum hodiernae dispositioni magnarum urbium, ubi plus attendenda videntur diversitas culturae et laboris ac pluralitas humanorum conventuum quam dimensiones geographicae.

B) Paroeciam impellere ad actionem vere missionariam, qua nunc plerumque eget partim ex sua ipsa dispositione organica.

C) Ab ea tollere qualitatem « beneficii » sapiens semper ideam argenti et lucri, quod valde impedit pastoralem profectum paroeciarum.

Ad hoc:

1) Paroecia non debet « dari » parocho, sed eius curae « commendari ».

2) Parochus ab Episcopo debet posse amoveri cum infirmitas physica aut psychica, aetas vel alia id suadeant sine processu, ut apud religiosos fit pro suis officiis; nec hoc habeat ullam speciem sanctionis poenalis.

3) Stipes (collectae et iura stolae) paroeciarum simul cum sumptibus distribuenda sunt aeque pro tota dioecesi.

4) Suppressio necessaria est omnium stipendiorum seu taxarum fixarum in administratione sacramentorum, ac praesertim suppressio diversitatis classium in sollemnitate nuptiarum ac in funeribus defunctorum, quod pluribus scandalum est.

Notandum vero in hac re moderanda reformationem non posse esse nisi post praeparationem et per gradus, quo minor sit oppositio.

V. *Cleri disciplina*

A) Reaffirmanda videtur stricta caelibatus disciplina ut omnis via obstruatur iis qui illam infirmare conantur.

B) Exaltanda videtur etiam necessitas virtutum sic dictarum « passivarum » quae hodie nimis despiciuntur et in praxi tergiversationi subduntur, praesertim *virtus oboedientiae.*

C) Laudandus videtur ac promovendus paupertatis spiritus et etiam actualis paupertas in omnibus gradibus Cleri. Haec enim valde confert ad apostolatum hodiernum in pluribus populi coetibus.

D) Examinare opportunitatem determinandi periodum aliquam meditationis et studii rerum actualium pro sacerdotibus decimum aut quintum-decimum ordinationis annum agentibus. Posset esse durationis fixae aut variabilis, obligatoria aut initio « ad libitum ».

E) *De Seminariis in formatione Cleri*:

1) Facultatem concedere libere experiendi diversas methodos formationis sacerdotum, praesertim *pro vocationibus « serotinis »*.

2) Formationem quaerere austeram in simplicitate et paupertate.

3) Utiliter tribueretur tempus determinatum exclusive aut maxime dedicatum spirituali formationi, ad modum Novitiatus religiosorum.

4) Item periodus aliqua dicanda videtur ad praxim pastoralem, forte ante Subdiaconatus ordinem.

5) Promovere suppressionem Seminariorum in locis ubi parvus

numerus alumnorum, professorum aut mediorum indigentia et insufficientia mediocritati favent deprimenti. Suo loco fovere institutionem Seminariorum « Interdioecesanorum ».

6) Recognoscere ac studere reformationi Ordinum Minorum, quarum significatio hodie hominum mentes plerumque effugit, prout sunt.

F) *Religiosi*:

1) Suppressio aut modificatio illarum Congregationum quarum obiectum deficit ob impossibilitatem adimpletionis sive ex ipso fine sive ex insufficienti numero membrorum.

2) Imponenda iuxta hodiernas necessitates reformatio familiarum religiosarum mulierum in moribus, vestibus, devotionibus, formatione religiosa et morali et aliis, ne obstent diffusioni et honori vitae religiosae in Ecclesia.

VI. *De laicis*

A) Fortiter impellere ac fovere activam praesentiam laicorum in Ecclesia, agnoscens illorum locum proprium, iuxta Pii Papae XII doctrinam.

Damnare errorem confundentem oboedientiam Hierarchiae debitam cum absoluta passivitate, quae graviter nocet Ecclesiae.

B) Auxilium fovere internationale pro laicis mittendis nationibus egentibus seu minus religiose evolutis.

C) Non videtur conveniens leges ferre definitivas vel absolutas circa laicorum iura et officia in Ecclesia; nam hoc adhuc evolvendum censetur.

VII. *Actio pastoralis generalis*

A) Concilium supprimere conetur obstacula ad finiendam *effeminationem Ecclesiae* in modis et formis orationum, in distributione horarum cultus, in normis statuendis, in relationibus sacerdotum cum laicis, et pluribus aliis.

B) Idem dicendum de *absentia operariorum*: separandi modi degendi offendentes operarios in formis loquendi, in rebus oeconomicis moderandis, in suppellectili domorum parochorum, in sensibilitate relate ad problemata oeconomico-socialia, in defendendis ideis capitalismi et aliis.

C) Conamen omnino faciendum dialogi cum « civilizatione technica » circa theologiam, philosophiam, artes litterarum, formationem sacerdotalem et cetera, impositis etiam necessariis sacrificiis etsi dolorosis, ne Ecclesia aliena maneat civilizationi nunc orienti.

D) Elucidare vel reformare notionem *laboris « servilis » prohibiti* et *otii festorum dierum*.

E) Nova consideratio poenarum *ecclesiasticarum* hodie fere inefficacium sub forma actuali.

F) Novum examen disciplinae circa prohibitionem librorum et « Indicem » ac libros in eo damnatos.

VIII. *Liturgia*

A) *Reformatio Breviarii Romani* seu recitationis Officii Divini dispositione logica atque lectionibus historicis hodiernae criticae historicae accommodatis.

B) *Ritualis Romani reformatio* adaptatione linguae et formae hodiernis necessitatibus.

C) *Suppressio aut innovatio festorum,* quae in praxi populi christiani non servant pristinam significationem: quattuor Tempora.

D) Legem ferre circa *participationem fidelium in celebratione Missae.*

E) Supprimere omnes limitationes temporis in celebratione Sacrificii Missae et distributione S. Communionis, manente libertate actuali horam seligendi pro lubitu in ceteris actionibus liturgicis peragendis atque in aliis sacramentis administrandis.

✠ Ioannes Iriarte
Episcopus Reconquistensis

17

Exc.mi P. D. IOSEPHI MAROZZI
Episcopi Resistenciae (Resistencia)

Resistenciae, 21 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Notum facio Eminentiae Vestrae Reverendissimae accepisse Litteras diei 18 iunii, currentis anni (Prot. N. 1 C/59-1108), per quas mihi communicas Summum Pontificem Ioannem XXIII instituisse Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico, cui Eminentia Vestra Rev.ma praeest; necnon Augustum Pontificem desiderare opiniones seu sententias cognoscere circa ea omnia, quae in Concilio Oecumenico erunt convenienter disserenda.

Imprimis, gratulor de electione Eminentiae Vestrae Reverendissimae ad officium praesidis huius Commissionis Antepraeparatoriae. Postea, circa negotia tractanda in Concilio, praeter magnam quaestionem unitatis

fidelium etiam errantium in Una, Sancta, Catholica, et Apostolica Romana Ecclesia, mihi liceat suggerere sequentia:

1. Circa matrimonium, permittere eius validitatem, manente tamen illiceitate, in defectu iurisdictionis ex parte ministri assistentis.

In locis missionum vel in paroeciis extensis, valde difficile est circumscribere exactam iurisdictionem territorii. Ex hac causa, non raro parochus vel vicarius cooperator, tempore missionum vel aliqua causa pia, transfert iurisdictionem paroecialem pro celebratione matrimonii, originans involuntarie vel imprudenter eius nullitatem, sed in damno contrahentium.

2. Permittere clericis non sacerdotibus, seu religiosis cum votis ministrationem aliquorum sacramentorum, absente vel deficiente sacerdote, v. gr. Eucharistiam, Baptismum, et etiam praedicationem etc.

3. Damnare laicismum, ut doctrinam, ex eius effectibus perniciosis in vita christiana fidelium.

His pro munere significatis, omni quo par est obsequio me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae

✠ Ioseph Marozzi
Episcopus Resistenciae

18

Exc.mi P. D. LEOPOLDI BUTELER

Episcopi Rivi Quarti (Rio Cuarto)

Río Cuarto, Julio 28 de 1959

Eminentísimo Señor Cardenal,

Contesto Vuestra Nota de fecha 18 de Junio del corriente año en la que se pide el parecer de este Obispo Diocesano sobre asuntos a tratarse en el próximo Concilio Ecuménico.

Ante todo pido disculpa por usar el idioma castellano. Lo hago así creyendo poder ser más explícito en el planteo de los asuntos.

A cuatro reduzco los puntos de mi respuesta: Protestantismo, Comunismo, Espiritismo y Vida Licenciosa.

Protestantismo.

El Protestantismo que tenemos en América es furiosamente proselitista, y se lanza a la campaña de lucha entre los católicos pretendiendo arrebatarles su Fe. Creemos que podría limitarse a defender la religión tradicional de sus familias.

El Gobierno actual de Norteamérica ha dado muchas pruebas de sensatez y de comprensión. Yo pienso que sería conveniente dirigirse a ese Gobierno, pidiéndole hacer valer su influencia para mitigar la belicocidad de las sectas protestantes e impedir el envío de capitales, grandes capitales, para la lucha contra los católicos.

Comunismo.

Creo conveniente hacer una capaña universal procurando en el seno del Catolicismo, la mejora de las costumbres, pues esta es la más eficaz manera de luchar contra el Comunismo, que prospera con la corrupción de costumbres.

Espiritismo.

Creo que para luchar eficazmente contra el Espiritismo hay que intensificar la instrucción religiosa. Es la ignorancia religiosa y la falta de prácticas cristianas lo que fomenta el Espiritismo.

Vida licenciosa.

Para poner coto a la vida de inmoralidad hoy tan generalizada, pienzo que hay que trabajar incansablemente por levar la gente a la iglesias, a la oración, a la Misa y a los Sacramentos.

Ojalá todos los Obispo del mundo unifiquemos nuestra acción en los puntos que dejo reseñados.

Quiéralo Dios Nuestros Señor

Beso vuestra sagrada Púrpura
✠ LEOPOLDO BUTELER
Obispo de Río Cuarto

19

EXC.MI P. D. ROBERTI I. TAVELLA

Archiepiscopi Saltensis (Salta)

Saltae, 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est responsionem litteris Eminentiae Tuae ferre, quae ad meas manus pervenerunt, primo die mensis augusti N. 1 C/ 59-1168, in quibus a me animadversiones, consilia et vota petis circa res et argumenta quae in futuro Concilio a Summo Pontifice Ioanne XXIII convocato, tractari poterunt.

Toti Ecclesiae ad Deo maximas gratias agendam consocior hoc maximo Concilio quod vitam christianam omnium populorum, praecipue vincula cum fratribus nostris orientalibus reficiet.

Nostra maxime interest ut Concilium Oecumenicum feliciter peragatur, etenim his in regionibus quae immigrationibus orientalium abundant sive catholicorum sive orthodoxorum, continua problemata creantur et quaedam, mihi videntur, difficili solutione, circa has res.

Exoptans adflatus Spiritus Sancti supra Te et Commissionem Antepreparatoriam, impensos animi sensus ex corde etiam profiteor Eminentiae Tuae cui fausta quaeque a Domino adprecor, Sacram Purpuram deosculans.

✠ ROBERTUS TAVELLA
Archiepiscopus Saltensis

20

EXC.MI P. D. ANTONII M. AGUIRRE
Episcopi Sancti Isidori in Argentina (San Isidro)

San Isidro, die 22 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Communicationem, e Civitate Vaticana die 18 iunii missam (Prot. N. 1 C/59-1185) quae de futuro Concilio Oecumenico tractat, opportune recipere pergratum mihi fuit.

Petitioni respondendo, humiliter audeo omni cum libertate atque sinceritate a Vestra Eminentia commendata, quorum studium existimo his praesentibus temporibus magnam utilitatem afferre, sequentia proponere:

I. Theologicas annotationes de Episcopatus et Presbyteratus essentia et structura, necnon naturam et missionem apostolatus laicorum in Ecclesia accurate statuere.

II. In Codicem perspicue diverseque omnes iuridicas dispositiones redigere de Ordinarii loci potestate circa religiosas mulierum Congregationes.

III. Aptiorem adaequandi modum vitam Seminarii praesentibus adiunctis apostolicis conspicere iuxta normas Exhortationis « Menti Nostrae ».

IV. Decernere notionem beneficii ex actualibus exigentiis pastoralibus et radicitus praescribere eorumdem concessionem praecipue ad Paroecias pertinentium, in canonica disciplina.

V. Facultates etiam nunc vigentes Ordinarii et Parochi super res

matrimoniales ita dilatare, ut recursus magna frequens ex parte ad Apostolicam Sedem imminuatur et prae oculis insuper habere aliquorum suppressionem impedimentorum atque possibilitatem delegationem expediendi ad matrimonio valide assistendum.

VI. Dilucide sensum quietis hebdomadalis in Dominica et diebus de Praecepto praescriptae instituere, quae, ut se res habet, propter ambiguitatem phraseos « opera servilia » captu difficilis est.

Gratias agens ex corde propter accuratam considerationem me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae

addictissimum in Domino

✠ ANTONIUS M. AGUIRRE

Episcopus S. Isidori in Argentina

21

EXC.MI P. D. AUDINI RODRIGUEZ Y OLMOS

Archiepiscopi S. Ioannis de Cuyo (San Juan de Cuyo)

E Civitate S. Ioannis de Cuyo, die 24 iulii 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteras ab Eminentia Vestra datas sub Prot. N. 1 C/59-1189, quae de futuro Concilio Oecumenico agunt, gratissimo animo accepi.

Quae hisce ultimis temporibus datae sunt dispositiones et expositiones doctrinales ab Apostolica Sede tam perspicuae tamque opportunae fuere, ut nihil aliud videatur addendum nisi in synthesim omnia redigere, et, ubi opus fuerit, in Codicem Iuris Canonici ea introducere.

Certe opportunum erit damnationes iam factas contra communismum, massonicas sectas et spiritismum sollemniter a Concilio iterum sancire.

In Ecclesiae gubernatione, si quis attendat ad huius aetatis rapidam idearum, systematum et methodorum evolutionem necnon ad proclivitatem mutationis eorum qui gubernationem societatum exercent, cogitare fortasse liceat de opportunitate limitandi episcoporum administrationem ad *certum numerum annorum,* post quos alter succedere debeat in eodem officio.

In ordine liturgico, dato hodierno salutifero universalitatis sensu, fortasse iam non designari deberent anni partes sicut prius: pars aestiva, hiemalis, etc., cum in diversis hemisferiis diversa sint tempora; sed no-

minari potius oporteret ex mysteriis quae celebrantur: cyclus Nativitatis Domini, Passionis, etc.

Optimum exitum laboris Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae ominor, atque Deo Optimo Maximo tam grave officium commendo, dum Eminentiae Vestrae fausta quaeque ab ipso Patre luminum humillime adprecor.

✠ AUDINUS RODRIGUEZ Y OLMOS
Archiepiscopus S. Ioannis de Cuyo

22

EXC.MI P. D. AEMILII A. DI PASQUO
Episcopi Sancti Ludovici in Argentina (San Luis)

S. Ludovici in Argentina, die 26 aprilis 1960

I. *Usus linguae vernaculae in administratione Sacramentorum et Sanctae Missae*:

Cum Sacramenta sint non tantum « propter » homines, sed « ad » homines, et verba et caeremoniae quae in eorum administratione adhibentur, afficiant sensus, excitent intelligentiam, attentionem retineant; usus linguae vernaculae tum in administratione Sacramentorum, tum in celebratione Sanctae Missae, utilis videtur.

In Sancto Sacrificio usus linguae vernaculae in partibus non essentialibus: Orationibus praeliminaribus, Introito, Lectionibus, Evangeliis. Canon totus lingua latina recitetur.

Etiam fideles adsistentes participarent forma dialogata cum Sacerdote in partibus sic convenientibus.

In administratione Sacramentorum, solummodo pro formula essentiali, lingua latina adhibeatur.

II. Sacerdotes omnes qui in diebus de praecepto bis vel ter Sacrum faciunt et praedicant, et quando laborant in Missionibus, durante ipso tempore, dispensentur in absoluto a recitatione Divini Officii.

III. Vestimentum talare in via, specialiter in itinere, reducatur in regionibus Americae Latinae ut in America Septemtrionali.

IV. Benignior regulamentatio erga Orientales schismaticos qui in nostris regionibus vivunt, ubi non habent ecclesias nec Sacerdotes eorum ritus, commendatur.

V. Etiam benigniorem regulamentationem circa matrimonia fidelium locorum ruralium, quos Sacerdos semel, bis vel ter in anno visitat: ut pro administratione Baptismi delegari nominatim possint personae bonis moribus constitutae, ut adsistant recte delegatae ad matrimonia fidelium

et conficiant libros specialiter destinatos. Parochus vel Sacerdos delegatus opportune benedicet sponsos et subsignabit libros.

✠ Aemilius A. Di Pasquo
Episcopus S. Ludovici in Argentina

23

Exc.mi P. D. SILVINI MARTINEZ
Administratoris Ap. S. Nicolai de los Arroyos (S. Nicolas de los Arroyos)

S. Nicolai de los Arroyos, 4 novembre 1959

Eminentissime Domine,

Magno cum gaudio litteras accepi Eminentiae Tuae Rev.mae, Summum Pontificem, Ioannem XXIII, Commissionem Antepraeparatoriam, pro futuro Oecumenico Concilio instituisse nuntiantes, necnon Te Eminentissimum Dominum renuntiasse Praesidem.

Magnam meam, precor, indulgere moram faveas ad quaesita respondenda de rebus quae in Concilio tractari poterunt sive ad doctrinam sive ad disciplinam pertinentes etc.

Inopia quam maxima sacerdotum tam pro ministerio quam pro consilio obtinendo, causa fuit huius disceptae nostrae responsionis.

At vero eo ipso perpauca afferam praefatae Pontificiae Commissioni, scilicet:

1. Circa inamovibilitatem parochorum (c. 454). Quamvis inamovibilitas sit bonum sacerdoti necnon multoties etiam causa apostolatus, attamen persaepe etiam magnas trahit perturbationes, cum nempe parochus, quin possit probari crimen, immo vero cum vita et moribus sit integerrimus sed inefficax evadit omnino aut impediens actionem apostolicam sive laicorum sive sacerdotum aliorum.

Non infrequenter inamovibilitatis causa, cum odium pessimum secum trahat omnis processus, paroeciae olim floridae in abyssum cadunt indifferentiae vel etiam irreligionis.

Haec maxime occurrunt cum parochi vitam degentes non malam sed minus aptam ad aedificandum Christum Dominum in animabus fidelium, sine fine protrahunt gubernationem eiusdem paroeciae. Item cum senio confecti opera apostolica negative aut positive impediunt.

2. Conveniens mihi videtur addere c. 711, 2°: « Opera Vocationum Sacerdotalium » et « Actio Catholica officialis ab Episcopo approbata ».

Me profiteor, adprecans favores Divi Spiritus supra Commissionem Pontificiam, add.mum

✠ Silvinus Martinez
Episcopus electus Rosariensis

24

EXC.MI P. D. NICOLAI PASOLINO
Archiepiscopi S. Fidei in Argentina (Santa Fé)

Sanctae Fidei, 18 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Venerabiles tuas litteras, diei 21 martii huius anni, libenter accepi; in illis, quoad animadversiones, consilia et vota de rebus et argumentis, quae in futuro Oecumenico Concilio tractari possent, mea ad propriam Commissionem, responsio desiderari dicebatur.

Quando tuae litterae circulares ad meam sedem pervenerunt, Romae, in Limina Apostolorum visitatione, ego aderam, quare, tempore opportuno, responsiones mittere, mihi possibile non fuit.

Nunc autem haec sequentia referre mihi videtur:

1. Ab officio suo aut paroecia aut beneficio proprio, sive intra territorium dioecesanum, sive ad alienam dioecesim, sine expressa Episcopi licentia, clerici discedere nequeant. Itinera nempe sacerdotum frequentia, quamvis multoties brevia, fidelium admirationem suscitant.

2. In vero atque stricto obedientiae conceptu est insistendum, quam suis episcopis clerici exhibere tenentur. Rationes adsunt: Hierarchiae reverentia; in dioecesi incardinatio; et in presbyterorum ordinatione expressa facta promissio. Quamdam « oboedientiae rationalis dictae » theoriam, iuvenes clerici praesertim, in diebus nostris, amplectuntur.

3. Iuvenes clerici, et etiam alii provecti, necnon religosi viri contra caelibatus legem non raro loquuntur; ita etiam tonsuram gerere negligunt atque habitum clericalem. In itinere longo, ille in usu apud quasdam nationes, certus et notus clericalis habitus — non talaris vestis — ut vitentur difficultates, portari possit. In ditionibus tamen latinis vestem talarem fideles amant atque de eius negligentia mirantur.

4. Communis clericorum vita in paroeciis est urgenda; sed etiam in urbibus nec clericus solus, in domo separata, propter nimia pericula, vivat.

5. Collaboratio a religiosis praestanda ita intelligi non debet, ut illis paroecias « pleno iure » aut « ad nutum Sanctae Sedis » conferre episcopi teneantur; nam experientia docet talem disciplinam in veram quamdam territorii alienationem atque fidelium convertere, unde dioecesanus apostolatus uniformis et totalis esse nequit, ob devotiones aut ministeria particularia, quae exemptionis nimis protracto privilegio, defenduntur; quare pro bono pacis et scandalo fidelium vitando (utpote in « fatto compiuto ») multoties episcopi cedere debent. Praesertim in

erigendis aut fovendis consociationibus, ut est Actio Catholica prae aliis, religiosi satis difficiles sunt.

6. Religiosi, ad urbes aut paroecias, quae futurum nimis prosperum aut divitem promittunt, facile adveniunt; regiones autem sive missionum sive pauperis gentis reiciunt; et quando illas acceptas habent, tantum unum vel duos sacerdotes relinquunt, quin dioeceseos labori spirituali cooperationem praestent vel vitam religiosam servare possint.

7. Canonici, qui Assessores nationales aut dioecesani Actionis Catholicae sunt, inter illos qui a choro excusantur (can. 420) adnumerari debent, illis in diebus, quando congressus aut adunationes Actionis Catholicae generales aut dioecesanae habentur; nam, propter laborem non raro onerosum immo et expensas, quae ab ipsis ob itinera et alia fiunt, castigari videntur, quia fructus praebendae ac distributiones quotidianae eis tolluntur.

8. In quibusdam actibus, iuramentum antimodernisticum omittere oporteret, ita ut qui praedictum iuramentum in triennio iam emiserit, iterare non deberet; et tantum fidei professionem proferre teneretur. Actus enim illi nimis protrahuntur, praesentibus saepe de latinitate insciis fidelibus.

9. Novitates in liturgia, a clericis iuvenibus, sine licentia aut episcopi consensu, facillime amplectuntur. Ephemerides, quae in Europa eduntur, cum magno apparatu has novitates divulgant, et exempla de aliquibus paucis ecclesiis ita referunt, ut si modificationes iam realiter admissae fuissent aut in usum devenissent.

10. In quibusdam Sacramentis, scilicet, in Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione atque Viatici administratione, praecipuae orationes et interrogationes ad meliorem fidelium intelligentiam pronuntiari deberent.

11. Missiones ad populum usque nunc magno fructu undique adhibitae, sive ob defectum parochorum aut religiosorum sive ob ineptam praeparationem, iam fructum non afferunt. Quibus auxiliis iterum florescere possint?

12. Clarior atque bene expressa disciplina, quoad Missam Vespertinam celebrandam atque concedendam, exigitur; nam certus abusus esse videtur. Item rationes atque actus (v. g. matrimonium, ordinatio sacerdotalis, ipsa consecratio episcopi etc.) indicare, propter quos talis Missa concedi possit.

13. Facultas, ad Missae Sacrificium media nocte celebrandum, certis in occasionibus, nempe in fine missionum, in aliis magni momenti festis, Episcopis tribuenda est; praesertim cum, apud plurimas familias religiosas a Sancta Sede, haec licentia concessa habeatur.

14. Sacerdotum dioeceseos, ad res ecclesiasticas disceptandas, contio

simpliciter facta, Synodorum obligationi suppleat, ita ut conclusiones sicut episcopalia decreta habeantur usque dum, certis in sollemnioribus temporibus, Synodus adunetur, et tunc conclusiones illae experientia confirmatae, in Synodalia decreta convertantur et ad Sedis Romanae approbationem subiciantur.

15. Scholae parochiales, utpote sacrarum vocationum veri principalesque fontes, pro viribus commendandae sunt.

16. Alumnorum studiis atque praeparationi seminariorum maiorum multiplicatio detrimentum affert, ob parvum alumnorum numerum atque ob difficultates habendi magistros, vere tales. In omni ditione seminaria regionalia, pro philosophicis atque theologicis studiis, stabiliantur atque Sedes Romana hanc disciplinam urgeat, inde maiora stimula atque meliores magistri in cathedra erunt, qui plenam aulam, e diversis dioecesibus, alumnorum habere et urgere possint.

17. In urbibus nunc aedificantur domus cum magna altitudine et cum quam plurimis habitaculis, ita ut centum et etiam milia hominum in illis degent; ibi apostolatus paroecialis omnino difficile videtur, unde cappellae simplices ad Missam celebrandam, in ipsis domibus erectio magnam utilitatem afferret.

18. Adultorum catechesis, diebus dominicis, et separatim facta, quasi impossibilis est multis in locis, habita ratione ludorum in stadiis, diversionum et aliarum rerum, quae post meridiem undique habentur. Ubi plures Missae celebrantur, doctrinae catecheticae traditio, in una aut duabus Missis sufficiens sit, ut parochorum conscientia acquiescat.

19. Nostris in diebus transactiones diversimode ac tempore antiquo fiunt; et monetarum valores nimis mutabiles habentur, et nonnunquam magna depretiatio accidit; quare episcoporum potestas, in alienatione facienda, quoad quantitatem, nimis limitata habetur. Quare alia via est adhibenda.

20. In quotidiana Psalterii recitatione, traditionalis Vulgatae versio restituatur et tantum adhibeatur.

Haec sunt principaliora, quae in episcopali ministerio, ad Eminentiam tuam humiliter proponenda inveni.

De aliis rebus, ad omnem Ecclesiam attingentibus, nihil dico, quia notae quaestiones sunt, quae in generali Episcoporum ordine ad studium revocantur.

Omni quo par est obsequio et reverentia Eminentiam Tuam prosequor et me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae hum.mum
✠ NICOLAUS PASOLINO
Archiepiscopus S. Fidei in Argentina

25

Exc.mi P. D. GEORGII MAYER

Episcopi Sanctae Rosae in Argentina (Santa Rosa)

Sancta Rosa, die 13 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteras circa proximum Concilium Oecumenicum a Te, utpote dignissimo Praeside Commissionis Antepraeparatoriae, die 18 iunii 1959 subscriptas, magna cum veneratione et reverentia accepi.

Liceat imprimis plausus et unanimis adprobationis, quo christifideles omnes decisionem Augusti Pontificis convocandi Concilium Oecumenicum acceperunt, testimonium ferre.

Quoad res et argumenta in ipso tractanda, inter alia visum est, salvo meliori et acceptissima opinione, de sequentibus dicendum esse:

I. *De materialismo atheo.* – Etsi eius principia multoties damnata fuerunt, tamen progressus eius sunt in dies celeriores.

II. *De disciplina Cleri.* – Desideratur maior spiritus supernaturalis atque submissio in clero hodierno. Defectus harum virtutum obstat maiori efficacitati in apostolatu atque impedit multiplices labores qui necessarii sunt in vinea Domini.

III. *De penuria Sacerdotum.* – Maxima incongruentia datur inter incrementum incolarum atque fidelium et incrementum sacerdotum. Quare quotidie penuria crescit, dum e contra augentur vires inimicorum religionis.

IV. *De maiori auxilio praestando a laicis.* – Ob illam penuriam, impossibile fit sacerdotibus attendere omnes necessitates hodiernas Ecclesiae. Auxilium laicorum fit imprescindibile. Eorum cooperatio forsan erit efficacior cum restitutione aliquorum ordinum, uti in Ecclesia primaeva.

V. *De protestantismo.* – Eius progressus sunt etiam magni momenti. Crescit confusio inter christifideles, cui favet magna ignorantia religiosa; effectus proximus est saltem indifferentia, et saepe defectio a vera fide.

Dum haec cum Eminentia Tua communico, Sacram Purpuram deosculatus, cui omni quo par est obsequio me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimum in Domino

✠ Georgius Mayer
Episcopus Sanctae Rosae in Argentina

26

Exc.mi P. D. IOSEPHI WEIMANN

Episcopi S. Iacobi de Estero (Santiago del Estero)

S. Iacobi de Estero, die 18 augusti 1959

Exc.me ac Rev.me Domine,

Episcopus Sancti Iacobi de Estero, Rep. Argentina, Ioseph Weimann, nihil speciale proponit ut tractetur in futuro Concilio Oecumenico.

Deum Nostrum rogo, ut fructus spiritualis maximus optimusque prosit Sanctae Ecclesiae Universali et Humanitati totae.

Excellentiae Vestrae Rev.mae
add.mus
✠ Ioseph Weimann
Episcopus S. Iacobi de Estero

27

Exc.mi P. D. IOANNIS C. ARAMBURU

Archiepiscopi Tucumanensis (Tucumán)

San Miguel de Tucumán, Octubre 3 de 1959

Eminentísimo Señor,

Tengo el honor de dirigirme a Vuestra Eminencia Reverendísima, en respuesta al atento oficio Prot. N. I C/59-1398 del 18 de Junio ppdo., sobre posibles temas a ser considerados en el próximo Concilio Ecuménico, permitiéndome sugerir cuanto sigue:

1. Estudiar la posibilidad de declarar Dogma de Fe la Mediación Universal de la Santísima Virgen María en la administración de gracias a los hombres;

2. Estudiar el problema de la exención de los Religiosos, manteniendo este privilegio, cuando más, a la vida interior de las comunidades, y suprimirla en orden a la visita canónica del Ordinario a sus Iglesias, asociaciones y obras apostólicas que realizan los fieles de dichas Iglesias, a fin de poder llegar a una completa y efectiva coordinación de fuerzas apostólicas;

3. Ubicar la posición jurídica de la Acción Católica « oficial » y de la Acción Católica « pleno iure », aclarando y fijando condiciones y conceptos, especialmente al contenido del « mandato »;

4. Establecer los principios fundamentales de la doctrina social de la Iglesia, a manera de pequeño código social;

5. Establecer un programa básico de estudios religiosos a ser complidos a fin de poder profesar como hermana religiosa;

6. Posibilidad de la institución del Diaconado para la administración del Bautismo, Eucaristía y Predicación, particularmente en aquellos lugares que carecen de sacerdote permanente y donde el clero es muy escaso.

Con tal motivo, saludo a Vuestra Eminencia Reverendísima y me reitero s. s. y Cap. en Nuestro Señor.

✠ JUAN CARLOS ARAMBURU
Arzobispo de Tucumán

28

EXC.MI P. D. IOSEPHI BORGATTI
Episcopi Viedmensis (Viedma)

Viedmae, die 30 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Iam in episcopali nostra sede, epistulam invenimus attentissimam a Pontificia Commissione Antepraeparatoria Oecumenici Concilii missam qua Viedmam pervenit dum Visitationem nostram primam « ad limina » agebamus Romae, et iter faciebamus per Italiam, Hispaniamque, sacerdotes quaerens pro vastissima dioecesi nostra egena operariis evangelicis.

Haec causa morae in responsione, ut erat nobis officium magnumque desiderium ante primum diem septembris.

I. *De Oecumenici Concilii opportunitate convocandi*

Ut saepe nuntiamus in Epistulis nostris Pastoralibus: « Concilium Oecumenicum anxie speratur ab universo mundo », cui etiam datur beneplacitum pleno iubilo et satisfactione non tantum a Clero dioecesano Communitatibusque religiosis verum etiam ab universo populo fideli, necnon ab iis qui militant diversis in copiis ideologicis sectisque.

Concilium Oecumenicum alit spem meliorum temporum istis in horis dispersionis voluntatum et confusionis idearum ac principiorum.

Actualis effigies Pontificis S. S. Ioannis XXIII, in dioecesi Viedmensi conciliat proverbiali cum paternitate, corda mentesque omnes fidelium qui vident in vocatione ad *unitatem* in *veritate* fundatam, suavibusque viis *caritatis ductam urgentem clamorem orbis.*

Orant omnes pro exitu tam magni conventus, sperantes tempora desideratae pacis atque concordiae inter omnes populos totius universi, *Faxit Deus!*

II. *De Ecclesiarum separatarum ad unitatem cum vera Ecclesia reditu*

Ab omnibus desideratur reditus ad veram Ecclesiam eorum, qui ab Ea separati sunt schismate vel erratis opinionibus circa aliqua dogmata vel praecepta saecularium traditionum. Quo modo tamen id faciendum? Quo modo ab iis errorum abyssus huc transmeare? Quo modo sedandae sunt asperitates, aliquibus in casibus, saeculares?

Oecumenicum Concilium offeret opportunitatem ut omnes possint concordes discordesque opiniones praesentare, ut *caritate* ampla in mensa, tractentur in discussionibus tendentibus ad mutuam agnitionem et comprehensionem.

Utinam fiat adimpletio optationis *Christi*: *unum ovile et unus pastor!*

Si, intolerantia tamen humanaeque passiones non permitterent *unitatem totalem;* Dei gratia fulgurabit, materna quoque protectione mundi Reginae: laeta deminutio distantiarum foeta, suo tempore, strictioris unionis mentium atque cordium in mundo meliori.

III. *Animadversiones quas sincero ac libero animo omnino communico*

Rebellionis spiritus, ab angelorum in paradiso lucta ac peccato inoboedientiae parentum humani generis, proveniens, avertit a recta principii auctoritatis hierarchicae via, sine qua non est ordo, nec gubernium, nec pax in mundo, cum sequelis subvenientibus anarchiae, bellorum quae ad ruinam temporalem ducunt aeternamque humanitatis.

Nefaste, hic spiritus penetrare intendit in populum fidelem et nefastius inter pastores gradibus in diversis hierarchiae. Ergo indicamus:

1. Favere atque fovere venerationem, fidelitatem et oboedientiam filialem erga Summum Pontificem, Universalem Patrem ac suavissimum totius Ecclesiae Hierarcham; erga Episcopatum universalem, nationalem et dioecesanum; in mente habentes illud: *promittis reverentiam et oboedientiam;* erga Clerum Catholicum in genere et specie erga Parochos locorum.

Si parochis non adhaerent neque oboediunt quos cotidie vident quo

modo se gerent cum episcopo... quo modo cum Summo Pontifice cuius tantum effigies agnoscunt vocemque audiunt cum leguntur encyclicae et exhortationes?

IV. *De habitu ecclesiastico et tonsura*

Quaestio fundamentalis est utrum Sacerdos etiam vestibus et non tantum moribus a laicis distingui debeat vel non, intelligitur in ordinariis adiunctis non in adversis et momentaneis.

Nobis videtur differentiam necessariam esse eamque observandam ordinarie infra nationis limites, salvis semper facultatibus Ordinariorum a ss. canonibus concessis.

De habitu praelatorum: Ad evitanda impendia simplificandus est habitus praelatorum specie in aestate.

Tonsura: Eritne tantum symbolica caerimonia? Hodie insinuatur consuetudo eam omittendi. Eo quod numerus eorum qui non portant coronam est maior quam portantium, in fidelibus datur diffidentia erga illos. Item ac habitus optatur criterium nationale. Salvis semper iuribus Ordinariorum.

De sustentatione Cleri: Antiqua quaestio cleri pauperis clerique divitis extenditur ad *dioeceses pauperes et dioeceses divites; paroecias pauperes et paroecias pingues.* Hic *caritas,* Oecumenici Concilii lemma, florere debet opimosque fructus dare. Quo modo? Totius mundi experientia, illuminabit egregie et in anxiam realitatem vertetur.

De sustentatione cultus: Comparatione modus apportationis emolumentorum fidelium et societatum negotiorum a catholicis gubernatarum in diversis nationibus, construatur experientia ad fovendam adimpletionem quarti Praecepti Ecclesiae circa impensa fruges et primitias ut olim.

Forsitan novis mediis, possint supprimi collectae et oblationes quae sacras functiones perturbant dantque templo Dei negotiorum domus aspectus, specie inter personas religione ignaras vel pauco spiritu christiano praeditas. Forsitan etiam emolumenta arancelaria pro administratione Sacramentorum supprimi possint.

V. *De laicis eorumque apostolatu*

Penuria sacerdotum exigit auxilia laicorum in administratione Sacramenti Baptismatis, non tantum in necessitatis casibus. *Catechistae, Baptizatores, Diaconi laici, Matrimonii adsistentes instituantur.*

VI *De Sacramentis*

a) *Baptismus*: Baptismus adultorum magis simplex reddatur quoad ritum; et ab ipso Baptismo puerorum caerimoniae omittantur quae hygienicis legibus parum suadentur.

In oppidis missionum vel in locis a sede paroeciali vel missionis longius distantibus, iure sit auctus, catechista vel laicus bene instructus, facultate baptizandi infantes familiarum christianarum quae a supradicta sede satis distent.

b) *De Matrimonio*:

1) Optamus ut in locis a sede paroeciae vel missionis dissitis possit Ordinarius vel parochus delegare laicum bene instructum ad benedicendum et adsistendum matrimonio loco sacerdotis, cum onere reddendi rationem pro debita adnotatione in libris paroecialibus.

2) Maxima quae fieri potest sollertia reddantur solutiones pro casibus matrimonialibus de evidentiori *declaratione nullitatis;* ne diu sinatur animae, aliquando etiam per annos non paucos, versari in angustiis et periculis.

3) *Solutio* pro casibus *evidentioribus « ius sit Auctoritatis ecclesiasticae loci »*.

Haec sunt argumenta quae reverenter examinanda utiliter proponimus in Concilio Oecumenico vel in nova reformatione *Codicis Iuris Canonici.*

Summa aestimatione sensus meos profero

Eminentiae V. Rev.mae
✠ IOSEPHUS BORGATTI
Episcopus Viedmensis

29

EXC.MI P. D. ALBERTI DEANE

Episcopi Civitatis Mariae (Villa Maria)

Villa Maria, Dic. 24 de 1959

Emmo Señor Cardenal,

Adjunto sugerencias para el próximo Concilio Eucoménico. Desearía manifestar que en mi humilde opinión hay tres cosas que contribuirán poderosamente para la extensión del Reino de Dios en la tierra que es la Santa Iglesia:

1. Una razonable distribución del clero. He podido comprobar en mi reciente visita a Italia y España, la frondosidad de personal sacerdotal que existe en algunas Diócesis, y la enorme pobreza y escacez de sacerdotes que hay en otras. No es necesario dar datos, porque el mismo Sumo Pontífice lo sabe, cuando me indicó por ejemplo los numerosos sacerdotes que hay en Bérgamo. Los hay en Victoria, Pamplona, Orense, etc. Seria interesante hacer estadísticas sobre las Diócesis que tiene 2, 3 y 4 sacerdotes por *cada mil habitantes.¡* ¿Es posible que la Diócesis venga antes que la Iglesia? Hay muchisimas Diócesis que cuentan con pueblos de 10.000, 20, y hasta 40 mil almas con un solo sacerdote ...

Creo que la erección de 4 o 5 seminarios en España, mantenidos por las naciones americanas, para los miles de jovenes que no pueden entrar en los seminarios actuales por falta, ó de medios, o de espacio segun me dijera el Arzobispo de Zaragoza, sería una hermosísima contribución para salvar a America latina de las garras del comunismo, espiritismo, y protestantismo. Estoy seguro que el Episcopado Norte americano mantendría gustosamente 500 seminaristas españoles que se prepararín para ejercer su sacerdocio en toda America latina.

Hago esta propuesta en el sentido de que sean seminaristas del clero diocesano, porque en esta forma se podria tener en pocos años, muchísimas Diócesis establecidas. Para Profesores y rectores en dicho seminarios, sería muy conveniente que un 50% fuesen nacidos en paises sudamericanos, porque asi ya vendrían ambientando a los jovenes españoles para captar mejor la mentalidad latino-americana. Nadie como Mons. Morcillo, Arzobispo de Zaragoza podrá informar sobre la gran cantidad de vocaciones al sacerdocio que hay en España, y que no pueden realizarlo, por falta de espacio en los Seminarios.

Con suficientes sacerdotes en latino américa, el ochenta% de los problemas se solucionan. Lo que digo de latino américa, tambien podremos decir de los paises del oriente y del Africa.

2. Que se fomente por todas partes los ejercicios, y retiros espirituales para los padres y madres de familia, hechos juntos. Ya hay hermosísimas experiencias en Argentina, Uruguay, Norte América, etc. Son ejercicios de temas y practicas devotas especificamente para esposos católicos. Hay casas apropiadas para estos ejercicios. Tales matrimonios salen enfervorizados, y se convierten en los mejores educadores de sus propios hijos. La familia fervorosa y educadora, se convierte en la mano derecha de la Iglesia para que el número de católicos prácticos se multipleque a millares. El Movimiento Familiar Cristiano en Argentina, Sud América y N. América, es uno de los mejores exponentes de este medio apostólico y misionero.

3. Que se estimule por todos los medios las escuelas parroquiales, y que los fieles sean instruídos en su grave deber colaborar eficazmente en la manutención de estas escuelas parroquiales. Creo que esta proposición no necesita demostración: el catolisismo de N. América es la mejor prueba. Y lo mismo podremos decir del Catolisismo holandés.

Estos son los tres puntos que estimo de máxima importancia para que el Catolicismo florezca, creaca y sea una fuerza salvadora en este mundo.

Capita doctrinae:

Ea omnia quae de Ecclesia ut Regno Dei et mystico Christi corpore, apta sint ad orthodoxam fidem servandam et unionem cum dissidentibus fovendam.

De disciplina Cleri:

De Seminariis et candidatis ad sacerdotium eorumque formatione sacerdotali, tum in Seminario, tum in quodam Instituto post-seminaristico, ubi sub moderatoribus re pastorali peritis, operam dent ministerio paroeciali, antequam ad hoc ministerium plene deputentur.

De populo Christiano:

Ea omnia quae ad dignitatem et promotionem laicorum in Ecclesia pertinent, ipsorumque vocationem ad cooperandum cum Hierarchia pertinent, praesertim in Actione Catholica, et in organizatione catechistica ut iam videri potest in pluribus Americae Septemtrionalis dioecesibus.

De actuositate:

Quae hodie Ecclesiae est, praesertim quoad coetus laicales operibus apostolicis dicatos. Necessitas vera adest promovendi et dirigendi omnes laicorum organizationes adversus marxismum theoricum et praxim communismi, prout nunc ubique terrarum maxime in ditionibus communismo internationali addictis propagatur.

Qua in re oportet ea omnia quae de relationibus Ecclesiam inter et Statum, de iustitia sociali et de iuribus humanis agunt, aptissime dilucidare et proponere.

Etiam circa actuositatem in Ecclesia maxime necessarium videtur de matrimonio christiano, vita familiari et educatione puerorum et iuventutis tractare, et novum ut sonat « Movimiento Familiar Cristiano » intra normas iuridicas constituere.

Super omnia autem rationalis distributio sacerdotuum, ita ut omnino res facilis sit, ad bonum fidelium, mittere ad Ordinarios necessitatem habentes, et a S. Sede, sacerdotes ex dioecesibus quae abundantia gaudent.

✠ ALBERTUS DEANE
Episcopus Civitatis Mariae

30

EXC.MI P. D. HUMBERTI MOZZONI

Archiepiscopi tit. Sidetani, Nuntii Ap. in Argentina

Buenos Aires, 30 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Con riferimento al venerato Dispaccio dell'Eminenza Vostra Reverendissima N. I C/59-1651 del 10 luglio u. s., mi permetto umiliarle, qui unito, un breve riassunto di quelli che sarebbero i miei voti per il futuro Concilio Ecumenico.

Chiedo sentitamente scusa del ritardo nell'invio, ma sia il lavoro di questa Rappresentanza sia alcuni impegni di visite alle Diocesi mi hanno impedito sinora di dare evasione alla sua richiesta.

Chinato al bacio della Sacra Porpora, ho l'onore di confermarmi con sensi di profondissimo ossequio.

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
um.mo, dev.mo, oss.mo
servitore

✠ UMBERTO MOZZONI
Arcivescovo tit. di Side
Nunzio Ap. in Argentina

De Ecclesia

Hodiernis inventionibus, praesertim facillimis ac celerrimis communicandi modis perductus, homo quamdam universalitatis formam multimode quaerit. Haec a Societate, vulgo dicta O.N.U., in ordine politico iam repraesentatur ac sub tali aspectu communismus magnum inter homines influxum exercere videtur.

1. Quam ob rem, mihi maxime opportunum videtur « Ideam Universalis Christianitatis », in Ecclesiae universalitate fundatam, nunc pressandam esse. Huic fini necessarium reputo Sacrum Concilium Primam Vaticani Concilii Constitutionem denuo sumere eiusque doctrinam simpliciter ac claro modo exponere ita ut non solum a clericis et doctis sed ab omnibus, etiam rudibus, intelligatur. Praesertim tractatio de Ecclesiae natura utpote societatis universalis, cuius invisibile caput Dominus No-

ster Iesus Christus est, visibile vero Summus Pontifex est, profundius illustranda est.

Denuntiari praeterea oportet magnus huius saeculi ambiguus error: intellectualis et practica inter Religionem et Ecclesiam separatio. Omnibus perpensis, certum esse videtur omnes admittere religiosum problema nostram aetatem profunde agitare. Solutio tamen saepius datur quae, sub protestantismi et superficialismi necnon asiaticarum doctrinarum influxu, graviter Ecclesiam minatur. Aiunt enim: religio animi sensus est, sed licet homini ad quamlibet ecclesiam pertinere. In praxi, Ecclesia omnibus ecclesiis aequiparatur.

2. Ad christianitatis reconstructionem faciliorem reddendam, Concilium tria profunde, clare et explicite exponere expediret: *a*) Ius Naturale *b*) Ius Gentium *c*) Ius Internationale. Clara addatur declaratio iurium fundamentalium hominis, familiae et societatis. Quod ad bellum pertinet, prohibendus saltem est usus atomicorum armorum et omnium quae absque discrimine cladem inferunt.

Velit praeterea Sacrum Concilium humanae fraternitatis praecellentiam extollere, hominesque certiores reddere ipsam ab Ecclesia instanter prosequi, quatenus adlaborat et opus praestat ut universalis societas in actum deducatur ubi libertas et iura individuorum necnon statuum integritas, ut aiunt, protegantur.

Aliis verbis, urgeret ut gloriosae traditionis catholicae lumine, reassumatur et specificetur Ecclesiae doctrina iuridico-socialis, quae a recentioribus Summis Pontificibus, a Leone XIII usque ad Pium XII, maxime illustrata fuit.

De Sacramentis

Ad haec consequenda valde iuvabit si Sacramentorum doctrina, quibus Christus vivit et praesens fit animabus, familiis et societatibus, rursus a Concilio exponatur et novum Catechismum universalem aut saltem manualem librum Sacramentorum confici Sacrum Concilium ordinet.

In praxi, necessitas percipitur dandi populo christiano sanam conscientiam Sacramentorum Baptismi et Confirmationis. Hoc Confirmationis Sacramentum, in exteriorem apparatum conversum, parvi pendunt fideles. Administrari oporteret iuvenibus decem iam annos natis, cum revera vitam ingrediuntur.

Quod ad matrimonium pertinet, ipsius sacramentalis naturae doctrina illustrata, oporteret eiusdem indissolubilitatem omnino affirmare. In praxi, in matrimonii formula clarior expressio introducenda esset ita ut validitatem eiusdem impugnare ob consensus defectum vel ob clausulas contra bonum fidei et prolis difficillime evaderet. Coram Ecclesia explicitus

sit consensus neque locus subterfugiis detur! Dispensatio super « ratum et non consummatum » non ultra duos annos ab inito matrimonio vel ab inchoata conviventia concedere opportunum videtur. Quomodocumque res se habeat, facultas saltem non detur introducendi causas invaliditatis aut dispensatio super ratum et non consummatum illis qui iam civilem matrimonium attentarunt aut aperte cum alia muliere convivunt. Postremis annis nimiae admirationis causa atque confusionis christianae plebi data est!

De Sacrificio Missae

Rursus a Concilio inculcanda videtur Sancti Sacrificii natura, cuius socialis aspectus ut sacrificium communitatis et Ecclesiae evidentior fiat. Celebratio Missae facilior evadat gaudeantque Episcopi facultate iudicandi de eius opportunitate, sine temporis discrimine.

Missa, quae vulgo vespertina appellatur, non solum permittenda quin immo inculcanda esset; praesens enim ducendi vitam modus multum differt a consuetudinibus olim vigentibus.

Industriarum ac technicarum artium incremento necnon communicationum augmento, magni hominum coetus orti sunt, in quibus vespertina celebratio non solum opportuna sed necessaria est. Urbanarum paroeciarum vastitas earumque habitudines matutinae omnium matrimoniorum celebrationi obstant; nonne vespertina Missae celebratio permittenda esset, cum tantum Sacramentum confertur, a quo coniugum sors pendet?

De Sacra Liturgia

Sacrae Liturgiae novus impulsus, nostris temporibus late in Ecclesia vigens, aestimandus est a Concilio. Necesse est clericos rituum sanctitatem urgenter perpendere et liturgiam non meram actuum congeriem sed veram sacerdotalem actionem considerare. Ad melius firmanda principia et ad fundamentales coerimonias statuendas puto opportunam esse confectionem « Codicis Liturgici » vel « Directorii Liturgici Pastoralis » in unaquaque natione.

Inter fundamentales mutationes introductio vulgaris idiomatis tam in Missae celebratione quam in Sacramentorum Liturgia opportuna mihi videtur. Latina lingua ut Ecclesiae idioma in Seminariis, Scholis et Universitatibus maiori exitu propugnari posset. Sana Sanctae Missae ac Sacramentorum notio nimium a fidelium mentibus abire censeo propter latinae linguae ignorantiam.

De Missali et Breviario

His ultimis quinquaginta annis saepius additiones et mutationes introductae sunt: novi sancti, nova festa. Brevi renovanda sunt Breviaria et Missalia! Ex hoc sequitur clericorum disciplinae debilitatio necnon diminutio honoris quem erga Sanctam Sedem omnes debent.

Ex collectis documentis mihi constat parochorum partem, quam 40% puto, in agris et pagis Americae Meridionalis adhibere Missalia anno 1920 anteriora et Breviaria anteriora anno 1930 sine ullis ultimis innovationibus: facilius « ad Commune » sacerdotes se vertunt!

Donet igitur nobis Sacrum Concilium Novum Missale et Novum Breviarium! Imponatque in posterum determinatum tempus v. g. anni sacri occasione, in quo innovatores Missarum ad novorum Sanctorum officia introducantur. Conscientiam det omnibus et sensum sacra esse Missale et Breviarium.

Obruimur foliis novissimis!

Quod ad Breviarium pertinet, meminisci oporteret sacerdotalem pietatem post Tridentinum Concilium refectam introduxisse pro sacerdotibus meditationem, conscientiae examen, Ss.mi Sacramenti visitationem, Rosarii B. M. V. recitationem et piam, quam dicunt, lectionem. Brevius ergo et simplicius reddatur ne pondus sacerdoti deveniat sed vera oratio et ad Deum sane elevatio! Psalmorum textum denuo considerare oportet. In laudem et gloriam Sacri Concilii Patrum certo erit si necessitatem propugnaret ad pristina redeundi Concilii Tridentini mandata, quod in 4 Sessione statuit Sanctae Scripturae libros et psalmos esse « prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt et in Veteri Vulgata latina editione habentur ».

Nimium, ut reor, ausi sunt qui antiquorum psalmorum maiestatem, poësim, et modulatum rhythmum pedestri latino subrogaverunt; illi enim etsi aliqua obscuritate laborant, foverunt, tamen pietatem, religiositatem, mysticam, oratoriam et multarum generationum artes. Inexplicabili praecipitatione absque ulla necessitate, uti reor, etiam illi pietatis ac liturgiae catholicae venerabiliores Psalmi, prout Miserere, De Profundis, et qui partem integralem Evangelii constituunt, idest Magnificat et Benedictus, mutati sunt!

Opportuna mihi videtur etiam substitutio multorum hymnorum qui, etsi accurata poetica arte conditi, nullum tamen religiosum adflatum tenent et a veteri hymnologia catholica longe distant.

Propositiones pro clero et paroeciis

Sacrum Concilium oportet Episcopum exaltare tamquam Patrem ac Pastorem, sed pressius instare ut eius cum clero ac fidelibus relationes ne sint tantum strictae auctoritatis. Episcopus vitam spiritualem sacerdotum alere et sustinere debet cum caritate sincera animoque indulgenti. Episcopus omnibus antecedat in devotione et respectu erga suos sacerdotes fideliumque gregem, secundum praecepta Petri Apostoli.

Sacrum Concilium novas propensiones desiderataque clericorum studere faveat. Clerici participes valde fieri cupiunt in statuendis praeceptis quae directe quodammodo illos attingant vel graviter futurum Dioecesis affectent.

Omnibus mature perpensis, haec proponere audeo:

1) De Consultoribus Dioecesanis instituendis.

Capitula Canonicorum ad adimplenda officia Iure Canonico statuta plus minusve inepta evaserunt. Ergo opportunum videtur in omnibus Dioecesibus institutum vulgo dictum « Consultorum » erigere praescribendo minimum participantium numerum, quorum magna pars Parochi sint.

2) De Paroecialibus Collegiis.

Tridentinum Concilium historicam illam sententiam de Seminariis instituendis, omnibus plaudentibus Patribus, statuit. Curet Sacrum Concilium novam temporibus adaptatam rationem statuere pro vita paroeciali: idest obligatoriam collegiorum in unaquaque paroecia institutionem pro sana iuvenum educatione. Ne timeat problemata vel obstacula quae exurgere videantur; Ecclesiae vitam potius respiciat! Etiam Seminaria a Concilio Tridentino imperata, in praxi, pluribus annis indigerunt ut instituerentur: Sacrum Concilium principium adoptavit, quod fortiter suaviterque in Ecclesia operando celeberrimum illud institutum florere fecit. Eodem modo nunc provideatur quoad vitam paroecialem et ad religiosam institutionem puerorum attinet, cui graviter parochi providere debent. Firmiter teneo decisionem istam historico valore pollere pro Ecclesia, sicut olim illam Seminariorum.

Hodiernis temporibus familia labitur et dici potest quod in magnis civitatibus parentes practice filiorum educationi renuntiant. Aliunde apostolatus institutiones et ipsa Catholica Actio generatim educationem puerorum tanquam specificum finem non habent et ipsius cathechismi institutio instructioni religiosae tantum reducitur. Quomodo pueri catholica doctrina imbuendi sanisque moribus instructi erunt? Si paroeciales Scholas statuerit, Sacrum Concilium, meo submisso iudicio, nostrorum temporum urgentibus necessitatibus providebit.

3) De Paroeciis.

Paroecia est vitae dioecesanae institutum essentiale. Ergo paroecias exclusive et plene ab Episcopo dependere censendum est. Opportunum videtur, ne dicam necessarium, paroecias non amplius Religiosis concedendas esse sub illa conditione quae « ad nutum Sanctae Sedis » vocari solet. Ad protegenda Religiosorum iura, qua Parochi, statuta Iuris Canonici sufficientia puto. Tolerari non potest existentia paroeciarum, ubi Episcopus tanquam nobilis hospes habeatur.

4) De Sacerdotum senescentium vel infirmorum cura.

Clerici valde optant protectionem pro senectutis vel infirmitatis tempore. Revera fere in omnibus Dioecesibus huic fini aliquae institutiones vigent, sed generatim valde debiles sunt et necessariam fiduciam non inspirant. Talis defectus causa est pecuniae aviditas quae saepe lamentabilis atque dignitati sacerdotali nociva apparet. Utinam Sacrum Concilium huic Sacerdotum desiderio satisfacere valeat! Clara praecepta ferat et etiam fontes aliquas pro constituendo oeconomico acervo indicet. Exempli gratia: reditus celebriorum Sanctuariorum. In unaquaque natione reditus isti administrari deberi videntur ab Episcoporum coetu Superiorumque religiosorum, si aliquod ius habeant, sub suprema vigilantia Sanctae Sedis, ne ad arbitrium unius personae ulterius maneant.

5) De talari veste.

Sacrum Concilium oportet moralem gloriam Sacerdotalis habitus digne induti extollere: sicut testimonium publicum Iesu Christi et aptus stimulus sanctitati sacerdotali. Vestis talaris decora sanctitate refulget! Sed velit aptiorem concedere habitum clero ad vitam publicam extra ecclesiam. Conveniens est ille qui « clergyman » vulgo appellatur: etenim in sua ipsa acceptione sacerdotem indicat et nunc in potiore Ecclesiae parte iam adhibetur. Ne sit quaestio talarem vestem abolendi sed tantum providendi clero habitum simplicem ac dignum extra templum induendum.

6) De vita communi.

Eius convenientiam et necessitatem urgere opportunum esse videtur. Invitet ergo Sacrum Concilium Sanctae Ecclesiae Pastores ut paulatim vitae communis domus instituant, praesertim in civitatibus et in paroeciis magno fidelium numero compositis. Omnes etenim sciunt sacerdotem post triginta annorum aetatem grave animi crisi laborare. Sancti illi ac casti ardores ordinationis temporis declinare videntur; solitudine afficitur eiusque sacerdotalis vita periculo exponitur. Ad ipsum sacerdotem adiuvandum, ad intensiorem ordinatioremque paroeciae activitatem excitandam et fovendam, valde opportunum esse videtur vitam communem inter sacerdotes alere. Praeferendum sane sit variis paroeciis

ex una assistere atque regere quam sacerdos vitam solus degat in locis valde dissitis.

7) De Sacro Caelibatu Ecclesiastico.

Sacer Caelibatus generatim in Ecclesia solide viget et tamquam vitae sacerdotalis dominica exigentia, fons libertatis spiritualis et apostolatus vigor atque robur acceptatur. Tamen error inter aliquos adnotari potest et praesertim subtiliter sed fortiter ab adversariis impugnatur. Valde ergo opportunum videtur ut Sacrum Concilium gloriam istam Catholici Sacerdotii confirmet, eiusque sublimem convenientiam exaltet et generosam acceptationem tanquam absolutam conditionem pro latini ritus Sacerdotio denuo instet.

✠ Humbertus Mozzoni
Archiepiscopus tit. Sidetanus
Nuntius Ap. in Argentina

31

Exc.mi P. D. ALEXANDRI SCHELL

Episcopi tit. Birthensis, Coadiutoris c. s. Clivi Zamoerensis

Lomas de Zamora, 12 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Perplacet mihi responsum dare venerabilis Litteris Prot. 1 C/59-766 bis. Eminentiae Vestrae, dilatum ob adversam valetudinem Exc.mi P. D. Philemonis Castellano huius dioeceseos Episcopi.

Maximo cum gaudio, notitia Concilii Oecumenici acceptata est. Ex illo, cuncta bona populo christiano exspectantur.

Manum osculor, et profundissima veneratione me profiteor Eminentiae Vestrae Reverendissimae

hum.mum, oboed.mum, dev.mum
servum verum

✠ Alexander Schell
Episcopus tit. Birthensis
Coadiutor c. s. Clivi Zamoerensis

1. *Catechesis*

Pueris: praescribatur unius anni praeparatio ad primam Communionem, aut saltem a dominica Boni Pastoris secunda Paschae incipiat, et in quattuor ultimis mensibus sit hodierna.

Fidelibus adultis: quibus hodie marxismi, laicismi, protestantismi pericula minantur, et vitae angustiae impediunt ecclesiae frequenter adire ob laboris obligationes, in missis dominicalibus in unoquoque anno alternatim cum homiliae predicatione parochi catechesim edoceant.

Praeterea: ante sacramentorum confirmationis et matrimonii administrationem, specialis catechetica institutio adhibeatur.

2. *Religiosorum Concursus*

Maxime exoptatur sive religiosorum sive religiosarum cooperatio ad institutionem catecheticam. Quamvis vi c. 1334 Ordinarius potest eos vocare ad istud ministerium tamen in praxi insufficientia sunt eorum responsum et media ad finem obtinendum; hac de causa urget facultatibus munire Ordinarios ad felices successus catecheseos.

3. *Catholica actio*

In Codice Iuris Canonici recognoscatur haec universalis Ecclesiae institutio, ut ordo apostolatus laici catholici maxime accommodatus hodiernis temporibus.

4. *Acatholici*

Ex omnibus haeresibus, maximi momenti, est Protestantismus. Huic et aliis coetibus acatholicorum, videntur urgentes et necessariae, apostolatus normae.

5. *Collegia catholica*

Digna laude est opera praesertim religiosorum et religiosarum propter educationis instituta; tamen praeferunt alumnorum divisiones duplicare, quam novas scholas creare. Ita est: civitates 30 aut 40.000 civium carent absolute catholico educationis instituto. Sunt instituta oeconomice fortia; hac de causa esset possibile ab illis scholas pro pauperibus efformare, in quibus certe christianae familiae operariorum quaerentes suis filiis catholicam educationem, aliqua erogatione tribuerent.

✠ ALEXANDER SCHELL
Episcopus tit. Birthensis
Coadiutor c. s. Clivi Zamoerensis

32

Exc.mi P. D. ADOLFI S. TORTOLO

Episcopi tit. Caeciritani, Auxiliaris Paranensis

Parana, die 24 agusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Pergratum mihi est significare Eminentiae Tuae ad me usque pervenisse litteras e Civitate Vaticana missas die 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-2329.

Gratissimo animo accepi communicationem Eminentiae Tuae, et post diligens examen et considerationem hisce litteris adiungo responsionem in qua omni cum libertate parique cum sinceritate et obsequio pando vota et animadversiones circa quaedam doctrinae capita et disciplinam quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui in hoc arduo labore humanas vires superante, fortitudinem et lucem a Patre luminum devotissime adprecor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
in Domino add.mus
✠ Adolfus S. Tortolo
Episcopus tit. Caeciritanus
Auxiliaris Paranensis

A) *Relate ad doctrinam de Ecclesia*

Reassumptio, reordinatio et consequens Conciliaris Constitutio (sicuti exstat *Constitutio I de Ecclesia* in Concilio Vaticano) universae theologiae Dogmaticae *de Ecclesia,* ita ut clariore luce proponatur fidei et orationi fidelium et pastorum Ecclesiae:

1. Ecclesia ut Patris caelestis novus acquisitionis populus, Christi Capitis dilectissima Sponsa et Corpus Mysticum, Spiritus Sancti vivens in terris Templum.

2. Theologia sacerdotii tum primi (Episcoporum) cum secundi (Presbyterorum) ordinis et quidem sub luce Mysterii Ecclesiae et ut dogmaticum fundamentum spiritualitatis et pastoralis sacerdotalis (sive sacerdotis « dioecesani » uti dicunt, sive « religiosi »).

3. Theologia characteris et gratiae baptismalis et confirmationis ut

radix ingressus et insertionis in Corpore mystico, ut fundamentum spiritualitatis et apostolatus laicorum.

4. Theologia Ecclesiae (sive pastorum sive fidelium) proponatur ut vivens praesentia Christi in novo populo Dei Patris continuata, et ut gentibus omnium locorum et temporum *verbum* Dei (sive revelatio Patris) illuminans et salvificum oblatum: ideoque et sub luce huius mysterii « unicae scilicet hodiernae Dei in mundo praesentiae sensibilis », proponatur Ecclesia in sua organica et vitali compagine per gradus distributa et conglutinata, ita ut etiam infimi gradus (operarii, matres familias, pauperes omnes, etc.) se vitaliter sentiant « Ecclesiam » operose agentem in mundo.

5. Hinc inde mysterium insertionis supertemporalis Ecclesiae in mundo; eius positivi influxus in progressum, culturas, civilizationes, quin inde structura et missio « transtemporalis » Ecclesiae immutetur.

6. Universa consequenter doctrina de relationibus Ecclesiae cum societatibus minoribus, Statibus et *societate* prouti aiunt *nationum* ex integro reassumatur, reordinetur, determinetur.

7. Determinetur insuper pressius « actio catholica » et « actio catholicorum » in rebus culturalibus, technicis et politicis: libertas et in varietate necessaria eorum unitas in bonum commune.

8. Doctrina haec esto denique doctrinale fundamentum novae liturgicae et disciplinaris reordinationis actionis laicorum in Ecclesia.

B) *Relate ad doctrinam de Christo et de B. M. Virgine*

9. Pressius determinetur doctrina de Christo Capite Corporis Mystici eiusque praesentiae et influxus in Ecclesia, ita ut mysterium Ecclesiae mysterium Christi continuatum magis appareat.

10. Item mysterium soteriologiae et operis Christi salvifici determinetur sub lumine totius « historiae salutis ».

11. Actualis et realis influxus salvificus Christi Capitis in corpore eius viventi quod est Ecclesia clarius proponatur.

12. In specie sensus angustiae, doloris, mortificationis, humilitatis et mortis Christi ut lux (Veritas) exemplum (Via) et efficax causa (Vita) reditus (a Christo Capite iam incepti) totius humanitatis in totalem disponibilitatem in manibus Patris. Super hanc dispositionem (« non mea sed tua voluntas fiat »; « fiat mihi secundum verbum tuum ») quam Deus in angoribus et cruciatibus praesentis vitae provocat, propositum suum a saeculis in Deo absconditum diffundendi scilicet suam ipsius vitam trinitariam, iam in Resurrectione Christi manifestatum, in Corpore eius

mystico inchoat in terris usquedum plene evolvatur in splendoribus caelestis Urbis Ierusalem.

13. Eminens locus Beatae Mariae Virginis in hoc opere salvifico determinetur, et quidem declarando quales habuerit partes in opere ipso efficiendo, qualesque consequenter nunc exerceat in hominibus.

14. Hinc inde clarius proponatur et definiatur maternitas spiritualis B. M. Virginis.

C) *Relate ad doctrinam De Sacramentis*

15. Clarius proponatur doctrina « de Sacramentis in genere » quae dicitur, ut sensibilis et operosa praesentia salvifica Christi viventis in terris appareat.

16. In specie ex integro reassumatur doctrina de charactere et gratia baptismi et confirmationis ut sacramentorum « initiationis christianae ».

17. Ex integro proponatur theologia matrimonii et sacerdotii tum in se, id est ut habentur in ordine naturae, tum ut sacramenta, id est ut signa sensibilia quibus in aliquem statum specialis cooperationis in ordine soteriologico efficaciter ingreditur.

D) *Relate ad doctrinam de gratia*

18. Primatus gratiae quae dicitur increatae, praesentia scilicet realis ipsius Trinitatis in anima eius qui ingreditur et perseverat in novo populo Dei, inhabitantis scilicet Spiritus *promissionis* Sancti in anima iusti clarius proponatur.

19. Hinc inde derivata realitas gratiae creatae sub luce Dei inhabitantis proponatur.

20. Mysterium inde necessariae « agoniae » hisce in terris ut divinae vitae participatio in plenitudinem effloreat vitae aeternae.

21. Identitas naturae, differentibus tantum statibus, huius personalis increati Doni cum definitiva eius in patria possessione clarius proponatur.

E) *Relate ad disciplinam*

22. Simul cum « actualizatione » *C.I.C.* redigatur *Codex Liturgicus,* in quo haec praecipua erunt notanda:

a) Permittatur usus « Ritualis Romani » in lingua vernacula;

b) Ex integro innovetur Liturgia Sacramenti Matrimonii, ita ut clare appareat ipsos sponsos esse Sacramenti ministros, et signum aptum creetur ad significandam gratiam sacramentalem simulque symbolum amoris Christi Sponsi et Ecclesiae Sponsae.

23. Missa quacumque hora, iudicio Ordinarii, permittatur in bonum fidelium.

24. Item distributio Sanctissimae Eucharistiae quacumque hora permittatur etiamsi eo temporis spatio Missa non celebretur.

25. Disciplina circa formam celebrationis Matrimonii ita reordinetur ut numquam invalidum sit ob absentiam delegationis in sacerdote adsistente.

26. Pars iuridica « De Laicis » ex integro reordinetur ita ut ibi locum inveniat etiam Actio Catholica et formae principaliores apostolatus laicorum.

27. Principia generalia statuantur pro associationibus catholicorum internationalibus.

28. In unaquaque Natione « Commissioni Episcoporum Permanenti » tribuatur quaedam etiam iurisdictio ita ut revera in rebus quae totam Nationem attingunt et actionem dirigere et unitatem christifidelium efficere possit.

✠ ADOLFUS S. TORTOLO
Episcopus tit. Caeciritanus
Auxiliaris Paranensis

33

EXC.MI P. D. RADULFI PRIMATESTA

Episcopi tit. Tanaitani, Auxiliaris Platensis

La Plata, die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Grato animo accipiens Litteras ab Eminentia Tua missas die 18 iunii currentis anni, (Prot. N. 1 C/59-2430) ex corde adhaereo his omnibus quae Augustus ac Sanctissimus Pater Ioannes Papa XXIII, fel. regn., relate ad Concilium Oecumenicum disposuit aut in futuro disponendum iudicabit.

Petitioni igitur Tuae libenter annuens, et consilio collato cum Excellentissimo et Reverendissimo Archiepiscopo Platensi, Antonio Iosepho Plaza, cuius Episcopus Auxiliaris sum, re attente perpensa, visum est haec proponere, quae relate ad Unitatem, necessitatibus Ecclesiae in his regionibus videntur magis consulere.

1. Cum magis ac magis urgeatur necessitas ordinandi totam actionem apostolatus cuiuscumque rationis cum proprio Episcopo, determinandum est:

a) quomodo fovenda efficax communicatio inter religiosos et cum proprio episcopo (v. gr. regimen exemptionum);

b) quae sint relationes consociationum laicalium et Institutorum (v. gr. educationis) a religiosis etiam exemptis dependentium, cum Episcopo in ordine ad hunc apostolatum dioecesanum.

2. Necessitas, equidem maxima, promovendi et exigendi secundum bene stabilitas normas catechesim adultorum; qua in re attendendum est:

a) ad disciplinam sacramentorum;

b) ad tempora liturgica;

c) ad usum linguae vernaculae in aliquibus partibus liturgiae;

d) ad maiorem usum Sacrae Scripturae in lingua vernacula in Actione Liturgica, et secundum schema catecheticum necessitatibus hodiernis accommodatum.

Interim Eminentiae Tuae deosculans Sacram Purpuram, me profiteor addictissimum servum

✠ Rodolfus Primatesta
Episcopus tit. Tanaitanus
Auxiliaris Platensis

BOLIVIA

1

Exc.mi P. D. IOANNIS T. SENNER

Episcopi Cochabambensis (Cochabamba)

Cochabambae, die 8 septembris 1959

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Litteras (I C/59-380) ab Eminentia Vestra die 18 iunii a. c. datas accepi. Responsa heic includo.

Ut Deus copiose benedicat opera antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, ab omnibus valde exoptato, preces quotidianas ad Deum effundimus.

Maxima qua par est reverentia maneo

Eminentia Vestra humillimus servus

✠ Ioannes T. Senner
Episcopus Cochabambensis

Instruantur fideles de charactere poenitentiali vitae christianae; quae notio ne pereat cavendum est propter novam disciplinam ieiunii et abstinentiae, quam a multis perverse intelligi observatur, ita ut de quacumque poenitentia agenda omnino dispensari se putent.

Ob magnitudinem multarum dioecesium huius continentis, populus suum Pastorem vix cognoscit. Opus est curam animarum constituere per unitates parvas, videlicet per dioeceses et paroecias parvas; Fideles accedendi sunt personaliter. Sic protestantes in his regionibus cum felici eventu laborare solent.

Magis inculcari debet ut omnis apostolatus sub directione Episcopi fiat, etiam opera magnifica et innumera communitatum religiosarum, quarum vero exemptio ad exercendum apostolatum minime spectat. Providendum est, ut sacerdotes quos rectores vel cappellanos vocant, sub regimine Episcopi et in eius nomine activitates religiosorum vel religiosarum dirigere valeant praesertim quoad instructionem religiosam directionemque spiritualem extra confessionis sacramentum, ita ut semper utilitas dioecesis utilitati particulari cuiusdam communitatis praevalere possit.

Necesse videtur omnia iura et privilegia regionibus S. Congregationi de Propaganda Fide subiectis prudenter concessa, ad illa territoria extendi

quae etsi in dioecesibus canonice erectis sita, tamen propter indolem fidelium indigenarum in similibus conditionibus inveniuntur, ita ut curae animarum inter illos valde difficili iam non obsint impedimenta mere canonica.

Optandum est ut in educatione cleri in seminariis minus habeatur eruditionis, magis praeparationis ad vitam; ut vere applicentur normae datae a Summis Pontificibus et S. Congregatione, quae proponendae sunt ut leges; ut eliminentur e studiis theologicis ea omnia quae magis ad Aetatem Mediam ac saecula praeterita quam ad vitam modernam spectant.

Ante omnia promoveatur studium Sacrae Scripturae ut fontis pietatis, omissis quaestionibus quae pietatem non fovent.

Ut saltem ex parte penuriae cleri consulere possit, optandum est ut restauretur diaconatus sine lege vel obligatione coelibatus, ita ut homines sufficientibus qualitatibus praediti ac bene instructi ad modum diaconorum primitivae Ecclesiae, sacerdotibus adlaborent in praedicatione verbi Dei, in administratione Baptismi ac S. Synaxis, etc.

Optandum est ut reformatio liturgica prosequatur, ita ut aspectus communitarius liturgiae de die in diem magis clarescat in mente clericorum ac fidelium.

Desiderandum est Rituale in lingua vernacula ac illa pars Missae quae catechumenorum vocatur.

Optandum est ut in omnibus Missis omitti possit « Confiteor », « Misereatur » et « Indulgentiam » ante communionem fidelium.

Ne sit celebranti obligatio repetendi lectiones, Sequentia, etc. in Missis a ministris vel a choro cantatas.

✠ IOANNES T. SENNER
Episcopus Cochabambensis

2

EXC.MI P. D. ABELIS I. ANTEZANA Y ROJAS

Archiepiscopi Pacensis in Bolivia (La Paz)

Una cum eo responsum dedit:

EXC.MUS P. D. IOSEPHUS A. GUTIÉRREZ GRANIER

Episcopus tit. Pionitanus, Auxiliaris Pacensis in Bolivia

La Paz, 28 de septiembre de 1959

Eminencia Reverendísima,

Tenemos el honor de acusar recibo a su atenta circular I C/59-2282 de 18 de junio 1959, en la cual en nombre del Soberano Pontífice Nos solicita opiniones y sugerencias para ser propuestas en la Pontificia Comisión Antepreparatoria pro Concilio Ecuménico.

Después de consultar a sacerdotes doctos Nos ha parecido oportuno presentar a Su digna consideración los puntos contenidos en el documento adjunto.

Con este motivo saludamos respetuosamente a Vuestra Eminencia Reverendísima como affmos, servidores en Cristo.

✠ ABEL I. ANTEZANA Y ROJAS
Arzobispo de La Paz

✠ ARMANDO GUTIERREZ GRANIER
Obispo Auxiliar de La Paz

1. *De re biblica.* Videtur nobis opportunum esse ut habeatur maior participatio in systemate studiorum seminariorum de re biblica, ita ut sit pars principalis etiam in Theologia Dogmatica, ad meliorem et scientificum usum.

2. *Doctrina de re sociali.* An scilicet opportunum sit doctrinam socialem Ecclesiae iam a RR. Pontificibus elaboratam forma solemniori declarari. Committatur peritis a Concilio redactio « Catechismi » seu compendii doctrinae socialis, ad instar Catechismi romani a Patribus Tridentinis commissi.

3. *De clericis.* De vita communi clericorum saecularium. Numquid praxis sat communis in nonnullis regionibus ad universalem Ecclesiam extendere queat?

4. *De diaconis.* Firma lege caelibatus, numquid expediat instituere diaconos a lege coelibatus exemptos, qui cooperare poterint in sacramentorum administratione (baptismus), in catechesi, et forsan in regionibus ubi paucissimi sunt sacerdotes, adhiberi poterint pro quodam cultu publico et tamquam testes qualificati pro matrimoniis celebrandis?

5. *De laicis.* Elaboretur disciplina completa et uniformis ad regendum apostolatum laicorum scil. « Actionem Catholicam », ita ut apostolatus laicorum non careat regimine iuridico proprio.

6. *De Sacramentis.* Continuatur et elaboretur reforma liturgica, praesertim ut habeatur maior participatio fidelium in cultu publico Ecclesiae.

✠ Abel I. Antezana y Rojas
Archiepiscopus Pacensis in Bolivia

✠ Iosephus A. Gutiérrez Granier
Episcopus tit. Pionitanus, Auxil. Pacensis in Bolivia

3

Exc.mi P. D. GEORGII MANRIQUE
Episcopi Orurensis (Oruro)

Oruro, die 27 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Libentissimo animo has litteras Eminentiae Vestrae Reverendissimae mitto, ut communicem me recepisse officium Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, diei 21 martii 1960: in hoc officio rogabatur ut responderem praedictae Commissioni Concilii.

Huic desiderio libenti et humili animo satisfacio, simulque adprecor benevolentiam, quod non antea officium meum exsecutus sim.

Iam in his temporibus in quibus nemini licet sese tradere quieti, cum in tam multis regionibus iusta libertas opprimatur, veritas obnubiletur captionibus et artificiis falsae propagationis, et pravae vires super terram proruptae videantur, ut scribebat SS. PP. Pius XII, placet toto animo incumbere in hanc eximiam causam Concilii Oecumenici, quod tam necessarium videtur, quodque simul afferret lumen et tranquillitatem mentibus christianis.

Puncta vero quae magna sinceritate mihi suggerenda videntur, haec sunt:

A) *Doctrinae capita*

1. Evolvatur doctrina de Spiritu Sancto, praesertim quoad eius dona et praxim in vita quotidiana.

2. Quomodo infundatur gratia sanctificans in anima.

3. Praescribantur nonnullae preces ad Spiritum Sanctum.

4. Definiatur dogma de Maternitate spirituali B. Virginis Mariae et de Maria universali Mediatrice omnium gratiarum.

5. Evolvatur in vita quotidiana dogma de SS.ma Trinitate, praesertim de unitate « ut sint unum sicut et nos unum sumus » (*Ioan.* 17, 11); de caritate fraterna et de dignitate vocationis christianae.

6. Praescribantur quaedam de devotione erga SS.mam Trinitatem.

B) *Disciplina Cleri et populi christiani*

1. Praescribantur exercitia spiritualia semel in anno, etiamsi pauci sint Sacerdotes, et quidem sub gravi.

2. Per quinquennium saltem, clerici reddant suo Episcopo rationem vitae suae, in foro externo, idque sub gravi.

3. Laborent Sacerdotes coniunctim in specie societatis coadunati; in Seminariis edoceantur ita ut laborent non segregati, sed socialiter, idque sub aliqua promissione in futurum. Parochus non sit auctoritas separata, et Paroecia sit coenaculum fraterne constitutum ad vitam fidelium spiritualem enucleandam.

4. Parochi non habeant administrationem temporalem seu oeconomicam, nisi per Diaconos; ita in vitam apostolicam et paroecialem toti possint incumbere.

5. Diaconi instituantur, sed coniugati; et saltem per tres annos praeparentur in doctrina, vita spirituali et morali; ita ut eorum vita ascetica sit rite evoluta.

6. Diaconi praesertim laborent in ipsa Paroecia.

7. Praescribantur stipendia dumtaxat Missarum. Hae autem sint lectae vel simpliciter cantatae. Sollemniores tantummodo in festivitatibus taxative notatis habeantur. Missae autem funeralium sollemnium semel in anno et in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum (2 nov.) celebrentur.

8. Parochi eiusque cooperatores degent vitam in ipsa paroecia.

9. Diaconi in regionibus missionariis gaudeant specialibus facultatibus quoad administrationem Sacramentorum, scil. Baptismi, S. Unctionis, Matrimonii et exitando infirmos ad perfectam contritionem, Viaticum ministrent.

10. Dioeceses suffraganeae laborent uno spiritu et sese adiuvent praeceptive.

11. Seminaristae, praesertim in diebus vacationum instruantur in variis materiis practicis, ut mechanica, electricitate, radio, televisione, manufactura et aliis, ita ut si detur persecutio violenta, possint laborare ut ceteri.

12. Cura habeatur ut in Seminariis adsit medicus psychiatra, et quidem sacerdos si fieri possit.

C) *Doctrina socialis*

1. Evolvatur clare et perspicue conceptio de iustitia sociali et commutativa, speciatim de salario familiari.

2. Clare enucleetur doctrina de participatione operariorum in lucro ex negotio et in contractu societatis.

3. Dentur clarae normae circa syndicalismum, assecurationem operariorum, operistitium seu cessationem a labore ex condicto, circa reformationes Institutionum (Status), circa mores et ad efformandam mentem christianam in re oeconomica.

4. Tradantur normae seu regulae circa rationem vivendi, locandi, etc.

5. Normae definitae circa salarium et fenus. Divitiarum distributio. Elevatio conditionis vitae humanae. Abolitio miseriae et egestatis.

6. Horae tribuendae labori. Operariorum vacationes.

7. Normae definitae circa cooperativismum, parsimoniam et lucrum.

8. Habeantur in omnibus paroeciis scholae elementares, et quidem praeceptive.

D) *De iure Canonico et Theologia Morali*

1. Minuantur impedimenta matrimonii.

2. Normae clarae statuantur de conditione iudicis catholici in causa divortii, maxime in Nationibus ubi laxiores leges divortii habeantur.

3. Praescribantur praeparationes ad matrimonium, per lectiones aptas, et quidem praeceptive.

4. In Seminariis praefiniatur studium de Medicina Pastorali, ita ut clarae sint normae de anticonceptionalibus, de methodo Ogino-Knaus, de interventione chirurgica et de castitate sancte servanda.

5. Tractetur magis de peccato contra iustitiam, contra bonum commune et de gravi responsabilitate personali in damno commisso.

E) *De re liturgica*

1. Adhibeantur formulae brevissimae in administratione Baptismi et Extremae Unctionis, quando plures illa Sacramenta recipiant.

2. Potestne confici Rituale in lingua vernacula?

3. In Missa recitetur coram populo solum Evangelium in lingua vernacula, addito brevissimo commentario per duo vel tria puncta. Habeatur homilia diebus dominicis et festis, ut totum dogma evolvatur, idque sub gravi.

4. Proponi potest ut Missa cantata a populo fiat lingua vernacula.

5. Praescribatur Missa brevissima cum stola et superpelliceo in casu persecutionum vel violentae irruptionis.

6. Detur facultas Monialibus sumendi et administrandi SS. Communionem in casu persecutionis vel profanationis Sacramenti.

7. Mutentur vestes forma laicali dum persecutio exsistat, et permittatur vestis « Clergyman » appellata.

8. Minuantur facultates Ordinum Exemptorum et curetur ut consuetudines Monialium necessitatibus fidelium accommodentur.

9. Adhibeatur reformatio Breviarii, quod debet respondere necessitatibus apostolatus. Ita distribuatur lectio S. Scripturae ut fiat per tres annos. Recitatio Breviarii privata possit fieri lingua vernacula.

10. Curetur reformatio Missalis, ita ut praevaleant praecipue dies festi Ss.mae Trinitatis, Spiritus Sancti et D. Nostri; minuatur Sanctorale.

F) *Varia*

1. Efformentur in Universitate Catholica excellentes viri, imo Sacerdotes utriusque Cleri, qui possint interesse consociationibus internationalibus, in eisque solvant quaestiones maximi momenti, attingentes, bonum universale, matrimonium, limitationem natalitatis, famen, etc.

2. Renoventur dicta contra Communismum atheum, eiusque excommunicationem.

3. Declaretur Ecclesiam non debere misceri in re politica, nec proponere quocumque modo partes politicas catholicas.

4. Ut labor apostolicus maiore ordine et fructu uberiore fiat, foveantur centra actionis socialis atque secretariatus defensionis et propagationis catholicae, et curandum erit ut omnes mutua cooperatione se adiuvent.

5. In Concilio Oecumenico adhibeatur lingua vernacula in expositione doctrinae; attamen conclusiones et canones sint latine exarati: quia per auriculares et « traductores » linguarum anglicae, gallicae et germanicae et orientalium nulla est difficultas.

6. In Concilio suffragia sint individualia et secreta.

Has annotationes habebam Eminentiae Vestrae humiliter exponendas, easque subicio Sanctae Matri Ecclesiae.

Obsequentissime me profiteor Eminentiae V. addictissimum in Domino

✠ Georgius Manrique
Episcopus Orurensis

4

Exc.mi P. D. CLETI LOAYZA GUMIEL
Episcopi Potosiensis in Bolivia (Potosí)

Annuntiatum Oecumenicum Concilium, quam maximum emolumentum Ecclesiae Dei allaturum, firmiter credo. Ut autem exitum, quem SS.mus Pater Ioannes XXIII expectat, idem Concilium obtineat, preces qualescumque meas et plebis mihi commissae, devote et assidue Datori omnis luminis offerre propono.

Cum mihi benigne facultas tribuatur, quae expedire videantur manifestare, humiliter quae sequuntur considerationi Commissionis Antepraeparatoriae propono:

1. Ob magnam penuriam sacerdotum, praesertim ad paroecias rusticas adsistendas, cyclus studiorum convenit ut reducatur ad septem vel octo annos, et tamen ita aptetur, ut iuvenes et etiam alii provectioris aetatis, scientia et pietate imbuantur ad ministerium rite obeundum.

2. Ad eundem finem, scilicet ad augendum sacerdotum numerum, nobis utile videtur institutio in America Latina Seminarii, quod omnibus his nationibus inserviat et quod sit velut continuatio Collegii Pii Latini Americani. Huius Seminarii sedes sit in Peruviana vel Aequatoriana republica, et discipuli inter praecipuas disciplinas, discant mores, historiam et linguam autoctonam illarum gentium inter quas ministerium impleturi sunt.

3. Pro baccalaureatis autem etiam in scholis civilibus, et ad seras vocationes stimulandas, cyclus studiorum ad quinquennium contrahatur, studiorum ratione ad hunc finem aptata.

4. *Quoad Sacramentum Baptismi*:

a) Caeremoniae Baptismi simplificentur et abbrevientur in his quae ad exorcismos spectant.

b) Solemnior autem fiat ritus in caeremoniis unctionum et infusionem aquae baptismalis praecedentibus.

c) Supprimatur omnino usus salivae.

5. *Quoad S. Missae Sacrificium*:

a) S. Sacrificium Missae, usque ad Canonem, lingua vernacula celebrari, omnibus sacerdotibus, textu rite a Romana Auctoritate approbato, liceat.

b) Lectiones Epistolae et S. Evangelii, praesertim in festis Sanctorum maiori varietate, ex diversis S. Scripturae libris, enixe sumantur, ita tamen ut fideles S. Sacrificio participantes, aliquam saltem de unoquoque S. Scripturae libro partem, noscere et meditare valeant.

c) S. Evangelium et Epistola semel legatur, lingua vernacula, ad fideles, si adsint, versus.

d) Ultimum Evangelium et preces post Missam lectam praescriptae, omnino supprimantur.

6. *Quoad Breviarii recitationem*:

a) Lectiones praesertim tertii Nocturni, maiori cum diversitate, ex sermonibus et scriptis SS. Patrum et Doctorum, hauriantur.

b) Horae minores cuiusvis diei hebdomadae eisdem psalmis et orationibus recitentur, ita ut sacerdos iter faciens, praesertim hisce in regionibus Americae Latinae, eas memoria recitare possit.

7. *Quoad Annum Liturgicum*:

a) Numerus dominicarum post Pontecostes, tam in Missali quam in Breviario, perenni modo, sit viginti octo, cum Orationibus, lectionibus, Evangeliis, et Epistolis propriis, modo ut dominicae post Epiphaniam iam non adhibendae sint. Cum autem minor sit in anno numerus dominicarum post Pontecosten, supprimantur quae superfuerint et tantummodo servetur Dominica ultima post Pentecosten.

b) Supprimatur ordo dominicarum et hebdomadarum augusti et septembris et servetur tantummodo ordo dominicarum post Pentecosten in Breviario.

c) Tempora autem septembris, perenniter, hebdomada decima sexta, vel decima septima post Pentecosten, observentur.

8. *Quoad Pontificale et Rituale*:

a) Ritus Dedicationis Ecclesiae et Consecrationis Altaris omnino simplificetur et caeremoniae cum precibus saltem ad dimidiam partem usque, abbrevientur.

b) Omnibus sacerdotibus facultas concedatur S. Rosarii Coronam benedicendi cum omnibus indulgentiis pie recitantibus fidelibus concessis, formulam usualem Ritualis adhibendo cum uno tantummodo crucis signo benedicendo.

c) Similiter facultas sit omnibus Parochis Viae Crucis Stationes in Ecclesiis et oratoriis publicis infra territorium suae iurisdictionis si-

tis, erigendi, etsi in loco vel in ambitu paroeciae conventus extet Ordinis.

Omni qua par est reverentia devotissime Eminentiam Tuam prosequor meque profiteor

add.mum
✠ Cletus Loayza Gumiel
Episcopus Potosiensis in Bolivia

5

Exc.mi P. D. ALOYSII RODRIGUEZ PARDO
Episcopi S. Crucis de Sierra (Santa Cruz de la Sierra)

Santa Cruz de la Sierra, die 21 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Responsurus epistolae Eminentiae Tuae die 18 iunii 1959 exaratae det Concilio Oecumenico futuro, sub N. 1 C/59-1207, quae quidem propter agitationes seu timores perturbationum politicarum nimis sero (proh dolor!) ad me pervenit, haec circa praecipua capita indicanda iudicavi:

1. *Doctrinae capita.*

a) Optandum imprimis, quod mens Ecclesiae circa doctrinam communistarum ex ordine et breviter ad aliqua principia redigatur, addita, ubi opus fuerit, errorum oppositorum condemnatione.

b) Aliquid simile dicendum circa doctrinam socialem Ecclesiae Catholicae, sc. optandum, quod haec doctrina breviter et ex ordine ad aliqua principia redigatur.

2. *Protestantismus.* Cum finis princeps Concilii sit unio spiritualis eorum omnium, qui de nomine christiano gloriantur, optandum sane, quod ipsum Concilium determinet et ea doctrinae capita, quibus cum protestantibus unimur et illa alia, quibus ab ipsis separamur, additis praeterea mediis obtinendi desideratam supradictorum protestantium unionem cum Ecclesia Catholica.

3. *Ecclesia Orthodoxa.* Aliquid simile dicendum de Ecclesia Orthodoxa et de eius unione cum Ecclesia Catholica.

4. *Novus Catechismus* Concilii Oecumenici cum adnotationibus Sacrae Scripturae et exaretur et in morem deducatur.

5. *Disciplina Cleri.*

a) Desideratur ampliatio facultatum eorum Episcoporum Residentialium, qui in locis dissitis versantur, ita ut similes habeant facultates ut Episcopi, qui in Missionibus laborant.

b) Breviarium. Permaneat Breviarium lingua latina exaratum, si-

quidem haec est oratio officialis Ecclesiae. Attamen ut nunc recitatur, obliget unice Ordines et Congregationes, quae in communi id recitare consueverunt. Pro aliis et nominatim pro his qui cura animarum detinentur vel similibus laboribus occupantur simplificetur fere sicut simplificatum est in Hebdomada Paschae. Praeterea pars historica secundi nocturni cum accurata revisione de novo exaranda esset et in quantum fieri potest breviandа. Denique Psalterium ad unitatem redigendum esset.

6. *Res hodiernae.*

a) Optandus esset usus amplior linguae vernaculae in administratione sacramentorum, excepta tamen *forma specifica Sacramenti.* Optandus hic usus linguae vernaculae in caeremoniis extraliturgicis et in benedictionibus.

b) Nova revisio et accommodatio *Codicis Iuris Canonici* secundum ultimas emendationes iam peractas vel statim peragendas.

c) Optandum quod Concilium determinet liceitatem vel illiceitatem *mutationis sexus* per operationem chirurgicam et de consectariis moralibus et canonicis, huius mutationis.

d) Similiter optandum, quod Concilium condemnet denuo fecundationem artificialem ope syphunculi vel alio instrumento simili.

Eminentiae Tuae Rev.mae add.mus

✠ ALOYSIUS RODRIGUEZ PARDO
Episcopus S. Crucis de Sierra

6

EXC.MI P. D. IOSEPHI C. MAURER
Archiepiscopi Sucrensis (Sucre)

Sucre, die 25 augusti 1959

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Cum summa veneratione versus Augustam Personam Summi Pontificis et Eminentiam Vestram aliqua respondebo ad suam epistolam I C/59-1305. Praeter ea quae ad Concilii Vaticani conclusionem spectant, de quaestionibus nunc Sacro Concilio proponendis imprimis sermo sit.

1. De possibilitate et mediis trahendi Ecclesias dissidentes et schismaticas ad unitatem et veritatem Ecclesiae Catholicae et ad submissionem dogmaticam, disciplinariam et filialem Papae, uti legitimo successori Sancti Petri et Vicario Christi in terra.

2. Vehemens desiderium christifidelium adimpleatur de definiendo dogmate de B. M. V. universali mediatione.

3. In tam sollemni occasione fortasse convenit revisio et prudens reformatio textuum Missalis et rubricarum in Sacra Litatione inservientium: uti v. g. adaptatio ad novissimam traductionem Psalmorum; usus linguae vernaculae in aliquibus partibus, specialiter in Epistola et Evangelio; regulae, pro Hebdomada Sacra datae, in universum applicentur in celebratione Missae sollemnis aut cantatae; suppressio crucium super Oblata post elevationem et suppressio definitiva ultimi Evangelii Sancti Ioannis, ita ut Missa finiatur absolute post benedictionem sacerdotis.

4. Item revisio et totalis reformatio Sancti Officii aut Breviarii, abbreviatio ad unum Nocturnum cum tribus lectionibus nempe S. Scripturae, traditionis aut SS. Patrum et vitae contractae Sancti diei. Dispensatio ab obligatione Breviarii in die dominica et festiva pro sacerdotibus curam animarum habentibus qui ad utilitatem fidelium bis aut ter celebrare tenentur et homiliam dicunt.

5. De iis quae ad pastoralem curam animarum spectant aliqua innovanda sunt: ut Episcopis residentialibus ipso iure maior amplitudo facultatum et autonomia a Sede Apostolica concedatur quin facultates quinquennales adhuc necessariae sint.

Ut necessitatibus fidelium in dissitis regionibus degentium, ubi sacerdotes desunt, subveniatur, insinuandum aestimamus diaconatus laicalis institutionem: ad baptismatis administrationem, matrimonii assistentiam communionisque sacrae distributionem.

Concedatur insuper rituale in lingua vernacula.

Ultimo, clerici melius distribuantur pro Ecclesiae necessitate, et ad hoc Ordinatio ad titulum « Ecclesiae Universalis » permittatur quin Ordinarii auctoritati opponatur.

Usus vestis talaris aut « sotanae » tantum in sacris functionibus obligatorius sit pro clericis.

6. In revisione Iuris Canonici, quae nobis magis opportuna videntur sunt: ut in licentia obtinenda ad legendos iusta et rationabili causa libros in Indice inclusos detur maior facilitas nec ad Ordinarium recursus requiratur. Ius patronatus, in quantum fieri possit, absolute revocetur, ac in provisione dignitatum capitularium cesset apostolicae Sedis reservatio.

Implorans amplissimam benedictionem Coeli et continuam assensionem Spiritus Sancti super labores praeparatorios Magni Concilii me profiteor filium plane obnoxium Ecclesiae et pergratum mihi est me subscribere Eminentiae Vestrae Reverendissimae ultimum fratrem in Christo.

✠ IOSEPHUS C. MAURER C.S.S.R.
Archiepiscopus Sucrensis

7

EXC.MI P. D. IOANNIS NICCOLAI

Episcopi Tarijensis (Tarija)

Taricae, 15 septembris 1959

Eminentia Reverendissima,

Honorificum mihi est respondere Litterae Circulari Eminentiae Tuae Reverendissimae 18 iunii huius anni (N. 1 C/59-1336), sequentibus tribus punctis:

I. In hac parva dioecesi, in qua fere omnes fideles sunt simplices et inculti ruricolae, non agitantur, sive circa doctrinam sive circa mores et praxim Ecclesiae, problemata maioris momenti.

II. Clerus et populus, devotissimus quidem, enixe expostulant ut definiatur Dogma de Universali Mediatione Beatae Mariae Virginis.

III. Item, preces elevant Omnipotenti Deo et Patri Misericordiarum, cum ardentissimis votis ut ecclesiae separatae iterum regantur in unum, ita ut quamprimum fiat unum ovile et unus pastor.

Sanctam Purpuram deosculans, et prospera atque fausta a Domino Tibi adprecans, Eminentiae Tuae Reverendissimae libenter me profiteor

addictissimum in Domino

✠ IOANNES NICCOLAI, O. F. M.

Episcopus Tarijensis

8

EXC.MI P. D. UBALDI E. CIBRIÁN FERNÁNDEZ

Episcopi tit. Bidensis, Praelati Nullius Corocorensis (Corocoro)

E Civitate Corocoro, die 17 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Anno citeriore pereunte, ad me pervenerunt litterae ab ipsa Commissione exaratae pro praeparatione futuri Concilii Oecumenici, adnotatae Prot. N. 1. C/59.

Cum prefixum tempus ad responsionem iam obiisset, mihi congruum visum est nihil ad Commissionem mittere, nam et circa animadversio-

nes, consilia et vota de rebus quae in futuro Concilio tractari possent, prope nihil iudicabam argumentare.

Novissime vero, i. e., die 10 aprilis 1960, pariter cum epistola quae adnotatur Prot. N. 1 C/59-1516 bis, alteras recepi litteras e Commissione venientes. Enixe rogabatur mihi ut responsio daretur circa propositum.

Quamvis in initio et propter adiuncta brevitatis temporis, nihil proponendum censui, re mature considerata, opportunum mihi videtur haec in studium tradere ipsi Commissioni:

Salvis in omnibus debita reverentia, obsequio et oboedientia Sedi Apostolicae, legibusque ecclesiasticis, consideretur possibilitas tribuendi amplas facultates Ordinariis locorum, quibus propter circumstantias regionum sui iurisdictionis, difficile evadit recurrendi ad Sedem Apostolicam multis in casibus. Sed et facultates hae sint non extraordinariae (quinquennales, scilicet) sed quasi ordinariae. Praesertim consideretur convenientia, et forte necessitas, conferendi has facultates ordinarias in territoriis, non Missionum, sed quasi-Missionum, Praelaturae *nullius* videlicet.

Maximi momenti hoc censeo.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam prosequor meque profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimum

✠ Ubaldus E. Cibrián Fernández
Episcopus tit. Bidensis
Praelatus nullius Corocorensis

9

Exc.mi P. D. THOMAE MANNING

Episcopi tit. Arsamosateni, Praelati nullius Coroicensis (Coroico)

Most Rev.,

The folloing are the three points al would wish to be diaconal at some session of the Council:

1. That points be allowed to me the vernaculor in the administration of the following Sacrements: Baptism, Matrimony and Extreme Unction.

2. That the Holy Sacrifice of the Mass be celebrated in the verniculor.

3. That loy-religions with at best the two norm of chastity and obedious be allowed to receive the Sacred Order of Diaconate, especially in Mission territories.

Fraternally
✠ THOMAS ROBERT MANNING
Bishop tit. of Arsomosaten
Prelate of Coroico

10

EXC.MI P. D. CARMELI ROCCO
Nuntii Ap. in Bolivia

Paxiae, die 29 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Mihi pergratum est Folio N. 1 C/59, diei 18 iunii quo Eminentia Tua Reverendissima animadversiones, consilia et vota Exc.morum Ordinariorum et Praelatorum qui iure in Concilium Oecumenicum vocantur expetit, responsum dare.

Iuxta desiderium Eminentiae Tuae, aliqua exponam quae, mea humillima sententia, in futuro Concilio tractari poterunt.

1. *De quaestione sociali*:

a) Forsitan perutile esset in unum corpus doctrinam socialem Ecclesiae redigere, quae nunc in plurimis documentis Pontificum extat.

b) Practice convenit aliquo modo melius providere necessitatibus materialibus Sacerdotum, praesertim pro tempore infirmitatis et senectutis.

2. *De nova Congregatione vel Officio.*

Nova tempora et necessitates videntur exigere ut Congregatio vel Officium instituatur quod de re sociali et politica curam habeat viresque catholicas colligat.

Ita facilius erit activitates quae ad huiusmodi res pertinent melius componere et catholicis, praesertim Episcopis de illis rationem dare, eorumque difficultatibus subvenire.

3. *De habitu ecclesiastico.*

Saltem pro clericis qui in agris morantur, permitti posset sic dictum « clergyman ».

Eodem tempore studeri posset possibilitas huiusmodi habitum ubique paulatim introducendi ne in aliquibus locis admiratio provocetur.

4. *De maiori uniformitate.*

Saepe accidit ut in quibusdam regionibus ea quae uno pago vel

Dioecesi licent, in altera vetantur. Ita accidit, e. g. cum agitur de tempore ad praeceptum paschale adimplendum.

Adsunt Episcopi qui facultates habent dispensandi in quibusdam casibus, quia facultates petierunt; proximi e contra illis non gaudent quia ausi non sunt illas expetere, vel quia possibilitatem illas obtinendi nesciebant.

Forsitan provideri poterit ut iisdem facultatibus gaudeant omnes Episcopi saltem eiusdem Nationis. Nullo modo excluduntur casus transitorii.

5. *De beneficiis ecclesiasticis.*

Examinari poterit possibilitas aequioris distributionis ubi beneficia adsunt. Quidam Parochi maiorem responsabilitatem habentes, minima retributione gaudent, nec media ad ministerium exercendum sibi providere possunt, dum e contra alii, qui in parvis pagis morantur, maiores reditus obtinent, et, e contra, minores exigentias in eodem apostolatu, experiuntur.

6. *De communitate christiana.*

Fideles, nostris temporibus, magis anhelant communitatem inter se et una cum suis Pastoribus efformare.

Nonne saepe Paroecia reducitur tantum ad adimplendum praeceptum festivum, ad administrationem sacramentorum et ad funera?

Christiani primorum saeculorum reapse efformabant cor unum et animam unam, quod et hodie desideratur.

7. *De Breviario.*

Semper prae oculis est habenda Breviarii recitatio, quae peractis temporibus et in praesens, una praecipuarum sacerdotum obligationum fuit.

Tamen ipsum Breviarium magis accomodandum videtur nostris temporibus, sive in parte historica, sive in ipsa eius structura.

Frequens est casus non tantum Religiosarum quae ad chorum tenentur, sed etiam sacerdotum, qui plures partes Breviarii non intellegunt. Quare non commutantur huiusmodi partes cum aliis orationibus, quae facilius ab omnibus intelligantur, et magis respondeant menti et circumstantiis novae vitae?

Et oratio fieret reapse cum Ecclesia.

Tuam Sacram Purpuram deosculans, in honore habeo cum omni veneratione me profiteri

Eminentiae Tuae Reverendissimae

umill.mum servum

✠ CARMELUS ROCCO

Nuntius Apostolicus in Bolivia

11

Exc.mi P. D. IOSEPHI C. ROSENHAMMER

Episcopi tit. Amporensis, Vicarii Ap. Chiquitosensis (Chiquitos)

Eminentissime Princeps,

Litteris de institutione Commissionis Concilii Oecumenici nuper acceptis omni humilitate invitationem ad consilia referenda arripio et Emitiae Tuae comunicare audeo quae sequuntur:

1. Ut dogma fidei declaretur quod Beatissima Virgo Maria a Deo omnium gratiarum Mediatrix constituta est et Corredemptrix intercedens ante Divinum Redemptorem pro nobis.

2. Ut consilia motus « Pro Mundo Meliore » quae ad restaurationem et novam organizationem Ecclesiae spectant, rite considerentur et — si fieri potest — ad effectum adducantur.

3. Ut omnia media et vires applicentur ad adhibendas inventiones novas in propagatione fidei et vitae catholicae, principaliter *cinema, proelum, radio, televisionem.*

4. Ut unio inter catholicos ad opera ista instauranda (*cinema, proelum, radio, televisio*) omni rigore promoveatur praesertim inter nationes eiusdem linguae.

5. Ut in Seminariis minoribus instructio iuvenum ita dirigatur ut omnes qui ob defectum vocationis sacerdotalis exeunt, perfecti catechistae et apostoli laici constituantur.

6. Ut in Seminariis maioribus lingua vernacula in instructione permittatur et studia connexa cum vita et doctrinis modernis sint.

7. Ut in conferentiis episcopalibus Nuntius Apostolicus cum voce et voto et facultatibus specialibus constituatur ut unio operum nationalium magis foveatur.

8. Ut e. g. in America Latina omnibus modis unio operum catholicorum (speciali modo *cine*) per medium sedis centralis dirigatur.

Consilia haec Eminentiae Tuae et Commissioni ad meliorem statum Ecclesiae praesentare audens

Eminentiae Tuae
maneo in Christo humillimus

✠ Iosephus C. Rosenhammer
Episcopus tit. Amporensis
Vicarius Ap. Chiquitosensis

12

Exc.mi P. D. CAESARIS BENEDETTI

Episcopi tit. Tidditani, Vicarii Ap. Cuevensis (Cuevo)

Cuevi, 20 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteris Tuis (Prot. N. 1 C/59-1753) die 18 iunii nuper praeteriti datis et a me die 5 huius mensis augusti acceptis, gratanter et devote obsequens, meas qualescumque sententias circa ea quae in proximo Oecumenico Concilio Patres forsitan pertractare poterunt, tibi humiliter patefaciam.

Quemadmodum e locutionibus Summi Pontificis Ioannis XXIII fel. regn. praeclare elucet, et est in votis omnium, nota praecipua Concilii erit *Unitas*. Proinde, ad consulendum unitati fidei et caritatis, censeo Concilium unitatem disciplinae magni habere, quasi testamento Domini, Apostolis et omnibus credentibus tradito, obsecundans.

1. His praemissis, linguam latinam, videlicet pro Ecclesia Latina, in celebratione S. Sacrificii, in Breviario atque in Sacramentorum administratione, omnino servandam esse opinor. Attamen, ut fidelium ritibus sacris participatio utilior et gratior evadat, multiplicandas puto editiones, non solum parvorum missalium, sed et ceterorum librorum liturgicorum, in lingua vulgari cuiusque nationis. Insuper optarem ut aliquae rubricae vel caeremoniae nimis prolixae, ad eundem finem obtinendum, breviores facilioresque reddantur.

2. Opportuna videtur editio Ritualis bilinguis, scilicet in lingua latina et vulgari, et, servato praescripto ut formulae et orationes a sacerdote dicendae, lingua latina proferantur, exhortationes et interrogationes ad fideles lingua vulgari fieri, esset in meis votis.

3. Pueris diligenter instructis, quin etiam viris probatae virtutis, de licentia et probatione Ordinarii loci, quaedam facultates concedi possent, v.g. quas ius commune clericis in minoribus constitutis vel subdiaconis tribuit. Hoc perutile iudico in locis ubi sacri ministri pauciores inveniuntur.

4. Christianae Doctrinae institutiones, maxima libertate gaudeant circa veritatis explanationem et expositionis methodum; definitiones tamen et quaedam formulae quae memoriae mandari debent, semper, ubique, et in quavis lingua, ut eaedem sint optarem.

5. In Iure Canonico, ad vitandas anxietates in confessario et etiam in poenitente, expositio magis clara desideratur, praesertim Libri V, ad-

dita prudenti deminutione censurarum reservatarum. Item dicerem de quibusdam tractatibus Theologiae Moralis, in quibus caterva opinionum, magis aciem ingenii auctorum quam applicationem principii moralis patefaciunt.

6. Ad rem socialem quod pertinet, doctrina Ecclesiae in Encyclicis *Rerum Novarum* et *Quadragesimo Anno,* clare continetur; attamen, frequens distinctio inter opifices et non opifices, sive in sacra praedicatione sive in editis scriptis, rationem popularem mihi redolere videtur. Omnes qui in honesto utilique labore actuositatem suam impendunt, opifices habendos esse existimo. Num Dominus Noster Iesus Christus opifex esse desiit quando, ministerio verbi instans, laborem manuum suarum dereliquit? Et, qui in messem Domini mittuntur, nonne ab ipso operarii dicuntur?

7. In interpretatione praecepti divini « Memento ut diem sabbati sanctifices », « anachronistica » videtur distinctio inter opus servile et opus liberale. Utinam civiles potestates adduci possint ad constituendas leges quae omnes, diebus dominicis, ad servandam requiem cogant, ut dies Domini vere sanctificetur!

8. Circa vitam et disciplinam clericorum, quae sequuntur proponerem: ubi leges civiles institutionibus Ecclesiae non adversantur et omnibus tribuitur libertas, mihi indecorum videtur quod clerici vestes talares exuant et more laicorum incedant. Clericis scire convenit se ubique spectaculum esse omnibus. Haec animadversio ipsis semper efficaci adiumento erit. Similiter, mihi prorsus absurdum apparet ulteriorem contractionem Breviarii (prout a quibusdam peti audivi) apostolatui favere posse.

9. Tandem, ad refellendas tenaces et vehementes haereticorum impugnationes magnae utilitatis esset brevis et clara expositio Sacrae Scripturae et Traditionis, ad modum Epitomes, circa veritates quae sunt fidei vel proximae fidei, et hoc praesertim ad consulendum conscientiae mentique eorum, qui solida theologica doctrina carent et tamen fidem suam a cavillationibus adversariorum defendere debent.

* * *

Quae supra exposui, nihil aliud sunt nisi meae humiles opiniones. Quod tamen Concilium Oecumenicum determinet, erit pro me et subditis meis firma regula fidei et morum.

Omnia quaecumque bona Tibi ex corde ominans, me profiteor

Tuum addictissimum in Domino

✠ Caesar Benedetti

Episcopus tit. Tidditanus

Vicarius Ap. Cuevensis

13

Exc.mi P. D. ALFONSI M. ESCALANTE
Episcopi tit. Sorani, Vicarii Ap. Pandoënsis (Pando)

Qui responsum dedit litteris Conferentiae Episcopalis Mexicanae.[1]

14

Exc.mi P. D. PETRI F. LUNA
Episcopi tit. Titiopolitani

Sucre (Bolivia), die 18 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteras (Prot. N. 1 C/59-2460) diei 18 praeteriti iunii, quas Eminentia Vestra ad me direxit, rite accepi et attente perlegi.

Ista Commissio, obsecundans vota et desideria SS.mi Domini Nostri (quem Deus sospitem servet), vult exquirere, cognoscere atque colligere consilia et vota Exc.morum Episcoporum atque praelatorum totius Ecclesiae circa Concilium Oecumenicum.

Ego infrascriptus Episcopus nihil notatu invenio quod Eminentiae Vestrae palam faciam: quid dicet lucerna ad solem?

Deum O. M. rogo et rogabo ut praedictum Concilium cedat (quod non dubito) in maiorem gloriam Dei et Sanctae Matris Ecclesiae augmentum et prosperitatem.

Omni qua possum reverentia Sacram Vestram Purpuram deosculor, maneoque

Vester in Domino filius

✠ Petrus F. Luna
Episcopus tit. Titiopolitanus

---

[1] Cf. vol. II, part. VI, pp. 260-263.

BRASILIA

1

Exc.mi P. D. IOANNIS I. da MOTA e ALBUQUERQUE

Episcopi Afogadensis de Ingazeira (Afogados da Ingàzeira)

Afogados de Ongazeira, in Brasilia, die 24 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Pergratum sane mihi est Eminentiae Tuae significare me accepisse litteras quibus compertum habui Summum Pontificem Ioannem XXIII Eminentiam Tuam constituisse praesidem Commissionis Antepraeparatoriae Concilii Oecumenici. Iam Eminentiae Tuae mihi placet sententias et vota humiliter exponere illorum quae in praelaudato Concilio tractanda videntur:

1. Fundamentalia dogmata quae ad Christum — vitae christianae centrum — pertinent accuratiorem insistentiam exigunt.

Formarum doctrinae novarum approbationem sub novis titulis relate ad Christum, Beatissimam Virginem et sanctos devitare oportet immo et quasdam devotiones et benedictiones cohibere quae superstitionibus favere videntur et nonnunquam ab Ipso Christo avertunt.

Huiusmodi devotionum et aliquando ipsarum benedictionum usus specie quadam negotii inquinantur et quominus christiani supernaturaliter crescant et christianorum unitas magis arctetur et ipse Christus ab aliis qui extra Ecclesiam degunt acceptetur, omnino impediunt.

2. Specialis cura in electione et magistrorum et aliorum superiorum seminariorum exigitur, non solum quoad ea quae sanctitatem scientiamque respiciunt sed etiam quoad formationem paedagogicam.

Modus quidem quo inopinato tales eliguntur magistri seu illi qui iuvenes erudiunt, causa enim est cui maxima ex parte et graves defectus in sacerdotum etiam religiosorum praeparatione tribui debeant, defectus inquam qui in indisciplinam utriusque cleri maxime influunt.

His praemissis, maior videtur admittenda tolerantia vel indulgentia erga illos sacerdotes qui in can. 2388 § 1 memorantur. Eorum quidem peccata potiusquam malevolo animo, defectui institutionis debentur.

3. Stabilitas beneficiorum Ecclesiae bono non raro noxam affert. Aliquando in beneficiis conservare oportet personas quarum capacitas physica vere desideratur, quando praesertim et tempus et methodorum renovatio novas exigunt activitates. Remedia illis difficultatibus obviantia iuxta codicem non semper beneficiorum privationem permittunt

quin aliquod detrimentum beneficiariis afferant vel alias difficultates in praxi creent.

4. Disciplina desideratur nova quae administrationem sacramentorum praesertim baptismatis, Eucharistiae et Paenitentiae faciliorem reddant quando magnus fidelium numerus et sacerdotum defectus concurrunt.

Accidit nempe saepius ut sacerdotibus ad caeremonias rituales attendentibus tempus deficiat ad catechesim. Et ita, v. g. in baptismatis collatione interrogationes omnes et illa quae in Rituali Romano praecipiuntur « singulariter singulis » in plurali fieri possent, pariter in Communionis distributione formula dici posset: « Corpus Domini Nostri Iesu Christi custodiat animas vestras in vitam aeternam ».

Item absolutio daretur omnibus simul, facta obligatione sacram exomologesim faciendi quam primum, data occasione.

5. Facultates quae episcopis dari solent « ad tempus », semel pro semper concedantur.

6. Urgere oportet actus civilis celebrationem pro Matrimonio, antea vel postea, quod maxime confert ut vinculum indissolubilitatis roboretur.

7. Magistros catholicos bene institui oportet qui sacerdotes in magisterio substituant. Frequentius enim accidit ut sacerdotes propter scholas ministrandas ad ministerium sacerdotale impediantur gravi cum detrimento fidelium.

Occasionem laetus nanciscor Sacram Purpuram reverenter deosculandi dum me Eminentiae Tuae me profiteor

Add.mum in Domino
✠ IOANNES I. DA MOTA E ALBUQUERQUE
Episcopus Afogadensis de Ingazeira

2

EXC.MI P. D. FLORENTII S. VIEIRA
Episcopi Amargosensis (Amargosa)

Amargosa, 6 aprilis 1960

Em.mo Sr. Cardeal,

Tenho a honra de informar a V. Emcia., respondendo a carta de março — n. 1 C/59-114 —, que as sugestões e votos para o Concílio Ecumenico da Diocese de Amargosa deveram ter sido enviados juntamente com os dos outros Bispos da Província Eclesiástica da Bahia, por

Sua Eminencia o Sr. D. Augusto, Cardeal da Silva, por assim ter sido resolvido na conferencia em outubro passado realizada em Salvador. Acabo de escrever ao Emmo. Sr. Cardeal da Silva sobra o assunto pedindo a remesa de uma segunda via se por acaso a primeira se extraviou.

Sem mais, pedindo desculpas, subscrevo-me com alta consideraçao servo em Cristo,

✠ Florencio S. Vieira
Bispo de Amargosa

3

Exc.mi P. D. IOSEPHI M. PIRES
Episcopi Arassuahyensis (Araçuaí)

Mantenae, die 15 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Visitationis Pastoralis causa, mense augusti inceptae, absens sum a Sede episcopali. Quapropter impossibile fuit mihi statim respondere epistulae ab Eminentia Tua missae sub n. Prot. 1 C/59-142 circa argumenta proximi Concilii Oecumenici.

In folio huic adiuncto fas sit mihi humiliter indicare Eminentiae Tuae puncta quaedam quae mihi videntur praesentanda considerationi Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae cui optime praees.

Dum supplex rogo Eminentiam Tuam habere me excusatum, sacrum annulum deosculor et demisso animo me profiteor

Em.tiae Tuae Rev.mae
addictissimum in Domino
✠ Ioseph M. Pires
Episcopus Arassuahyensis

A) *Vota generalia*

Ovium omnium, earum praesertim quae adhuc non sunt « ex hoc ovili » adunatio a Christo Domino et a Summo Pontifice fel. regn. enixe desiderata, ab unione maxime pendet Pastorum. Unanimes et concordes — cor unum et anima una — oportet nos inveniri non tantum in doctrina, ut est, sed et in actione. Non semper spiritum catholicum

ostendimus in agendo, sed unusquisque pugnat sicut nantes oram singillatim petentes et non sicut acies ordinata. Qua de causa, magna perditio virium optimarum. Ut pastores Dominici gregis, magis ac magis vivere debemus mystici Corporis doctrinam et omne « individualismum » vitare.

Unio haec laudabilis expostulat ut clerici omnes populusque fidelis fugiant a disceptationibus inutilibus quae fidei magis obsunt quam prosunt et in quibus non semper viget illud Divi Augustini: « Diligite homines, interficite errores ». Foveatur omnibus viribus intestina concordia, zelus pro salute proximi, opera misericordiae etiam erga inimicos Ecclesiae. In evangelio praedicando, mens non sit pugnandi adversus quemdam sed Christi tradendi mandatum, quia sumus imprimis veritatis assertores et testes.

Laicis tribuatur magis activa participatio in vita et negotiis Ecclesiae. Domorum paroecialium, templorum aliarumque aedium exstructio, sustentatio cleri, cura indigentium et alia similia munia sint fidelium. Oportet quamprimum taxas abolere in Sacramentorum administratione et sacerdotum sortem in manibus Providentiae relinquere eorumque necessitates fidelium sollicitudini tradere.

Haec omnia reformationem Seminariorum supponunt ut sensus magis consentaneus nostrae aetati detur curriculo, alumnis praebendo opportunitates apostolicorum contactuum et tirocinii futurorum laborum.

B) *In specie*

1. Editio totius Ritualis Romani in lingua vernacula aptissima videtur via ad pietatem fovendam, cum possibilis reddat magis activa participatio fidelium in Sacra Liturgia.

2. Eadem ratione convenire videtur usus vernaculi in Sacrificio Missae excepta ea parte canonis a verbis *Te igitur* usque ad doxologiam.

3. Sacramentalis confessio a monialibus singulis hebdomadis facienda, consilium tantum sit vel adhortatio.

4. Urgenda videtur obligatio religiosorum cooperandi in apostolatu maxime in catechesi et facultates opportunae Ordinariis tribuantur ut exigere possint auxilium congregationum tam virorum quam mulierum ad directionem Actionis Catholicae et ad institutionem religiosam in scholis secundi gradus et in academiis.

5. Ut parochi et vicarii actuales in paroeciis religiosis concreditis nequeant amoveri dissentiente Episcopo. Ratio est quia saepe vita christiana et opera incepta multum patiuntur frequentioribus mutationibus in paroeciis Religiosorum. Ideoque normae ad parochos religiosos amovendos eaedem deberent esse, mutatis mutandis, ac pro saecularibus.

6. Impedimenta matrimonialia exstinguere consanguinitatis in 2° et 3° gradu lineae collateralis, affinitatis lineae collateralis et criminis neutro patrante. Lex enim civilis haec impedimenta non accipit. Occasione data, aut dispensatio semper conceditur, ut mos est in pluribus Brasiliae dioecesibus, et sic lex infirmatur, aut, si non conceditur, sponsi actum civilem tantum faciunt vel misere consuescunt.

7. Aliter conscribere eam partem canonis 1098 quae agit de matrimonio coram solis testibus, ut puta, declarando: in hoc casu, ut matrimonium validum et licitum sit, praeter alias conditiones a iure statutas, oportere actum esse distinctum a contractu civili. Mos enim invehit contractum civilem tantum condendi, qui, ex vi canonis 1098, potest esse verum matrimonium illis in locis a sede paroeciali dissitis ubi sacerdos nequit frequenter adire. Accidit autem ut semel atque iterum contractus civilis irritus sit ex defectu consensus aliave ratione. Biennio tamen transacto, ut validus habendus est ex iure civili brasiliensi. Sic in aliquibus casibus parochus potest oratores ad veras nuptias admittere cum alia persona, sed non in omnibus, quod magnam confusionem gignit.

8. Dispensatio ab obligatione audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus in festis quae sequuntur:

Circumcisionis Domini,
Epiphaniae Domini,
Ascensionis Domini,
Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli,
Omnium Sanctorum.

✠ Ioseph M. Pires
Episcopus Arassuahyensis

4

Exc.mi P. D. IOSEPHI L. NEVES
Episcopi Assisensis (Assis)

Assis, die 10 augusti 1959

Eminentissime et Reverendissime Pater,

Magna cum reverentia litteras accepi quibus Eminentia Vestra mihi communicat institutionem Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, cui praeest Eminentia Vestra. Item postulat consilia et vota circa res in Concilio tractandas.

Praeter ea quae Beatissimus Papa Ioannes XXIII, feliciter regnans, iam large nuntiavit, optandum est ut in Concilio tractetur:

1. De quaestionibus Spiritismi. Haec enim haeresis valde grassatur et pessime saevit inter fideles.

2. De ampliore unitate in rebus liturgicis, servatis variis liturgiis sive Occidentalium sive Orientalium. Nam in liturgia romana, « probati auctores » non semel alii aliis contradicunt; sunt etiam consuetudines variae pro diversis regionibus, et etiam in eadem regione valde multiplicantur; insuper magna cum facilitate consuetudines regionales in aliam regionem introducuntur. Non agitur de consuetudinibus paraliturgicis aut etiam extraliturgicis, sed de rebus vere liturgicis. Desiderandum est ut habeamus quemdam Codicem rerum liturgicarum, sicut habemus Codicem Iuris Canonici.

3. De facultate utendi lingua vernacula in Rituali Romano pro omnibus nationibus, sed uniformiter, id est, omnibus concedatur quod uni largitur.

Haec humiliter exponens, humiliter sacram purpuram Eminentiae Vestrae osculor, me profitens Eminentiae Vestrae addictissimum in Domino servum.

✠ Iosephus L. Neves
Episcopi Assisensis

5

Exc.mi P. D. AGNELLI ROSSI

Episcopi Barrensis de Pirahy (Barra do Piraí)

Barra do Piraí, 19 de agosto de 1959

Respondeo ao oficio 1 C/59-197, em vista da falta de sacerdotes e da ignorancia religiosa do povo católico, em general, apresento as seguintes sugestões:

1. Aproveitamento de todos os leigos de boa vonyade, embora sem maior instrução religiosa, para espalharem e organizarem a *Catequese Popular,* como se realiza em algumas dioceses do Brasil. O catequista popular é um *leitor* do Catecismo Explicado e das orações e devoções, que se fazem nos lugares que não têm assistencia sacerdotal.

2. Aproveitamento das ferias dos seminaristas para trabalhos catequeticos e de apostolado domiciliar.

3. Despertar nos católicos o dever da contribuição ao culto e no apostolado das visitas domiciliares.

4. Arrebatar ao comunismo a bandeira da elevação do proletariado, realizando concretamente soluções de doutrina social católica, que devem ser muito divulgadas.

Caso interesse, poderei explanar as questões.

Servo em Jesus Cristo,
✠ Agnelo Rossi
Bispo de Barra do Piraí

6

Exc.mi P. D. IOANNIS B. MUNIZ
Episcopi Barrensis (Barra do Rio Grande)

Barra do Dio Grande, die 19 iuniii 1960

Em.me et Rev.me Domine,

Magna cum satisfactione Protocollum n. 21 C/59-198 bis, die 21 mensis martii huius anni a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico mihi missum, recepi.

Ratio huius satisfactionis est quod litterae circulares, die 18 mensis iunii anni 1959 ab eadem Pontificia Commissione mihi missas, nonnisi die 10 mensis septembris eiusdem anni, reversus e civitate Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, ubi sanitatem meam tractabam, recepi. Impossibile ergo mihi erat ante diem statutum, i. e. ante diem 1 mensis septembris anni 1959, responsiones ad res quaesitas Pontificiae Commissioni remittere.

Nunc autem, omnibus mature perpensis et lumine Spiritus Sancti invocato, omni humilitate et libertate, sicuti res tanti momenti exigit, responsiones libenter mitto.

1. Quod ad *doctrinam* attinet, necessarium mihi videtur, Auctoritatem Ecclesiasticam vigilantiam valde rigorosam exercere, qua impediatur ne inimici fundamenta doctrinae Ecclesiae evertant, invocantes argumenta in falsis principiis scientificis fundata. Quapropter:

a) Solida studia instituantur circa illa elementa doctrinae, quae ab inimicis impugnantur. v. g. circa interpretationem Scripturae Sacrae, et vigorosa vigilantia in scholis superioribus exerceatur, ne inimicus intret in coetum sive professorum, sive alumnorum.

b) Cursus, ad apologeticam pertinentes, adaptati quaestionibus quae nostris moventur, in scholis, quae vocantur « mediae », administrentur.

c) Denuntietur tendentia hodierna, nimium valorem tribuens omni, dummodo « differens » sit ab illo quod traditionaliter docebatur, sicut et tendentia invertendi significationem verborum.

d) Recommendetur authenticus valor sanae traditionis.

e) Adhibeantur ad defensionem et propagationem doctrinae et morum catholicae Religionis, omnibus quibus fieri potest modis, media technicae hodiernae, uti sunt radiophonia, televisio, cinematographia, conventus, qui vocantur « equipe », familiarum christianarum, productio pellicularum cinematographarum etc.

2. Quod ad *disciplinam cleri* attinet:

a) Denuntietur spiritus mundanus, quo clerici putant se sibi concedere posse quidquid mundani, recreationis causa, sibimetipsis concedunt.

b) Conservetur usus vestis talaris.

c) Clerici sibi conscii sint, actionem quam socialem vocant, non finem sed nonnisi medium activitatis suae pastoralis esse.

3. Quod ad *regimen* pertinet:

Cum instructio et educatio cleri in Seminariis summi momenti sit, praesertim in Brasilia, quae tanta penuria sacerdotum laborat, et numerus eorum qui ad regendum Seminarium idonei sunt, ad paucos restringatur, dubitandum est utrum systema, nunc in Brasilia vigens, elevandi tot regentes Seminarii ad dignitatem episcopalem, conveniens sit necne. Pluries enim fit quod Episcopus nominatus, quamvis ipse ad regendum Seminarium valde idoneus sit, alium sacerdotum, cui curam Seminarii confidat, invenire nequit. Quod quidem in non parvum damnum spirituale totius Dioeceseos redundaret.

4. Quod ad *res magni momenti* attinet:

a) Si actio iudicialis contentionis, Ordinarium inter et Sacerdotem ei subiectum, movetur in regionibus longinquis, v. g. in partibus interioribus Brasiliae, recommendetur Romanas Congregationes maiorem attentionem et fiduciam Ordinario praestare, ut casus, praeiudicium causae Dei, Ecclesiae et animarum ferentes, evitentur.

b) In Dioecesibus, in regionibus supra dictis constitutis, non faciliter creentur Paroeciae et Parochi inamovibiles, qua creatione non semel magnae difficultates pro regimine Dioeceseos oriuntur.

c) Pro Brasilia recommendetur apostolatus quem hebdomades de rebus ruralibus vocant, utpote eminens medium ad praecavendam Communismi in regionibus ruralibus penetrationem, quae pro Ecclesia in

Brasilia maximum periculum mihi videtur, sicuti ea quae recenter in Statu pernambucano acciderunt, demonstrant.

Haec sunt, Em.me et Rev.me Domine, quae ad quaestiones Pontificiae Commissionis respondenda mihi videntur.

Fausta quaeque a Domino deprecans pro felici et pleno exitu laboris Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, religiosos animi sensus ex toto corde Eminentiae Tuae profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
in Christo Iesu add.mus
✠ IOANNES B. MUNIZ
Episcopus Barrensis

7

EXC.MI P. D. ALBERTI G. RAMOS
Archiepiscopi Belemensis de Parà (Belém do Parà)

Belém, die 10 mensis aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Iam mense augusti a. 1959, postquam ex Urbe revenimus in archidioecesim nostram, verbo et benedictione Beatissimi Patris corroborati, per litterarum diribitorium responsum misimus, circa res et argumenta quae in futuro et opportunissimo Concilio Oecumenico tractari poterunt, iuxta benignissimam sollicitationem Eminentiae Vestrae, e civitate Vaticana, die 18 iunii 1959, prot. N. 1 C/59-212.

Iterum libenter, ad instantiam Vestram, humiliter de summa causae huius gravitate magnitudineque verba ex more ad vos scribere debemus, nullo alio modo nos posse nullaque, opportuniore ratione rem aggredi autumamus.

Irregularem esse per diversas regiones orbis distributionem sacerdotum patet. Dum aliquae regiones europeae, et Americae septentrionalis parochos habent ad 500 vel 800 fideles, in aliis regionibus sunt paroeciae magni territorii cum 30 vel 40 millibus christifidelium tantum curatorum ab uno missionario. Oportet divitiores regiones christianas adiuvare alias. Sed ratione formationis, spiritus, sanguinis, idiomatum, morum, temporis climacterici, hoc auxilium non sufficit ergo studere convenit opportunitati restaurandi officia diaconorum, vel etiam clericorum in minoribus, ad aliquas functiones pastorales exercendas. Sectae protestanticae tantum in praecipuis civitatibus theologos pastores habent, sed in locis dissitis viri paucae instructionis haereses seminant. Cur

Ecclesia Catholica mittere non potest « pastores » non sacerdotes, ad vias Domini parandas?

Quantum hodiernae conditiones suadent, alia puncta subicimus:

— Dispensatio praecepti abstinendi ab operibus servilibus in festis Epiphaniae, Ascensionis Domini et Omnium Sanctorum ;

— Simplificatio paramentorum sacerdotalium et episcopalium;

— Reformatio Breviarii et Missalis Romani;

— Commutatio poenarum sociorum sectae massonicae, vel revisio status quaestionis;

— Extensio ad omnes sacerdotes potestatis concedendi benedictiones omnes quae in Rituale Romano inscriptae sunt, etiam erigendi Stationes Viae Crucis;

— Facultas Ordinariis loci permittendi Superiorissis communitatum monialium ut aperire et claudere portas tabernaculi valeant ad pietatem et adorationem Sanctissimi Sacramenti, quamvis autem sacram pyxidem non tangant;

— Ut Sacra Congregatio Rituum benigne conficere dignetur formulas Rituali Romano addendas pro « Benedictione instrumentorum opificum » die prima maii in festo S. Iosephi Opificis adhibendas; pro « Benedictione annulorum ad doctores seu magistros publico diplomate renuntiandos »;

— Perfecta subordinatio religiosorum exemptorum praeceptis pastoralibus Ordinariorum locorum;

— Venia concelebrandi Sanctum Sacrificium Missae, tempore spiritualium cleri exercitiorum, aliorumque sacerdotalium conventorum; quod cum practicum sit, concurrere potest ad sacerdotalem fovendam caritatem;

— Facultas concedendi sacram cammunionem sub speciebus duabus, saltem in maioribus anni festis: Natali Domini, Feria quinta in Coena Domini, Paschate, Pentecoste et in festo D. N. Iesu Christi Regis;

— Reformatio ritualis formae de Sancto Sacramento Matrimonii, secundum ritualem formam Germaniae concessam anno 1960;

— Indulgentias concessas coniugibus, anulum uxoris pie deosculantibus, ad uxores extendere causa adaugendae dedicationis earum coniugibus; ad liberos causa adaugendi obedientiam ac pietatem erga parentes. In sanctitate et magnitudine sua, matrimonii Sacramentum societati sic praesentaretur;

— Studere convenit:

a) muneri instrumentali Fidei in sanctificationem et salutem hominis. (Hoc punctum, videtur, hodie a theologis paulo praetermissum, forsitan propter erroribus Lutheranis oppositionem olim factam);

b) Mediationi omnium gratiarum universali B. M. V. Dominae Nostrae.

Iucundam proinde ac firmissimam spem fovemus ut salutaribus proximi Concilii decretis uberrimi sortiantur fructus, ad Dei gloriam, ad regni Iesu Christi incrementum, ad honorem Catholicae Ecclesiae, ad unitatem Corporis Mystici Christi.

Hac freti spe, optima quaeque Vobis a Domino adprecamur, salutem plurimam perlibenter ominantes.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae

add.mus in Christo Iesu
✠ ALBERTUS G. RAMOS
Archiepiscopus Belemensis de Parà

8

CONVENTUS EPISCOPALIS PROVINCIAE ECCLESIASTICAE BELLOHORIZONTINAE

EXC.MI P. D. IOANNIS REZENDE COSTA, *Archiepiscopi tit. Martyropolitani, Coadiutoris c. s. et Administratoris Ap. s. p. Bellohorizontini* (Belo Horizonte)

EXC.MI P. D. EMMANUELIS NUNES COELHO, *Episcopi Aterradensis* (Aterrado)

EXC.MI P. D. CHRISTIANI PORTELA DE ARAUJO PENA, *Episcopi Divinopolitani* (Divinópolis)

EXC.MI P. D. IGNATII I. DAL MONTE, *Episcopi Guaxupensis* (Guaxupé).

EXC.MI P. D. IOSEPHI DE MEDEIROS LEITE, *Episcopi Oliveirensis* (Oliveira)

EXC.MI P. D. IOSEPHI A. COIMBRA, *Episcopi Patensis* (Patos de Minas)

EXC.MI P. D. IOSEPHI de ALMEIDA BAPTISTA PEREIRA, *Episcopi Septemlacunensis* (Sete Lagôas)

EXC.MI P. D. ALEXANDRI GONÇALVES DO AMARAL, *Episcopi Uberabensis* (Uberaba)

EXC.MI P. D. SERAPHINI FERNANDES DE ARAÚJO, *Episcopi tit. Verinopolitani, Auxiliaris Bellohorizontini.*

Belo Horizonte, die 26 augusti 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Pergratum Nobis est communicare Eminentiae Tuae Rev.mae, iuxta Litteras diei 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-218, consilia et vota, quae Nobis in conventu Provinciae Ecclesiasticae Bellohorizontinae hodie congregatis, pastorali sollicitudine zeloque animarum suggerentibus, opportuna et utilia ad futuri Concilii argumenta apparanda visa sunt, quaeque, omni cum libertate ac sinceritate, unanimes exponimus, ut sequitur:

1. Dogma de Beata Maria Virgine omnium gratiarum Mediatrice solemniter definiatur.

2. Doctrina de Catholico Episcopatu ita explicetur, ut magis magisque effulgeant potestates et ministeria Episcopalia.

3. Ea doctrinae de Mystico Christi Corpore capita, a Pio Papa XII exposita, iterum et enucleate a Concilio promulgentur.

4. Summa doctrinae de « Actione Catholica » deque « Opera pro Mundo Meliore » conficiatur.

5. Codex de Sociali Ecclesiae Doctrina, iuxta recentiora Summorum Pontificum Documenta, redigatur.

6. Diaconi iuxta primitivae Ecclesiae usum denuo constituantur.

7. Dierum festorum sub praecepto numerus deminuatur;

8. Modus definiendi opera prohibita festis de praecepto et dominicis diebus iuxta praesentes vitae conditiones reformetur.

9. Lex solius abstinentiae omnibus feriis sextis Quadragesimae, abstinentiae autem simul et ieiunii feria quarta Cinerum et feria sexta in Parasceve tantum servetur.

10. Sacrae Liturgiae reformatio iuxta mentem Sanctae Sedis complementum habeat.

11. Missale, Rituale et Pontificale Romanum iuxta Novum Psalterium a Pio Papa XII approbatum imprimantur.

12. Episcoporum vestes in Pontificalibus simpliciores fiant.

13. Omnibus Sacerdotibus facultas Sacramentum Confirmationis « in periculo mortis » ministrandi concedatur.

14. Ordinariis locorum facultas fiat permittendi ut Sacerdotes, in casu necessitatis, duas Missas diebus ferialibus celebrent.

15. Episcopis Coadiutoribus et Auxiliaribus ampliora iura ab ipsa Lege committantur.

16. Legislatio de Iurisdictione pro confessionibus Religiosarum recipiendis simpliciorem formam habeat.

17. Canonica de Delictis et Poenis legislatio minus implicata sit.
18. Legislatio canonica de prohibitione librorum reformetur.
19. Omnes, qui Missam pro populo sibi commisso applicare tenentur, ab eiusmodi obligatione festis diebus de praecepto suppressis dispensentur.
20. Pro Iuramento Antimodernistico simplex istiusmodi errorum condemnatio, formulae fidei Professionis adnectenda, condatur.
21. Accurate considerent futuri Concilii Patres conditionem Sacerdotum illorum, qui, quamvis a vita sacerdotali propter difficultates voti castitatis adimplendi defecerint, fidem tamen servant et Sacramenta recipere desiderant.

Nobis adhuc liceat Eminentiae Tuae Rev.mae sensus nostros laetitiae et laudis patefacere propter curam a Sancta Sede adhibitam ad Romanam Curiam magis ac magis omnibus Nationibus communem faciendam.

Interim impensos animi sensus ex corde profitemur Eminentiae Tuae Rev.mae, cuius Sacram Purpuram reverenter deosculamur.

Addictissimi in Domino

OMNES SEQUUNTUR SUBSIGNATIONES

9

EXC.MI P. D. ANTONII MENDONÇA MONTEIRO
Episcopi Bonfimensis (Bonfim)

Die 29 iulii 1959

Eminentissime Princeps,

Litteras accepi Eminentiae Vestrae circa Antepraeparatoriam Commissionem pro futuro Concilio Oecumenico. Prot. N. 1 C/59-239.

Mihi videtur in Concilio tractanda ea quae definienda sunt de doctrina sociali catholica; et damnandi sunt errores Spiritismi.

Deum precor ut fausta quaeque Eminentiae Vestrae largiri dignetur.

Addictissimus in Christo

✠ ANTONIUS MENDONÇA MONTEIRO
Episcopus Bonfimensis

10

Exc.mi P. D. HENRICI H. GOLLAND TRINDADE

Archiepiscopi Botucatuensis (Botucatù)

Die 30 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

De reticentia mea plene voluntaria circa responsionem de qua supra in prot. huius Pontificiae Commissionis, flexis genibus, ex toto animo veniam Eminentiae Tuae supplico.

Nescio enim quid dicam quod utile sit proximo Oecumenico Concilio.

Cum autem obligatio mihi imponitur ut mentem animumque patefaciam, tantummodo dicam, et quidem omni cum sinceritate, votum meum immensum esse ut redeat Ecclesia Christi (quae in vilibus nostris exstat manibus) ad vim primordiorum suorum, ad Filii Dei Evangelii primaevam simplicitatem, ut sic mundum hodiernum vincere valeat.

1. Sit Ecclesia pauper et humilis circa omnes suas manifestationes tamquam Christus Dominus apud Bethleem, Nazareth atque in vita publica, « Beati pauperes ... », « Discite a Me, quia humilis ... », « Filius hominis non habet ubi caput reclinet ... », « Vae divitibus ... », « Nisi efficiamini sicut parvuli ... ».

2. Sit Ecclesia patiens et excruciata tamquam Christus crucem suam baiulans. « Abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie... », « Beati qui esuriunt et sitiunt ... », « Oboediens usque ad mortem crucis ... », « Ut inimici Crucis Christi... », « Qui non baiulat crucem suam, non potest meum esse discipulum ... », « Si poenitentiam non egeritis ... ».

3. Sit Ecclesia supernaturali imbuta spiritu, in omnibus aspirationibus, declarationibus et etiam in apostolatu, sicut in Cenaculo et apostolicis temporibus fuit. « Ite praedicate... », « Nescitis quia templum Dei estis... », « Spiritus qui loquitur in vobis... », « Non in sublimitate... sed in ostensione spiritus et virtutis... », « Sine intermissione orate... », « Optimam partem elegit... », « Regnum Dei intra vos est ».

4. Sit Ecclesia constans, fortis atque sincera principia sua, facta respiciens et etiam sociales consuetudines et legationum commercium, « sub specie aeternitatis », non divites quaerendo et potentes tantummodo. « Nolite conformari huic saeculo ... », « Adveniat regnum tuum ... », « Quaerite primum Regnum Dei ... », « Medice, cura teipsum ... ».

5. Sit Ecclesia, in primis et super omnia Ecclesia Caritatis. « In

hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis... », « Hoc est praeceptum meum ut diligatis ... », « Ut ego dilexi vos ... », « Evangelizare pauperibus ... », « Venite benedicti Patris mei ... », « ... esurivi, sitivi, nudus eram, in carcere ... », « Pauperes evangelizantur ... », « Voca pauperes, caecos, claudos ... ».

Nomine invocato Sanctae Catharinae Senensis, cuius festum hodierna die celebratur, quaeque non parum momenti, nostris difficilibus temporibus, ad Sacram Hierarchiam habebit, atque in mentem revocando D. Fr. Bartholomaeum a Martiribus, Braccarensem Archiepiscopum, singularem Tridentini Concilii virum, omni qua par est reverentia Eminentiam Tuam prosequor meque humiliter profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
servum in Cordibus Iesu et Mariae
✠ HENRICUS H. GOLLAND TRINDADE
Archiepiscopus Botucatuensis

11

EXC.MI P. D. IOSEPHI M. DA ROCHA
Episcopi Brigantiensis in Brasilia (Bragança Paulista)

Bragança Paulista, 13 Agôsto de 1939

Eminência Reverendíssima,

Tenho a honra de enviar a V. Eminência Reverendíssima com esta o que me parecou dever fazê-lo, a fim de atendere ao conteúdo da carta de V. Eminência relativa ao Concilio Ecumênico.

O conjunto de respostas dos Ex.mos Senhores Bispos, que serão muitas e variadas, oferecerá materia para estudo e escôlha do que melhor parecer para maior gloria de Deus, salvação das almas e bem da Santa Igrêja. « Visum est Spiritui Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria ».

Inclinado ac beijo da Sagrada Púrpura, subscrevo-me

devodíssimo in Domino
✠ IOSÉ M. DA ROCHA
Bispo de Bragança Paulista

1. *De Actione Catholica*

Ad tollendas definitive disputationes, ex interpretationibus diversis exortas circa Actionem Catholicam, videtur quod schemati sequenti ipsa melius aptaretur:

Definitio: Est Actio Catholica laicorum participatio in apostolatu hierarchico.

Amplectitur: a) *In re doctrinali*: Congregationem Doctrinae Christianae in ordine dogmatico, morali et liturgico.

b) *In re cultuali*: Confraternitatem SS. Sacramenti, Congregationes Marianas, Apostolatum Orationis SS. Cordis Iesu, Opus Vocationum Sacerdotalium, Opus Propagationis Fidei, Catholicam Unionem, etc.

c) *In ordine sociali philanthropico*: Societatem Sancti Vincentii a Paulo, sodalicium Dominarum Caritatis. Opus Panis Sancti Antonii etc.

d) *In ordine sociali generali*: Legionem Mariae, « Liga de Defesa da Familia », Fraternum Auxilium Christianum etc.

e) *In ordine sociali specifico*: Homines Actionis Catholicae, Mulieres Actionis Catholicae, Iuventutem Catholicam Scholasticorum, Operariorum etc., etc.

2. *De peccato*

Ad maiorem vitandum numerum offensionum Deo irrogatarum per peccata gravia a fidelibus commissa per inobservantiam, fere generalem, ecclesiasticarum legum, et ad consulendum sic bonum animarum, videtur quod melior esset abolitio incisi *sub gravi* per transgressionem omnium ecclesiasticarum legum.

Manerent leges, ut lex ieiunii, carnis abstinentiae, Missae dominicalis et dierum de praecepto auditionis, annuae confessionis et paschalis communionis, Divini Officii recitationis etc. sed sine obligatione sub gravi. Propter earum transgressionem imponeretur poena privationis usus ordinum, beneficii, dignitatis, sepulturae ecclesiasticae, suffragiorum, officii patrinorum etc.

3. *De poenis*

Similiter videtur quod melius consuleret bono animarum si censurae omnes essent ferendae sententiae, et peccatorum reservatio criminibus gravissimis limitaretur, cum facultate episcopis concessa eos absolvendi per se sive per delegatos speciales.

4. *De tempore Missarum*

Videtur quod sacerdotibus omnibus concedi deberet ius Sanctum Missae Sacrificium celebrandi mane aut vespere, ad libitum, respective ab una hora ante auroram usque ad unam post meridiem, et ab horis 16 usque ad horas 22.

5. *De ritu*

Videtur etiam quod can. 1265 § 2. Codicis Canonici addi deberet: « et in ecclesiis principalibus dioecesis ».

Videtur etiam quod ritus et formula Dedicationis ecclesiarum et Consecrationis altarium contrahi deberent.

6. *De familia*

Videtur quod accuratissimum studium fieri deberet circa familiae defensionem, praesertim quoad eius dissolutionis causarum remotionem, quae, ubique, cum insanabilibus Religionis et Nationum damnis, eam gravissime afficiunt.

7. *De actione sociali politica*

Videtur quod normae generales statui deberent quoad Hierarchiae actionem circa politicam, ex qua pars non parva boni Nationis pendet, et humanae personae salutis, quae tota et non mutilata, primordialem Ecclesiae zeli scopum constituit.

8. *Etiam de tempore Missarum*

Videtur quod permitti deberet ab Ordinariis trium Missarum, in nocte Nativitatis Domini, celebratio, et in media nocte Circumcisionis Domini, in quolibet loco vi concursus fidelium.

9. *De habitu clericali et tonsura*

Videtur quod habitus clericalis deferri deberet ubique ab omnibus clericis, et in Seminariis tam maioribus quam minoribus. Idem dicatur, pro clericis, quoad tonsuram.

10. *De religiosis*

Videtur quod, in Religiosorum ordinatione, promissio oboedientiae et reverentiae extendi deberet, servatis servandis, Ordinario loci ubi pro se sit eiusdem Ordinarii provisionem habere. *Hae reformationes et aliae vitabunt Statum in Statu.*

Videtur quod ad suas audiendas confessiones, etiam in suis domibus, omnes Moniales quaerere possent quemlibet sacerdotem ad audiendas mulierum confessiones probatum, praesertim ubi parvus est numerus sacerdotum.

✠ IOSEPHUS M. DA ROCHA
Episcopus Brigantiensis in Brasilia

12

Exc.mi P. D. IOSEPHI P. COSTA

Episcopi Caetitensis (Caetité)

Die 6 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Maximo cum gaudio, Eminentiae Tuae Rev.mae litteras accepi, prot. N. 1 C/59-273, die 18 iunii 1959 adscriptas, quae mihi significarunt Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. regn. die 17 maii 1959, in Festo Pentecostes, Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico instituisse et eiusdem Commissionis praesidentiam Eminentiae Tuae commisisse.

Ante omnia, Summi Pontificis iudicium Oecumenici Concilii convocandi mihi pergratissimum est revereri et laudare, siquidem, hoc modo, Sanctae Ecclesiae catholicitas iterabitur, et eius unitas effulgebit coram diviso et peragitato saeculo, cuius ductionem ad Evangelii lumen nos Dominus commendans imperavit.

Quoad ea quae mihi videntur Ecclesiae animarumque bono profutura, sequentes suggestiones, pro Concilii argumentis apparandis, humiliter trado:

1. Conatus pro Unitate, scilicet, ad gremium verae Ecclesiae fratres nostros separatos seu Protestantes materne conclamare.

2. Contentionis cum Ecclesia Orientali definitivam quaerere solutionem, amplioribus praesentatis conditionibus quibus arceantur parvulae diversitates dogmaticae, morales, canonicae et liturgicae.

3. Praecipuas definitiones dogmaticas, morales et sociales a recentibus Pontificibus prolatas ratum ducere, ut pateant futuri Concilii Oecumenici studium et vigilantia coaevos errores condemnandi atque opportunis adhibitis incitamentis, aequos Scientiae et Actionis progressus fecunde collaudandi.

4. Sententias uniformes adoptare quoad associationes damnatas vel suspectas, exempli gratia, quoad massonicas sectas, protestanticam associationem christianam iuvenum, Rotary Club etc.

5. Variorum systematum Actionis Catholicae seu laicorum apostolatus in unum coniunctio, ut eius fructus, iam nunc uberes, uberiores efficiantur.

6. Diaconatus ordinem redintegrare iuxta primitivas ministeriales functiones, caelibatus vinculo abrogato, solutionis instar, inter alias, inopiae sacerdotum problematis.

7. Consideratio possibilitatis solvendi permagnam et instantem materiam de caelibatu ecclesiastico, de habitu clericorum et de usu obligatorio clericalis tonsurae, ut uniformes normae universo orbi adoptentur.

8. Normae definitae, clare expressae et aequaliter vigentes ubicumque terrarum circa practicas coniugum contra prolis generationem et praecipue circa praxim copulam habendi solummodo iis temporibus quibus conceptio raro accidit (methodus Ogino, Knaus et Smulders).

9. Verborum quae dicuntur in administranda fidelibus Sacra Communione numeri deminutio, cum eorum adoptione uniformi ab Ecclesia universa.

10. Regulas fundamentales statuere de iuvenibus educandis in Seminariis et catholicis Scholis necnon de iuvandis, evolvendis atque servandis christiana pietate et morum integritate inter pueros, iuvenes et adultos.

11. Specificare casus sacramentalis absolutionis collectivae.

Una simul Eminentiam Tuam saluto ac Eminentiae Tuae omnibusque integrantibus Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico divina et copiosa lumina, impensissimis precibus, adposco.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus
✠ IOSEPHUS P. COSTA
Episcopus Caetitensis

13

EXC.MI P. D. EMANUELIS TAVARES de ARAUJO
Episcopi Caicoënsis (Caicò)

E Civitate Caicoënsi, die 19 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Libentissime notam facimus Eminentiae Tuae acceptionem litterarum sub n. 1 C/59-279, datarum die 18-6-1959, quibus Eminentia Tua officialiter nuntiat Summum Pontificem instituisse Commissionem Ante-praeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico, cui praeesse Eminentiae Tuae honorificum est.

Iuris voti deliberativi, ad normam can. 223 et consequentis officii nosmetipsos praesentes faciendi, iuxta eumdem canonem, plane conscii, pergratum Nobis est, humilibus Ecclesiasticae Hierarchiae participi-

bus, tanto conventui interesse, qui, ex firma ordinatione SS. Ioannis Pp. XXIII, pristinos doctrinalis affirmationis atque sapientium Ecclesiae disciplinae ordinationum modos recolendo, sic ut olim, ita etiam nostris diebus, ingentes efficaciae fructus pro fidei fulgore, morum firmitate et activa in vita liturgica participatione afferet, optimam opportunitatem praebendo pro optatissima Ecclesiae unitate.

Quae cum ita sint, omnes Christifideles huius Nostrae Dioecesis Caicoënsis convocamus, ut, una cum Universali Ecclesia ferventibus precibus et validis sacrificiis Divini Paracliti lumen a Deo imploremus, firmum pignus collustrationis pro Venerabilibus Patribus Conciliaribus, orationes et sacrificia, inquam, quae suam certam efficaciam habebunt, cum agatur de Corpore Mystico, unito Divino Capiti Christo, cuius vices gerit hisce in terris Romanus Pontifex.

Et quo arctior dioecesanae communitatis participatio habeatur in laboribus et studiis, qua par est prudentia, opiniones et consilia audire conabimur illorum sacerdotum, quorum vita, scientia et zelus testimonium praebent ipsorum S. Ecclesiae fidelitatis.

Eminentiae Tuae
In Domino addictissimus

✠ Emmanuel Tavares de Araujo
Episcopus Caicoënsis

14

Exc.mi P. D. ZACHARIAE ROLIM de MOURA
Episcopi Cajazeirasensis (Cajazeiras)

Cajàzeiras, 6 novembris 1959

Eminentissime Domine,

Litteras quas Eminentia Tua Rev.ma misit (Prot. N. 1 C/59-281) libenter ac grato animo accepi et quidem maxima cum laetitia nuntium de futuro Oecumenico Concilio necnon de Commissionis institutione, Eminentia Tua praeside.

Mentem aperio, iuxta Augusti Pontificis Beneplacitum, circa res sive doctrinam sive cleri populique christiani disciplinam respicientes, quae mihi videntur suggestione dignae pro futuro Concilio.

1. Enixe postulo ut Beatae Mariae Virginis mediatio universalis

cuius definitio ad maiorem Dei gloriam eiusque Genitricis in votis est omnium fidelium proponatur.

2. Exponantur delineamenta quibus socialismus ut hisce etiam temporibus propugnatur cum doctrina catholica rite componi non possit iuxta s. m. Pii XI dicta: « Nemo potest simul catholicus probus esse et veri nominis socialista ».

3. De fidelium participatione in celebratione Sacrificii Missae, quaedam sunt laudanda, quaedam abusiva videntur; immo aliquando quod ab uno episcopo in concelebratione (sic) populo permittitur ab alio reicitur. Haec vacillatio excluderetur si quae licita vel illicita taxative enumerarentur.

4. In Actione Catholica, minor adest uniformitas et maior confusio, quo fit ut interdum diffidentia inter fideles, sacerdotes et etiam episcopos de tanti operis exitu serpat. Iterum mihi videtur quaestionem solvendam esse legibus clarioribus de hac re complexa a Patribus condendis.

5. Quod attinet ad disciplinam sacerdotalem, aliquando accidit parochum, qui, propter rationes ad mentem episcopi non sufficientes, vult discedere a propria dioecesi, defensorem invenire apud alium episcopum vel etiam Nuntiaturam, quod videtur ianuam aperire ut inquieti et inconstantes quocumque incommodo vel molestia faciliter exeant.

6. De habitu clericali eadem incertitudo notatur, non solum apud simplices sacerdotes sed inter religiosos et etiam episcopos, licet in Codice quaestio liquida sit. Nova legislatio Patrum Conciliarium de hac re discussiones inutiles quae fere semper non aedificant vitaret. vitaret.

Haec sunt enim quae Eminentiae Tuae mihi videtur me pro Ecclesiae populique christiani utilitate exponere debere.

Occasionem laetus nanciscor ut Sacram Purpuram humiliter deosculer et me Eminentiae Tuae add.mum profitear.

✠ Zacharias Rolim de Moura
Episcopus Cajazeirasensis

15

Exc.mi P. D. PAULI de TARSO CAMPOS
Archiepiscopi Campinensis (Campinas)

Campinas, in Brasilia, 11 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Litteris respondentes ab Eminentia Vestra die 18 mensis iunii anno 1959 sub n. 1 C/59 datis Venerandae Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico consideranda, summa cum reverentia ea quae sequuntur proponimus:

1. Proclamationem dogmatis de B. M. V. omnium gratiarum Mediatrice.
2. Concessionem Episcopis facultatis dispensandi super impedimenta matrimonialia quae hucusque Sanctae Sedi reservantur.
3. Concessionem Episcopis, in Conventu Provinciae collectis, facultatis statuendi stipendia ac emolumenta intra ius stolae, ipsa Sacramentorum administratione semper gratuita manente.
4. Concessionem sacerdotibus, propter deficientem numerum cleri in Brasilia exsistentem, facultatis binandi in quovis hebdomadis die, ut populo in agro degenti melius inservire possint.

Purpuram Eminentiae Vestrae reverenter deosculor

✠ Paulus de Tarso Campos
Archiepiscopus Campinensis

16

Exc.mi P. D. ANTONII BARBOSA
Episcopi Campi Grandis (Campo Grande)

Campo Grandi, die 15 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

Suavissimum mihi fuit Litteras accipere, quibus Eminentia Tua certiorem me reddidit de proposito deque mente Summi Pontificis Ioannis XXIII, fel. regn., in instituenda Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico.

Ad communicationes quod attinet istiusmodi Pontificiae Commissioni deferendas circa animadversiones, consilia et vota, sollicitudine utique pastorali zeloque animarum inspirante, haec quae sequuntur, mihi videntur in futuro Concilio consideratione potissimum digna:

I. *Quaedam doctrinae capita*

Peropportunum duco — propter instantia nostrorum temporum problemata hominis, familiae, societatis, Ecclesiae — amplam praemittere sive canonibus definiendis sive normis pastoralibus vel disciplinaribus ac praesertim Unioni Christianorum provehendae dogmaticam expositionem.

1. *De homine christiano seu de Anthoropologia supernaturali,* qua appareat *synthesis theologica* Sacrae imprimis Scripturae textibus fulcita de origine, dignitate et quoad animam et quoad corpus, de fine, iuribus, officiis hominis christiani; itaque directe (errores scilicet nominando) vel indirecte (contrariam nempe doctrinam exponendo — quod fortassis melius esset propter valorem magis positivum eumque universalem) falsae illae animi conceptiones attingantur saepe saepius ad praxim deductae:

a) *materialismi* hodie theoretice et practice imperantis;

b) *metempsychosis* spiritistarum in magna parte Ecclesiae pullulantium;

c) « *moralis sine peccato* » nuncupatae;

d) « *ethicae situationis* » existentialistarum;

e) *psychanalismi pan-sexualistarum*;

f) *neo-paganismi* contra bonos mores diabolica vi ingravescentis;

g) *totalitarismi pluriformis* qua libertas hominis suffocatur;

h) aliorum id genus errorum.

2. *De familia christiana*:

De origine, natura, fine, dignitate, iuribus, spiritualitate, officiis sub luce quidem iuris naturae at speciatim divinae revelationis contra errores:

a) *divortii*;

b) *neo-malthusianismi* (birth-control);

c) *abortus*;

d) *sterilizationis*;

e) *artificialis inseminationis*;

f) *totalitarismi* item pluriformis;

g) *monopolii civitatis* in re paedagogica;

h) *levitatis abnormis* qua ad matrimonium sese praeparant sponsi.

3. *De civili societate*:

Praecipua capita doctrinae socialis christianae inde a Leone XIII ad nostra usque tempora mature expositae.

4. *De civitate internationali* spiritu christiano imbuenda.

5. Coronidis gratia exponatur mirifica doctrina *De Corpore Christi Mystico quod est Ecclesia* utpote hodiernis temporibus hominumque indoli nostrae praesertim aetatis respondens necnon Unioni Christianorum fovendae apta quidem maximeque conveniens.

II. *Disciplina Cleri*

1. Puto quod inter sacerdotes cleri saecularis magis magisque urgenda sit vita communis ut medium maioris efficaciae in apostolatu, maioris etiam culturae, necnon qua medium pro vita spirituali fovenda atque demum pro ipsius sacerdotalis coetus honore praeservando.

2. Relate ad habitum ecclesiasticum tonsuramque deferendam potestas specialis legislationis locis temporibusque accommodandae reservetur Conferentiis Episcopalibus Nationalibus seu Regionalibus potius quam singulis Episcopis.

3. Obligatio Divini Officii recitandi mitigari posset ratione ministerii certis potissimum diebus; quod quidem per modum prvilegii nonnullis Ordinibus Religiosis iam conceditur.

4. Breviarium ipsum, iis qui non tenentur ad chorum, ad elementa essentialia, deductis responsoriis et aliis, reducatur. Matutinum imprimis eget huiusmodi simplificatione.

5. Magnum exstat periculum pro sacerdotibus utriusque cleri sese conformandi huic saeculo in spiritu independentiae, seu indisciplinae, in amore novitatum et in pluribus rebus ad impudicitiam spectantibus.

6. Inde exsurgit necessitas accuratissimae formationis utriusque cleri pro alumnis adhibendae. In clericis efformandis ratio habeatur imprimis illorum principiorum, quae nuperrime Summus Pontifex in mentem revocavit in praeclara exhortatione ad Clerum Trium Venetiarum, necnon in Encycylica *Sacerdotii Nostri Primordia.* Praeterea pro ecclesiastica formatione summi momenti principia exponuntur in Litteris S. C. Seminariorum et U. Studiorum die 5 iunii huius anni datis.

7. Specialis indulgentia adhiberi posset sacerdotibus qui a sua vocatione fragilitatis causa defecerunt, quique tamen ad haeresim non transierunt, cum reductione ad statum laicalem et dispensatione a caelibatu. Idem dicendum de iis qui reapse extra vocationem versantur ob anormalitatem. Casus tamen singuli perpendendi sunt.

III. *Disciplina populi christiani*

1. Imprimis maxime probo *Codicis Iuris Canonici* reformationem, cuius quidem principia posset Concilium determinare: eo fine ut legislatio ecclesiastica novis societatis adiunctis accommodetur utque etiam in negotiis solvendis maiorem facilitatem inveniant Episcopi cum parochis aliique sacerdotes.

2. In examen revocetur quid in hodierna societate per « opus servile » intelligendum sit. Estne praeterea adhuc possibile servare omnes dies festos de praecepto?

3. Quaenam « decentralizatio » necnon maior ex omnibus regionibus in Curia Romana repraesentatio faverent utique et ecclesiasticae administrationi et Unioni Christianorum provehendae.

4. Quaestio de Actione Catholica posset utique in Concilio suam eamque definitivam solutionem invenire. Maior sine dubio fovenda est collaboratio in apostolatu omnium sacerdotum utriusque cleri sub ductu Episcopi Dioecesani.

5. In cultu sanctorum sunt certo abusus et excessus cum damno christianae efformationis. In pluribus ecclesiis et altaribus numerus imaginum ultra mensuram censendus est. Inde fortasse momentum alicuius specialis legislationis.

6. Sacra Scriptura in catechesi suum locum eumque principem habeat oportet.

IV. *Ritus Missae, Sacramentorum et Sacramentalium*

1. Permittatur ut in Ecclesia Latina lectio Epistolae et Evangelii saltem in quibusdam Missis lingua vernacula et quidem versus populum fiat. Fortasse aliae quoque Missae partes, Missae nempe catechumenorum possent vernacula lingua recitari.

2. Cum in dies difficilior agnoscatur possibilitas adunandi fideles adultos pro tradenda in diebus festis doctrina christiana et ex altera parte legere certam epistolam certumque evangelium simulque loqui de alia re ad systematicam doctrinam exponendam non sit ideale liturgicum, nonne melius esset adaptare Missis omnibus Dominicarum post Pentecostes ad Adventum usque selectas Epistolas et Evangeliorum pericopes quo exsurgeret systematica vel quasi systematica doctrinae explanatio? Quidquid tamen est, nova in Epistolis et Evangeliis distribuendis conformandisque desideratur reformatio.

3. Desideratur praeterea simplificatio caeremoniarum in administratione sacramentorum, imprimis Baptismi, praesertim ob numerum bap-

tizandorum, in nonnullis regionibus ubi plurimi simul veniunt occasione festorum vel visitationis sacerdotis. Ita e. g. exorcismi possent reduci.

4. In consecratione ecclesiarum et altarium reductio item caeremoniarum est certe in votis.

5. Functiones ipsae pontificales cum adnexis vestibus liturgicis, ratione habita climatis et nostrorum etiam temporum, quibusdam mutationibus saltem pro opportunitate subiciantur.

V. *Restauratio Diaconorum*

1. Utilis, pro Missionibus ne dicam necessaria esset restauratio diaconorum quos vocaverim « cooperatores ».

2. Huiusmodi *Diaconi cooperatores* deberent veram vocationem ecclesiasticam habere cum omnibus scilicet qualitatibus quas requirit Apostolus in *I Tim.* 3, 8-13.

3. Eorum potestas ad ea omnia extendi posset, quae non necessario supponunt vel potius exigunt sacerdotalem ordinis potestatem. Proinde possent quidem praedicare, baptizare, communionem sibi aliisque etiam infirmis distribuere, praeesse processionibus, Vesperis, Benedictionem Sanctissimi Sacramenti impertire, et alia plurima praesertim ex Rituali. Aliquando clausula ponenda esset « absente sacerdote ».

4. Quidam ministerium adimplerent per *tempus sic dictum integrale;* quidam vero simul cum aliqua honesta professione partiale tempus insumerent in bonum fidelium, diebus praesertim festis.

5. Ut tale munus obire possint et veram vocationem ecclesiasticam habeant et debitam scientiam in curso philosophico et theologico adquirendam.

6. Pro eis utique non imponeretur caelibatus.

VI. *Unio christianorum provehenda*

1. Nonnullis disciplinis, rebus vere accidentalibus unioni vel contrariis vel minus saltem favorabilibus renuntiatio ex parte Ecclesiae satis opportuna censenda est.

2. Multa quidem in Concilio fieri possunt in hunc finem sive directe sive indirecte.

3. Si aliquem titulum indicare possim vere mariano-oecumenicum, orientalibus nobisque valde notum, maximeque omnium cordi habendum, is esset *Maria Auxilium Christianorum,* sub cuius patrocinio opus Mariae Matris Iesu omnes christianos in eius Filium materna sollicitudine

congregantis laetanter ab omnibus salutaretur (cf. *Ench. Clericorum*, n. 1345, p. 735).

Quae omnia humiliter propono sapientissimo consilio Eminentiae Tuae, cui addictissimum in Domino me profiteor

✠ ANTONIUS BARBOSA
Episcopus Campi Grandis

17

EXC.MI P. D. ANTONII DE CASTRO MAYER
Episcopi Camposini (Campos)

Campos, die 20 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litterae quas die 18 iunii huius decurrentis anni ad me misisti (Prot. N. I C/59-303) et quibus me certiorem faciebas Pontificem Maximum Ioannem XXIII fel. regn. Pentecostes in festo die 17 maii transacti eiusdemque anni 1959 Commissionem instituisse Antepraeparatoriam tantum prae oculis venturum habentem Oecumenicum Concilium necnon tibi eiusdem Commissionis praesidentem commisisse, periucundissimae misi fuerunt. Animadversiones quidem consilia ac vota erga res et argumenta quae in illa universali synodo tractari possent a futuris Concilii patribus, simulque postulabas.

Quae hoc in Concilio Oecumenico discutienda ac solvenda mihi revera videntur optima ad maiorem Dei gloriam totiusque Ecclesiae, his litteris adiuncta invenies. Ea omnia humiliter ac reverenter Tui arbitrio subicio dum ad Sacrae Purpurae osculum me prosterno sensus aperiens intensae caritatis quos Tibi, Eminentissime Domine, prosequor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
servus in Christo
✠ ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Errores, scilicet, naturalismus, materialismus, etc., unde procedit crisis qua hodie civitas christiana laborat, saepe ab Ecclesia denuntiati et damnati sunt. Conveniens tamen nova videtur condemnatio a Concilio Oecumenico temporibus nostris coadunato.

Nova haec magnam acquiret efficaciam condemnatio, si Concilium ve-

rae coniurationis adversus civitatem Dei, existentiam simul denuntiet. Coniuratio enim antichristiana non collatione fortuita plurium errorum vel errantium fit, immo vero unitate gaudet consilii. Nexus ergo intentionalis inter varios errores utpote media quibus Humani Generis inimicus utitur ad mentibus et hominum moribus imperium suum imponendum, praeteriri non debet. Sic considerata, coniuratio antichristiana apparet, sicut revera est, nempe non ut purum putumque systema doctrinale, sed ut vera novam instaurandi conceptionem vitae intentio, modum cogitandi et agendi se contrarium placitis christianis conferentem.

Efficacia, tamen, antichristianae actionis sita est in disseminatione non tantum errorum illorum quibus nititur, quantum formularum quarumdam prima fronte innocuarum, virus vero nequam coniurationis antichristianae totum in se continentium quod in animas introducunt, sicque artifices imperii inimici creant. Quamvis occultum, virus coniurationis antichristianae novas artis conceptiones vivificat, plures usus in convivio sociali, aliosque modos se gerendi hominum. Tantum, his mediantibus, potest inimicus suum in homines servare imperium. Inde videtur valde opportunum Concilium illas formulas, conceptiones et usus denuntiare et damnare. Ni fallor non aliud in mente habuit r. m. Pius IX cum *Syllabum* edixit. Humili meo iudicio, perutilis fidelibus esset nova sollemniori modo data condemnatio propositionum *Syllabi* illis adaptationibus et pluribus augmentis peractis quae a nostris temporibus postulantur.

Quae autem, iudicio meo, opportune Concilium explanabit in ordine ad civitatem christianam restaurandam, inter alia, haec proponi possunt:

Ingens conatus Generis Humani ad unitatem redigendi. — Ingens conatus unius Generis Humani obtinendi ubique notatur. Huc tendunt plures institutiones internationales, in primis Unesco, quae pro fine habent omnia quidem removere quibus homines inter se differunt. Secundum huiusmodi unitatis fautores nihil magis ad beatitudinem Generis Humani concurreret quam abolitio omnium differentium quae homines et nationes distinguunt et proinde separant. Hominum paradisus esset vita super terram si non amplius quam unus idemque populus, una stirps, una et eadem cultura, unus tantum Status exstaret.

In se, intentio maiorem Generis Humani semper prosequendi unionem, nil reprobandum habet, dummodo sapienter ne negligat iura naturalia et Veritatis Revelatae. Quod, proh dolor! non videtur fieri. Idea, enim, quae, si palam non profertur, saltem subest activitati ad unitatem Generis Humani intentae, est quod religiones dogmaticae homines potius dividunt quam congregant. Inde motus in syncretismum religiosum, seu ad conceptum Modernistarum religionis.

Qui conceptus magis in dies firmatur disseminatione coetuum qui erectionem moralem societatis intendunt quin de vera religione, vel simpliciter de religione, curent, ut « Lions Club, Rotary Club, Réarmement Moral » et ceteri huiusmodi, sicut etiam aestimatione, quae semper maior fit, aliorum coetuum, scilicet illorum qui miseris et pauperibus subvenire cupiunt, asserentes hanc unicam veram et bonam religionem quippe quae caritate fundatur.

Talia, videtur mihi, Concilium ignoscere non posse, cum subdola et efficacissima media constituant corrumpendi germanam civitatis christianae notionem.

Minus malum; thesis, hypothesis. — Defectiones fidelium a certamine adversus maximas saeculi quamplurimas causat, aedificationique civitatis antichristianae iuvat falsus conceptus et usus principii de tolerando malo minore ne maius accidat.

Generatim enim malum minus simpliciter consideratur ut malum diminutae rationis, quod ergo quacumque ex causa permitti potest, verbi gratia, ut contentio animorum vitetur. Inde persuasio quod omnis pugna in se mala est, ideoque semper vitanda, nomine caritatis vel sollertiae apostolicae. Tandem, nostris temporibus, saepe malum minus ut conditio normalis habetur, saltem implicite. Consequenter, extenuatur vel negligitur vigilantia ne malum minus — quod semper malum est — pravos effectus suos multiplicet, et amor ac desiderium conditionis normalis omnia mala excludentis evanescit. Aliis verbis, thesis simpliciter derelinquitur. Exemplum videri potest in quaestione de unione Statum inter et Ecclesiam. Pius IX in *Syllabo* damnavit propositionem affirmantem licitam et necessariam separationem Ecclesiae et Status. Unionem tamen utriusque potestatis nonnulli viri catholici peregrinis verbis ita extenuant ut clare appareat ipsos de iure iudicare conditionem normalem civitatis christianae postulare separationem Status ab Ecclesia.

Adaptatio, cooperatio. — Voluptas quaedam adest apud quosdam adaptandi Ecclesiam moribus saeculi, ut facilius acatholici ad gremium salutis inducantur. Haec tamen adaptatio in detrimentum boni concipi solet, ita ut magis fuga a decertando sit quam zelus animarum. Inde conveniens definitio conditionum quibus adaptatio moribus hodiernis sine periculo fieri possit. Ne, verbi gratia, principium pereat omnino tenendum, adaptationis causa, vel generalis aliqua adaptatio evadat quae nonnisi quibusdam in circumstantiis personae, regionis, temporis, etc. suaderi valeat. Sicque detrimentum patiatur illa ordinatio convivii hominum quae utpote ab Evangelio orta omnibus viribus stabilienda est. Ita, v. g., Sanctus Ioannes de Bosco interdum in tabernis apostolatus opera exercebat; quae a sancto illo peracta aedificatio erat, ab aliis forte scanda-

lum pareret. Idem generatim dici potest de eo quod vocant « captatio benevolentiae », cum potius quam opus apostolicum constituat, nonnisi pars eius minima sit.

Fere idem dicatur de cooperatione cum acatholicis vel infidelibus, hodie communissima. In praxi, conceptus admissus nullum periculum videt in convivio catholicorum cum infidelibus, hereticis vel publicis peccatoribus. Si nullum periculum, omnis cooperatio permittitur, cum vel utilis vel saltem indifferens sit. Ratio est quia homines cum peccent, id faciunt vel ex ignorantia, vel ex fragilitate, nunquam vero ex malitia; ideo facile moventur acatholici ad doctrinam et praecepta Ecclesiae sequenda: cum ipsis convivere ergo conditio demonstratur necessaria ut eorum conversioni provideatur.

Ex eadem ratione omnes ab actione apostolica arceri debent quae irritationes causarent, ut argumenta polemica vel partes minus amabiles Doctrinae Catholicae, infernus, v. g. poenitentia, oboedientia, coetera huiusmodi. Porro omnia sub aspectu suavi alacrique proponi debent.

Educatio speciatim educatio et initiatio sexualis. — Omnis fere puerorum institutio hodierna naturalismo vitiatur. Natura humana undequaque bona declaratur, peccatum originale ut mythum reicitur, disciplina externa, sicut Religio revelata, nociva denuntiatur. Quae contraria sunt huiusmodi deliramentis, opportunum videtur declarare. Pueritia enim non eximitur sequelis peccati originis quod facultates hominis turbavit. Aetas ergo illa germina omnium vitiorum in se continet ita ut nisi auctoritate et prudentia maiorum cohibeatur, passionibus incautos pueros captivabit. Correctio fiat oportet tempestiva, rationalis vera caritate oborta, quin turbationes morbidas provocet.

Tum ex moribus societatis illecebris indulgentis tum ex doctrinae psychanaliticae diffusione, educatio et initiatio sexualis, vitae conceptu materialistico ac naturalistico imbuitur quin parentes et magistri catholici satis resistant. Immo quae a S. S. C. Sancti Officii die 21 martii 1931 in hac re servanda mandavit, fere ignorantur. Nemo tamen est qui dubitet huiusmodi educationem et initiationem maxime concurrere ad mores depravandos et a veritate christiana animos avertendos.

Cleri institutio. — Cleri institutio in primis intendat sacerdotes creare pugnaces contra coniurationem antichristianam in mundo agentem quae animas funditus evertit. Secus timendum ne et ipsi sacerdotes maximis saeculi inficiantur, inutilesque evadant ad civitatem christianam instaurandam. Infeliciter variae quae suggeruntur modificationes in vita vel institutione clericorum, fere omnes spiritum redolent saeculi, et si aliquando ad praxim adveniant, omnia signa distinctionis quae, iure divino, clericos a laicis separant, auferunt, et pedetentim in Ecclesiam introduce-

retur aequalitas omnimoda quae in societate civili in votis est liberalium et communistarum. Sic abrogatio legis veste talari incedendi, item studia humanitatis in seminario peragendi, item de cavendo convivio cum foeminis. Haec ultima, quidem, naturalismo vitiatur, aeque castitatis formationi obest et peccatum originale negligit.

Civitas christiana. — Cum ordinatio societatis civilis valde ad salutem animarum concurrere possit, vel, e contrario ei obesse, efficacior erit actio fidelium tum in pugna adversus conspirantes contra Ecclesiam, tum ad societatem in Christo instaurandam, si in institutione christiana mentibus proponatur descriptio quaedam civitatis catholicae prout his in terris et hodiernis diebus constitueretur. Sic, cognito scopo actionis socialis catholicae, non laborarent in incertum, quasi omnino indifferens Ecclesiae esset qualiscumque convivii humani ordinatio. Et methodus qua scopus ille attingi possit eis ut indicetur valde opportunum videtur, nempe quibus mediis tandem civitas christiana nunc stabiliri possit. Exemplum sumatur a modo agendi communistarum. Si eorum actio unice ad explanationem theoricam civitatis socialistae reduceretur, pauca vel nulla consecuti essent. Vis et efficacia actionis qua imperium in magnam cuiusdam hominum classis partem potiti sunt, ex eo procedit quod suis asseclis aliquid tangibile ut ita dicam proponebant, non solum extollendo iniustitias quas patiebantur, sed praesertim eorum cupiditatem alliciendo bonis in futuro obtinendis ex victoria socialismi, et eorum actionem methodice ordinando ad finem intentum. Ut mihi videtur, civitatis christianae restauratio obtineri nequit cum tantum quaedam noxa socialia, etsi multa, indicantur et singula sanantur; idealis quaedam notitia civitatis christianae hominibus exhibenda videtur, nempe, quisnam sit ordo rerum in praesenti statu a Deo volitus, et quaenam media ad talem ordinem in mundo instaurandum adhibenda sint, fidelibus omnino ut indicentur oportet ut eorum actio ordinata sit, efficacior fiat et ipsi magno animo actioni se voveant.

Nova christianitas. — Necessitas definiendi quid authentica civitas catholica importet, evidens fit cum considerantur spuriae notiones novae christianitatis, fundamento in traditione catholica destitutae, immo quaedam propugnando quae huiusmodi traditioni aperte adversantur.

Coram Communismo. — Vellem ut significaretur quod positio fidelium coram Communismo totaliter differt ab alia possibili coram Liberalismo. In regimine, enim, liberali teneri potuit principium de tollerando malo minori, seu possibilis fuit admissio hypothesis sine negatione thesis. Scilicet, penes gubernium liberale, fideles iure communi niti plura potuerunt bona facere quin cogerentur malum aut agere, aut profiteri. Regimen autem Communistarum non solum non permittit professionem pla-

citis communistis oppositam, sed ipsa dogmata seu principia Communismi ut explicite admittantur imponit. Impossibilis ergo sub ipso, cooperatio vel simplex pacifica coexistentia fidelium. Quodsi aliquam libertatem Ecclesiae tolerat, hoc tactice tantum intelligendum est, nempe statio ut, tempore venturo, melius et securius omnibus tyrannice ordinationem societatis communistam imponat.

Coram Socialismo. — De se civitas illa communista paucos allicit. Quae magnam hominum classem ad Communismum adducit est utopica constitutio civitatis a socialistis propugnata, nempe, societas in amore fundata, in qua nulla miseria vel paupertas, nulla aemulatio cum omnes aequales sint, nulla controversia cum omnes etiam inter homines forte exortae, scientifice solvantur. Talis ordinatio civitatis in amore proximi unice stabilita a pluribus ut vera ordinatio christiana priorum saeculorum proponitur. Ei ergo sufficeret nomen et signa ecclesiastica affigere ut iam a catholicis propugnari possit. Mihi opportunum videtur omnem confusionem dissipare, v. g. declarando ordinationem civitatis a socialistis somniatam, in solo amore et progressu scientifico positam esse contra actualem Divinae Providentiae dispositionem, cum inaequalitas hominum non solum malum minime constituit, sed et melius in praesenti ordine hierarchico rerum et hominum manifestat perfectiones Dei; eo vel magis quod in absoluta paritate omnium hominum quaedam virtutes christianae maxime ad salutem necessariae, ut humilitas, oboedientia, misericordia, etc. fere impossibiles evaderent. Pondus autem quod ex inaequalitate patiuntur homines, consideretur ut poena peccati originalis et ut medium quo exerceantur virtutes.

Interventus Status. — In hodierna disiunctione spirituum, actio status seu gubernii in activitatem societatis maior est quam ordo rerum postularet, et iam incipit considerari ut attributio normalis omnis gubernii. Videtur opportunum denuo statuere principium interventus Status nonnisi ad supplendum actionem civium adhiberi posse. Interventus ergo, extraordinarii, in praesenti ordine et rerum conditione legitimi, ordinentur ad restaurandam activitatem normalem membrorum societatis.

Ceteroquin, quaestiones quae modo in societate civili agitantur, sicut et ceterae omnes omnis temporis, nonnisi instauratione vitae christianae civium solvuntur. Inde cavendum ne nimis fidatur legibus et institutionibus Status, quasi ab ipsis tantum optima ordinatio socialis dependeret, et solutio omnium difficultatum repeti deberet.

Ex dispositione naturali rerum, convivium humanum sociale — maxime si christianum est — habet in seipso facultatem sese in pluribus recuperandi. Unde interventus nimis amplus et assiduus Status ordinem naturalem potius destruit quam iuvat. Actio ergo gubernii prudens sit

et non exerceatur nisi cum nulla alia solutio problematis a membris societatis civilis procuranda, dari possit.

Progressus materialis. — Potius quam ab Ecclesia egredi, maluit semper inimicus in eius sinu permanere ut facilius mentes corrumperet, malum sub specie boni spargens. Ita fecit Iansenismus, et recentius, profundius, ut notabat S. Pius X, Modernismus. Quae etiam nomine Theologiae et Moralis Novae damnavit Pius XII, nihil aliud videtur quam neo-Modernismus. Hodie saepe a viribus catholicis proponitur ut aliquid velut necessarium ad salutem animarum, adaequatio Ecclesiae ad progressum materialem civitatis quem « Technica » introduxit. Talis autem « progressus » generatim spiritu materialistico animatur. Utile ergo videtur declaratio formalis quod, etiamsi Ecclesia omnes inventiones mentis humanae plaudat, minime potest adhaerere spiritui quo cultores progressus frequenter ducuntur.

Philosophia et Theologia Scholastica. — Novus videtur necessarius stimulus pro Philosophia Scholastica, cuius systema ut solidissimum mentis humanae munimen utiliter denuo declararetur, ne catholici viri adhaereant hodiernae philosophiae deliramentis, ut existentialismo, evolutionismo, etc.

Tum in Sacra Theologia, cum in Philosophia notatur timor et contemptus relate ad quaestiones controversas. Invaluit enim idea falsa et reprobanda qua quidam intendunt Ecclesiam polemicas et controversias abominare quasi necessario caritati adversentur. Ideo, in limine respuunt quidquid polemicae visum habet. Affirmanda e contrario, necessitas et utilitas controversiarum, ut, scilicet progrediatur scientia ecclesiastica. Nulla ceteroquin Ecclesiae traditio adduci potest affirmans disputationes, quae moderate fiunt, vinculum unitatis et caritatis rumpere.

Ex timore controversiarum, in catechesi generatim populo traduntur unice veritates fidei, et quidem fere sine explanatione. Consequenter, fideles manent alieni a magna parte vitae ipsius Ecclesiae, theologicae nempe, et pietatem agunt superficialem quae nullo modo ad progressum Theologiae contribuit. Inde divortium inter vitam christianam fidelium et Ecclesiae scientiam; ex quo sequitur vitam christianorum magis in dies minus sacram fieri. Opportune ergo, media proponenda, ut spiritus fidelium actuose a Sacra Theologia nutriantur.

Mediatio Universalis Beatae Mariae Virginis. — Non sine relatione cum civitate christiana restauranda esset definitio dogmatica Mediationis Universalis Beatae Mariae Virginis Matris Redemptoris Domini Nostri Iesu Christi. Dilapsio enim plurium fidelium incipit a falsa notione muneris Christi Redemptoris quae eos a filiali, tenera ac fida devotione erga Beatam Mariam Virginem avertit. Vita ergo christiana ut solide reparetur,

ab hac devotione ut incipiat, oportet. Definitio autem dogmatica Mediationis Universalis Beatae Mariae Virginis Matris Redemptoris potentissimam huic devotioni contributionem afferet.

Magisterium Romani Pontificis. — Primum quidem iuvaret quae in hac re Concilium Vaticanum decrevit, complere, scilicet melius determinando obiectum infallibilitatis Romani Pontificis. Deinde clare edicere quamnam vim habent documenta Magisterii Ordinarii Summi Pontificis et quamnam obligationem pariant, ne simpliciter negligantur doctrinae, v. g. Litterarum Encyclicarum utpote infallibilitate carentes.

Potestas Episcoporum. — Sit mihi venia mentem aperiendi qua scilicet timeo ne vis auctoritatis episcoporum, et salutaris quo gaudent influxus ex immediata ad Romanum Pontificem subiectione extenuetur ex constitutione permanentis coetus episcoporum cuiuscumque nationis vel regionis. Talium coetuum conclusiones voto maioris tantum partis firmatae, quamdam moralem vim aliis imponunt. Vis autem auctoritatis Romani Pontificis in singulos episcopos iure talibus coetibus non extinguitur, tamen autem interpositione illorum minuitur, humili, saltem, iudicio meo.

Actio Episcoporum. — Nullum dubium quod restauratio civitatis christianae maxime ab actione episcoporum dependet. Inde, investigatione sueta, cum candidati ad episcopatum praesentantur, mihi videtur in primis curandum de eorum animo coram socialismo, laicismo, neo-modernismo, etc., in genere, coram erroribus et formulis quibus nutritur coniuratio antichristiana, utrum sc. firmiter, active et efficaciter adversus hos errores et subdolas eorum formulas et modos se habendi dimicare possint et valeant.

✠ ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

18

EXC.MI P. D. BENEDICTI ZORZI
Episcopi Caxiensis (Caxias)

Caxias do Sul, 18 settembre 1959

Avendo da celebrare questa Diocesi, in occasione del venticinquesimo della sua fondazione, il suo primo Sinodo Diocesano precisamente nei giorni sei, sette ed otto settembre, mi permisi di ritardare di due settimane le proposte al Concilio Ecumenico richieste da codesta Ven. Com-

missione per mezzo del Prot. N. 1 C/59-329. Così le presenti proposte riflettono in parte il pensiero del Sinodo.

Chiedendo per la Commissione Antepreparatoria del Concilio Ecumenico i lumi del Divino Paraclito, mi professo servo in Cristo

✠ BENEDETTO ZORZI
Vescovo di Caxias

1. Adsit melior distributio clericorum in mundo: clericus potius adscribatur Ecclesiae quam Dioecesi.

2. In Praelaturae seu Praefecturae Apostolicae administratione iura Praelati et Superioris Ordinis seu Congregationis distincte definiantur ne ob iurgia inter Praelatum et Superiorem Ordinis seu Congregationis cui Praelatura seu Praefectura commissa est Praelaturae seu Praefecturae praeiudicium afferatur.

3. Pro Episcopis infirmis vel senescentibus qui iam non valent cum fructu Dioecesi praeesse adsit amotio ne Dioecesis detrimentum capiat.

4. Capitula Canonicorum aliaeque dignitates aboleantur: maxima dignitas est ipsum sacerdotium. Pro Dioecesi sufficit coetus Consultorum Dioecesanorum; et pro Ecclesia Patrum Cardinalium Senatus et Sacrae Romanae Congregationes.

5. Conferentiae Nationales Episcoporum, semper Sedi Apostolicae subiectae, in quaestionibus maximi momenti in Dioeceses vim iuridicam habeant.

6. Vestis sacerdotalis, ubi mos est, sit vestis talaris. Sed adhuc simplificentur vestes Episcoporum, Regularium, Monialium, Sororum.

7. Ne amplius sint parochi inamovibiles; sed plus minusve parochi decimo quoque anno amoveantur.

8. Religiosi in apostolatu externo in omnibus prae oculis voluntatem Ordinarii habeant: nihil sine Episcopo.

9. Religiosorum privilegia in bonum animarum reducantur, v. g. benedictiones reservatae, erectio Viae Crucis, impositio scapulariorum, etc.

10. Ordines religiosi seu Congregationes finem ne mutent; sed adsit temporibus hodiernis quaedam adaptatio (aggiornamento).

11. In dissitis locis a sede paroeciali (50, 100, 200, 300 Km.) adsit vir ab Ordinario deputatus qui, quantum fieri potest, parochi vices gerat in instructione christiana, in quorundam sacramentorum administratione, etiam in distributione S. Communionis. Vir, quantum fieri potest, sit per tria vota Deo dicatus. Haec deputatio tamen ad nutum

Ordinarii erit. Deficiente tali viro, v. g. in communitate Religiosarum haec deputatio alicui Sorori committatur.

12. In Congregationibus laicalibus adsint religiosi sacerdotio ornati.

13. Ritualis Romani et Pontificalis Episcoporum caeremoniae reducantur, v. g., baptismi adultorum, consecrationis altarium, ecclesiarum, etc. Immo in administratione baptismi plurimorum infantum (10 simul), omnia dicantur in numero plurali, praeter formam sacramenti et unctiones.

14. In mortis periculo facultas administrandi chrisma etiam vicariis cooperatoribus, qui parochorum vices gerunt, et cappellanis conferatur.

15. Ieiunii lex eadem sit et pro christifidelibus et pro sacerdotibus. Immo pro sacerdotibus mitior, ita ut sacerdos post primam Missam per modum potus, exceptis alcoolicis, aliquid sumere valeat etiam immediate ante secundam vel tertiam Missam ne eius sanitas ob ingentes labores deficiat.

16. Distributionis S. Communionis formula haec sit: Corpus Christi. Amen.

17. In casibus extremis, de licentia Ordinarii, ad bonum animarum, etiam horis nocturnis, sacerdotes Missam litandi quater in die facultatem habeant; diebus tamen ferialibus semper, in bonum animarum, binare valeant, attamen cum Ordinarii licentia.

18. Iurisdictio ad audiendas confessiones amplietur: v. g. sacerdos, cum iurisdictione in sua Dioecesi, veniens ad sacerdotem, cui notus, ipso facto iurisdictionem habeat cum obligatione Ordinarium certiorem faciendi.

19. Lex caelibatus clericorum vehementer conservetur, exceptis orientalibus, ubi non viget. Immo ad vitae sanctitatem fovendam, adsit, quantum fieri potest, vita communis clericorum cum voto oboedientiae in sacra illa solemni ordinationis caeremonia emisso. Adsit obligatio exercitiorum spiritualium semel in anno. Pro *actualibus* sacerdotibus apostatis adsit indultum cum dispensatione voti castitatis.

20. Parochus vel qui eius vices gerit, occasione visitationis paroeciae, in dissitis locis, simul cum facultate impedimenta dispensandi, iurisdictionem etiam habeat matrimoniis adsistendi extra limites suae paroeciae, si absit proprius parochus vel eius delegatus et nupturientes in periculo concubinatus versentur.

21. Sacerdotes, cum ter Missae sacrificium cum praedicatione litant, ipso facto a recitatione Divini Officii dispensentur.

22. Collectae pecuniae a missionariis occasione Sacrae Missionis ne fiant.

23. Bona ecclesiastica sint proprietas Dioecesis vel Ordinis seu

Congregationis, seu potius ipsius Ecclesiae ita ut Ordinarius vel Superior Ordinis seu Congregationis possit, post consilii administrationis votum, disponere in bonum paroeciarum vel domorum pauperum. Ita Sedes Apostolica se gerat cum Dioecesibus et Congregationibus Religiosorum.

24. Summa ultra quam Ordinarius vel Superior Ordinis seu Congregationis Sedi Apostolicae recurrere debet ad alienationem bonorum faciendam computetur ad valorem in chilogrammata auri v. g. ne ultra valorem quinque chilogrammatum auri.

25. Adsit poena excommunicationis pro mulieribus quae cum gravi indecentia concursibus pulchritudinis physicae se exponunt vel ad libidinem excitandam pelliculas cinematographicas conficiunt; et haec excommunicatio sit etiam pro promotoribus et propagatoribus.

26. Damnentur errores nostri temporis: spiritismi, « feticismi afrorum seu umbandismi », existentialismi, materialismi, praesertim in educatione iuventutis, in scientia psychologiae tradenda; in scientia psychiatriae applicanda quae aliquomodo sacrae confessionis locum tenere vult.

✠ BENEDICTUS ZORZI
Episcopus Caxiensis

19

EXC.MI P. D. IOSEPHI THURLER
Episcopi Xapecoënsis (Chapecó)

Eminentissime Domine,

Gratissimo animo Officium Prot. N. 1 C/59-364, quod Pontificia Commissio Antepraeparatoria « Pro Concilio Oecumenico » mihi mittere dignata est, feliciter accepi. Veniam humiliter peto me non respondisse (sicut rogatum erat) ante diem primam septembris. Consilia enim quorumdam virorum ecclesiasticorum, uti ab hac Pontificia Commissione erat sollicitatum, communicationis difficultatum causa in hac dioecesi mea, cuius munus pastorale ante quatuor vix menses accepi, paululum protracta sunt.

Quoad ea quae initialiter offerre possum ad praeparatorios labores Concilii venturi, *animo semper submisso,* iudicio huius Commissionis, sequentia proponere arbitror:

1. *Quoad unitatem Ecclesiae*:

Decisio inspirata ac opportuna Romani Pontificis Ioannis XXIII, fel. regn. pergratissime in universo Orbe recepta fuit, ut recolitur ab iis qui commentaria fecerunt.

Spectati viri ex protestantibus opinati sunt ut eorum etiam legati ad Concilium convocentur.

Ferventissime desideratur ut unio Ecclesiae ad faustissimam realitatem deveniat.

2. *Quoad Ius Canonicum*:

a) Ut lex universalis ieiunii et abstinentiae magis unificata statuatur, ut evitetur ne peregrini et itinerantes praesertim perturbentur.

Ratio: Ignorantia legum particularium istius alteriusve nationis, fidelibus propriis legibus obstrictis, admirationem et scandalum praebet.

b) Ut Dominicae tantum considerentur dies praecepti.

Ratio: In legibus suis, quae ad dies feriales spectant, non omnes nationes consonantiam cum legibus ecclesiasticis observant. Sic etiam numerus peccatorum erit minor.

c) Ut Sacerdotes omnes integralem iurisdictionem pro omnibus casibus, relate ad religiosas, gaudeant.

d) Ut Sanctum Sacrificium Missae quacumque hora celebrare permittatur, observata tamen lege ieiunii eucharistici, quae viget in Ecclesia.

Ratio: Conditiones laboris opificumque in dies singulos permutantur, et non permittitur opificis invariabiliter suum tempus liberum. Quoad haec considerentur beneficia allata populo Dei cum Missis Vespertinis etiam in diebus feriatis.

e) Propter deficientem numerum sacerdotum permittatur istis computare tempus ieiunii eucharistici relate ad momentum suae communionis, quando S Missam celebrant.

Ratio: Rationes pastorales et practicae.

f) Ut simplificentur normae ecclesiasticae spectantes relationem inter latinum et orientalem ritum relate ad sacramentum matrimonii.

Ratio: Ut vitentur incomprehensiones et perplura mala cum periculo pro sponsis tantum matrimonium civile celebrandi.

g) Ut reintroducetur in Ecclesia officium diaconale sine onere celibatus, laicis collatum.

Ratio: Ob penuriam sacerdotum et ut ministeria diaconalia contraponantur apostolatui protestantium.

3. *Quoad Ius Liturgicum*:

a) Ut unificetur ac reducatur numerus rituum variarum dierum festuum.

b) Desiderandum est ut revisio Epistolarum atque Evangeliorum textuum peragatur, praecipue eorum qui in dominicis occurrunt.

c) Desideratur abbreviatio aliarum caeremoniarum liturgicarum v. g. consecrationis ecclesiae, baptismi adultorum etc., similiter ad id quod iam factum est in hebdomada sancta.

d) Relate ad officium divinum Breviarii, omnes dies anni considerentur feriales, etiamsi festa maneant.

e) Reducantur vestes liturgicae Episcoporum in Missis Pontificalibus.

f) Permittatur Episcopis, praesertim in regionibus ruriculis uti semper tantum superpelliceo et stola in administratione Sacramenti Confirmationis.

4. *Quoad disciplinam, in genere*:

a) Concedatur Episcopis omnibus facultas permittendi habitum civilem sic dictum « clergyman » ut solvantur discrimina inter diversas nationes.

b) Ut religiosi et religiosae facilius submittantur iurisdictioni Episcoporum in omnibus quae referuntur ad apostolatum, id est, ut minuatur obligatio vitae communis ad fovendum apostolatum praesertim paroecialem.

c) Ut Superiorissae Ordinum claustralium facilius possint absque recursu ad Ordinarium loci, e claustris exire ad morbos curandos.

d) Ut Episcopi maiore amplitudine iurisdictionis gaudeant relate ad religiosos et religiosas.

✠ IOSEPH THURLER
Episcopus Xapecöensis

20

EXC.MI P. D. LADISLAI PAZ
Episcopi Corumbensis (Corumbá)

Corumbá, 5 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteras, quas sub Prot. N. 1 C/59-407, mihi misisti, haud sine tenui animi oblectamento ac gratitudine recepi.

Tibi Eminentissimo Patri ex animo gratulor quod Commissioni antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico electus praees.

Mea perlibenter ad Concilii convocationem vota ac studia praebeo ut maxime Ecclesiae, clero, christifidelibusque salutaris sit.

Propter Dioeceseos angustias ac animarum numerum exiguum, res et argumenta circa Doctrinam, Cleri et Christifidelium disciplinam, nulla teneo citra quae in Brasiliae Excellentissimorum Antistitum conventibus pertractata ac infallibili Augustissimi Pontificis iudicio submissa sunt.

Dum igitur omnia bona Tibi Eminentissimo Patri ac Commissioni Tibi concreditae, ex omnipotenti Dei misericordia, ex animo adprecor, occasionem nanciscor me profitendi Tibi

Add.mum in Domino
✠ LADISLAUS PAZ
Episcopus Corumbensis

21

EXC.MI P. D. ROLANDI CHAVEZ
Archiepiscopi Cuiabensis (Cuiabá)

Eminentissime Domine,

Equidem tuas litteras circulares prot. N. 1 C/59-421 grato animo accepi.

Mihi autem materia super doctrina ac disciplina pro Concilio Oecumenico fere nihil in mentem venit.

Attamen tristissimum statum rerum quum in Brasilia tum in omni America Latina bene perpendens (hae enim partes mundi clero nativo destitutae fidem amittunt) oro ut magni consilii sit, quaenam erit melior ratio iuvandi nationes ad proprium Clerum conficiendum.

Doctrina spiritismi ubique progreditur et missionarii protestantes ex America septemtrionali venientes, abundantia rei pecuniariae (dolares) ditati, omnia loca pervadunt: sacella, scholas, collegia atque valetudinaria extruunt, radio emittentes instituunt, et lycea constituere inceperunt. Multis variisque artibus diffusioni suae doctrinae abundant, veluti quae vulgo appellantur: « jeeps », « automobili », « camions », « aeroplani », « lanchas (scaphae) », « embarcações (naves) », machinae « cinematographicae », « alto parlanti » et alia multa.

Catholici, clero destituti, impares sunt invasioni eorum resistere. Generatim millia catholicorum uniuscuiusque sacerdotis tutelae traditi sunt. Ecclesia Catholica aperte cedit loco: anno 1950 in Brasilia 93% censebantur catholici; at vero anno 1960 ad summum 80% computabuntur.

Oportet alias nationes pecunia ac clero praeditas, quum Brasiliam tum Americam latinam iuvare ut hae nationes clerum proprium efficiant.

1. Necesse est ut pauperes Dioeceses et Praefecturae, nummarie iuventur ut clericorum seminaria extruere atque clericos alere possint.

2. Patres spiritu Dei acti ex aliis regionibus mittendi sunt qui haec seminaria moderentur.

3. Tempore quo hae pauperes Dioeceses et Praefecturae clero nativo destituta sint, oportet sacerdotes missionarios mittere ex aliis nationibus.

Caritas Christi urget has plagas mundi catholici iuvare ne fidem catholicam amplius amittant.

Hae quidem res sunt quae mihi in mentem veniunt proximo Concilio tractandae.

Faxit Deus ut Patres Conciliares mea subsequantur desideria et nos prompto auxilio adiuvent.

Eminentiae Vestrae benedictionem imploro pro hac Archidioecesi, suo Seminario et eius Archiepiscopo.

Peramanter in Domino
✠ ROLANDUS CHAVEZ
Archiepiscopus Cuiabensis

22

EXC.MI P. D. EMMANUELIS DA SILVEIRA D'ELBOUX
Archiepiscopi Curitibensis (Curitiba)

Curitibae, 23 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Quum anno praeterito iter feci Romam Sacrorum Liminum visitationis causa absens fui ab Archidioecesi per tres menses, propterea documentum quod ad responsiones futuri Concilii Oecumenici attinebat ad me pervenit, iam domi reducem quia ad Urbem remissum fuerit.

Postquam autem in patriam redii, propter multos labores ad promovendas praeparationes Septimi Congressus Eucharistici Nationalis, epistola Eminentiae Tuae oblivioni data est, ideoque habeas me excusatum pro tanto lapsu memoriae.

Propositum Beatissimi Patris Ioannis XXIII Concilium Oecumenicum celebrandi magno cum gaudio acceptum est, plaudentibus Episcopis Brasiliae aptissimisque laicorum.

Nunc autem libenti animo et omni cum sinceritate, uti Eminentia Tua exoptat, Pontificiae Commissioni animadversiones et consilia quae sequuntur tamquam opportuna et perutilia reverenter communicare velim:

1. Communicatio magis intima et benevola ideoque minus protocollaris inter Episcopos et Summum Pontificem, Congregationes Romanas; etc. etiam inter sacerdotes et seminaristas et Episcopos Dioecesanos.

2. Maior ordinatio Religiosorum quoad formam Dioecesanam apostolatus et submissio strictior Ordinariis locorum quum in regimen paroeciarum versantur.

3. In causis pertractandis inter Superiores Generales et Episcopos, auctoritatem efficaciorem his concredere.

4. Normas determinare, bene definitas, tutas ac stabiles pro cleri institutione in nostris Seminariis.

5. Recognitio normarum quoad clausuram et electionem superiorissarum in domibus Religiosarum.

6. Creatio Diaconorum in aliquibus regionibus ad supplendam sacerdotum penuriam valde commendatur.

7. Statuere media uniformia ad cleri sustentationem ut taxarum, et collectarum suppressio possibilis sit.

8. Simplificatio ordinis baptismi adultorum.

9. Participatio magis directa christifidelium in Sacrificii Missae celebratione.

10. Simplificatio sacrorum indumentorum pontificalium.

Haec sunt quae mihi occurrerunt et Commissioni antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico et pro revisione Codicis Iuris Canonici reverenter trado.

Bona omina pro felici futuri Concilii Oecumenici celebratione facio, ac insuper impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus
✠ EMMANUEL DA SILVEIRA D'ELBOUX
Archiepiscopus Curitibensis

23

EXC.MI P. D. IOSEPHI N. DE ALMEIDA BATISTA
Archiepiscopi Adamantini (Diamantina)

Adamantini, 20 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

De epistola formali accepta prot. N. 1 C/59-443, diei 18 iunii anni currentis, Tibi gratiam faciebam, Eminentissime ac Reverendissime Domine, ac omnibus laetitiis haec propere rescribebam.

Augustus Pontifex Ioannes XXIII fel. regn. describit Ille ipse maxima qua potest auctoritate necnon et scientia rerum circumstantiarumque omnium certa, proximi Concilii Oecumenici quaestiones in Encyclica *Ad Petri Cathedram.* In ea inveniuntur vota praesentia et necessitates Ecclesiae, rationem Concilii demonstrantia. Nihilominus, humiliter *omnique cum libertate et sinceritate,* summatim dicam — ob unius litterae angustiam — res et argumenta quae in apostolatu pastorali mea potuit conscientia reperire. Nempe:

1. Quaerenda, omni in Christo caritate, unio haereticorum ac schismaticorum; amota « manu extensa », exhibenda omnibus hominibus unica via salutis, quae in Ecclesia Dei invenitur.

2. Expresse denuntiandus, ut haeresis, spiritismus.

3. Proponenda de sorte infantium sine Baptismo decedentium authentica et manifesta solutio.

4. Si commodum accommodatumque fuerit, persequendae ac finiendae quae adhuc impendent res Concilii Vaticani.

5. Omni modo urgenda seminaristarum formatio, quia ex illa disciplina cleri universe pendet.

6. Episcopus sum in natione latina, ubi usui vestis talaris traditio et circumstantiae favent, sed eiusdem habitus iam surgit aliqua repulsio (novitas, americanismus, naturalismus?...): si de ea re actum fuerit aliquando, censerem — si unquam res in medio fuerit — non relinquendum iudicium in uniuscuiusque Ordinarii loci manibus, sed subiciendum omnis episcopatus cuiusque nationis pluribus medietate suffragiis.

7. Circa mores conformandos, quando quidem ars cinematographica et « televisio » videntur conspirare ut media corruptionis maxima, consilia componenda sunt ut a mala in bonam consuetudinem harum artium transeamus. Uno animo ab Ecclesia universali vires impendantur in condendis « filmibus ».

8. Confirmanda principia Ecclesiae in his quae educationem tangunt, adversus naturalismum, liberalismum recentem, et sic dictam « autoeducationem ».

9. Minuendum Rituale Baptismi parvulorum et, a fortiori, adultorum.

10. Expedienda amplius lex ieiunii eucharistici, quae adhuc difficultatibus practicis locum praebet populo simplici.

11. Stabilienda Communio annua pro paschali.

12. In communione administranda, ubi defuerit minister ordinarius, laici admittantur, Ordinarii loci iudicio.

13. In Codicem iuris canonici hodiernis necessitatibus accomodatum apparandum, subiciam:

a) minuenda et ad formam simpliciorem redigenda impedimenta matrimonialia;

b) solvendum authentice impedimentum impotentiae;

c) quod attinet ad can. 1435, Sanctae Sedi non reservanda nisi prima provisio, ut vitetur possibilitas processus in infinitum.

In his Eminentiae Tuae tradendis Dominum precor pro ingentis operis exitu felici a Summo Pontifice huic Commissioni Antepraeparatoriae concrediti, preces adhibendo pro fausto eventu Concilii futuri.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor.

Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor

dev.mus
✠ IOSEPH N. DE ALMEIDA BATISTA
Archiepiscopus Adamantinus

24

EXC.MI P. D. IOSEPHI DE AQUINO PEREIRA

Episcopi Auratopolitani (Dourados)

23 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Litterae ad me missae, die 18 iunii 1959, usque ad me pervenerunt. Responsum antea non dederam eis, quia parvi momenti praesumpseram contributionem, quam praebere poteram.

Iteratis autem litteris, die 21 martii 1960, necessitatibus ecclesiae Auratopolitanae perpensis, mihi visum est opportunum ad considerandum proponere:

1. De obligationibus et privilegiis religiosorum ita moderandis ut melius inservire valeant necessitatibus Ecclesiae et unitati actionis apostolicae in dioecesi.

Idem dicatur, mutatis mutandis, de associationibus fidelium, quae ab ipsis immediate pendent.

2. De auxilio praebendo dioecesibus clero dioecesano carentibus, praesertim in Seminariis dioecesanis initiandis et in vocationibus sacerdotalibus fovendis.

3. De honesta sustentatione clericorum et de eorum adminiculo in infirmitatibus et in senectute ita ut non indigeant sollicitudine de bonis materialibus, in detrimento zelus sacerdotalis.

4. De progressu faciendo in utendis modernis medis diffusionis, ad praedicandum verbum Dei.

Haec sunt quae mihi apparent suaderi a necessitatibus peculiaribus dioecesis Auratopolitanae, cui nullus est sacerdos dioecesanus.

Cum summa reverentia, humillimus servus in Domino

✠ IOSEPHUS DE AQUINO PEREIRA
Episcopus Auratopolitanus

25

EXC.MI P. D. IOACHIMI DOMINGUES DE OLIVEIRA
Archiepiscopi Florianopolitani (Florianopolis)

Florianopli, 12 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Honorem mihi duco Eminentiam Vestram Reverendissimam certiorem facere me abhinc paucis diebus Litteras Eminentiae Vestrae n. 498, diei 18 mensis iunii praeteriti accepisse, desiderantis cognoscere opiniones seu sententias et vota mea circa res et argumenta quae in futuro Concilio versari poterunt.

Imprimis, mihi pergratum est mentem meam sincere pandere de opportunitate et momento praelaudati Concilii, praecise hac nostra aetate, cum, ut probe credo, et attentis adiunctis, sicut iam accidit aliis temporibus, spes affulgeat veram unitatem illorum omnium qui fidem christianam profitentur, tam ex iis qui ad Orthodoxam Ecclesiam pertinent, quam ex variis sectis Novatorum, assequendam.

Faveat Deus vota, spem et labores non paucos Beatissimi Patris largissime obsecundare, ita ut, ii qui ad ovile pertinent, in fide et vera disciplina ecclesiastica firmentur; alii, qui usque nunc extra manent, quanquam de nomine christiano glorientur, ad unitatem sincere redeant, sub auctoritate et caritate Beati Petri, ut tandem, sicut voluit Christus, unum ovile sub uno universali Pastore habeatur.

Quod ad disciplinam cleri attinet, multum proficiat cum Litterae, monita, decreta, etc., Romanorum Pontificum et Sacrarum Congregationum quae iam suo tempore prodierunt, in unum redigantur et prae manibus habeantur; sed iam a tempore Seminarii omnes qui se proxime ad Sacerdotium preparantur, *speciali cura* sensum litteralem et spiritualem illorum quae in Breviario et Missale continentur, vere et perfecte addiscant, ita ut, recitatio Breviarii fiat, quantum liceat, vera et fructuosa *oratio;* et sanctum Sacrificium verum centrum omnium acti-

vitatum sacerdotalium constituat; forsitan, confirmata lege habitum talarem — qui monitum et praesidium est — non tantum intra ecclesiam, sed etiam publice cum honore tradendum.

Ad parandos futuros legislatores et conductores populi, ex quibus, si recte formati, pax et securitas societatis forte pendeat, probe credo multum proficiet, si in Facultatibus seu Universitatibus, saltem catholicis, Cursus seu disciplina Iuris Publici Ecclesiastici habeatur, quo omnes de natura, iuribus, etc., qui ex mandato Christi competunt Ecclesiae Catholicae, debite edoceantur.

Haec sunt ut dicam.

Interim, qua par est reverentia et devotione, Eminentiae Vestrae Reverendissimae permaneo

humillimus ac obsequentissimus
servus in Domino

✠ IOACHIMUS DOMINGUES DE OLIVEIRA
Archiepiscopus Florianopolitanus

26

EXC.MI P. D. ANTONII DE ALMEIDA LUSTOSA
Archiepiscopi Fortalexiensis (Fortaleza)

Fortalexiae (Ceará) 29 martii 1960

Eminentia,

Eminentissime Cardinalis Tardini Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico Praeses, respondeo litteris tuis ad eumdem Concilium se referentibus.

Fructus copiosi, credo, advenient omnibus fidelibus cum Concilium Oecumenicus feliciter conclusus fuerit. Faxit Deus.

Cum Eminentissimus Praeses desideret ut confidenter exponam « animadversiones, consilia, vota », aliquid dicam.

Verba can. 1098 § 1, *C.I.C.* « et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam » mihi videntur causa difficultatum gravissimarum, in causis matrimonialibus.

Matrimonium coram solis testibus in multis casibus, quoad validitatem, contrarias parit opiniones.

Surgit quaestio de absentia physica vel morali, quaestio de ignorantia coniugum circa legem canonicam, quaestio de contrahentium intentione.

Summopere exoptatur lex quae arceat omne dubium in materia tanti momenti.

Circa leges liturgicas, desiderabilissimum esset, si ordinatae fuissent et formarent Codicem similem *C.I.C.*

Interim maxima cum reverentia me profiteor

Eminentiae Tuae add.mum
✠ ANTONIUS DE ALMEIDA LUSTOSA
Archiepiscopus Fortalexiensis

27

Exc.mi P. D. IOSEPHI A. DANTAS
Episcopi Garanhunensis (Garanhuns)

Garanhans, in Brasilia, 18 augusti 1951

Eminentissime Praesul,

Mihi valde honorificum teneo Eminentiam Tuam certiorem facere me Tuas accepisse Litteras (Prot. N. 1 C/59-530) quibus dignatus es mihi significare Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. regn., nuper Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam, pro futuro Concilio Oecumenico instituisse, Teque eiusdem Exc.mae Commissionis Praesidem elegisse.

Eisdem Litteris sermonem habes de pluribus rebus quas cognoscere studet augustus Pontifex, ea, scilicet, consilia, vota et opiniones omnium Episcoporum, ea circa quae in futuro Concilio Oecumenico discutienda et providenda opportunius digna videantur.

Salva igitur omni mea reverentia ac ab imo animo prorsus omnibus adhaerens quae tunc in augusto Coetu sapienter et tractabunt et adprobabunt RR. PP. Conciliares, haec tamen, paucissima quidem, ad Cleri disciplinam doctrinaeque capita, inter alia, tangi posse humilis censeo:

1. *Ad Ordinis Sacramentum*:

Subdiaconatus, sicut olim in Latina, nunc vero in Ecclesia Graeca, inter Ordines Minores denuo adnumeraretur. Quo suscepto, Subdiaconus, sui iudicio Episcopi, debitisque adhibitis cautelis, extra seminarium, per annum unum, parocho vere idoneo versari permitteretur, rei pastoralis studio vocationisque firmandae.

2. *Ad disciplinam populi christiani*:

Can. 2335 *C.I.C.* indiscriminatim respicit massones. Accidit autem in pluribus orbis regionibus, v. g. in Brasilia, ut plerique massonum sectae sua dent nomina, quin vere sciant quid sit vel studeat ea secta, et sic procedunt non ut Ecclesiae vel legitimis legibus civilibus adversentur, sed potius et unice ut rei oeconomicae consulant suae, fide servata.

Quae cum ita sint, mihi videretur rectius statui ut massones eiusdemque similes dupliciter haberi possent, ii scilicet qui publice, notorie et violenter Ecclesiae legibusque adversantur: hi damnatione plectentur, sicut in Codice inter eos praesertim qui in secta locum gradusque obtinent praecipuos. Alii vero qui sectae associantur rei causa oeconomicae tantum, benignius mihi respici viderentur.

3. *Ad leges foecunditatis seu generandi*:

Nemo est qui, his temporibus, ignoret quaestiones de lege foecunditatis seu generandi molestius et frequentius ingravari, quin saepe vera adhiberi possint remedia. Hac de re clarior ac firmior lux quaeritur. Quoties equidem a poenitentiae tribunali matres dimittimus, quin earum causis attendamus, et, quod peius est, perdita omni spe ut ad illud eae amplius animum ferant revertendi.

Eminentiae Tuae a Domino fausta adprecans
tuus in Illo servus
✠ IOSEPH A. DANTAS
Episcopus Garanhunensis

28

EXC.MI P. D. FERDINANDI GOMES DOS SANTOS
Archiepiscopi Goianiensis (Goiânia)

31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Accepi Eminentiae Tuae litteras ad me datas die 18 iunii 1959, quibus de institutione Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico a Summo Pontifice Ioanne XXIII, fel. regn., certiorem Eminentia Tua me faciebat, simulque rogabat ut communicare vellem eidem Commissioni Pontificiae « quod pastoralis sollicitudo zelusque ani-

marum suggerant circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari possint ».

In hoc labore conficiendo, ut mihi in litteris suggerebatur, usus sum consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium, in quantum in his regionibus tam dissitis licuit.

Plures quaestiones in duplici sessione a praesentibus sunt agitatae, ex quibus praecipuas, hinc inde discussas, et in compendium redactas, ad Eminentiam Tuam hodie mittere intendo.

Antequam his litteris finem imponam, Eminentiae Tuae, ut debeo, gratuler ob acceptam a Summo Pontifice istius Commissionis Praesidentiam, pignus a Deo nobis oblatum felicis futurorum laborum exitus.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus
✠ FERDINANDUS GOMES DOS SANTOS
Archiepiscopus Goianiensis

I. *De Breviario*

Maior simplificatio in genere unanimiter desideratur. Quoad Matutinum praesertim unicum Nocturnum — ut in die Resurrectionis Domini — cum tribus lectionibus, quarum prima et altera de Scriptura, accuratius seligenda, tertia de Festo.

Quoad Parochos eorumque Coadiutores, aliosque Sacerdotes curam animarum habentes, diebus dominicis et festis, aliisque similibus, quibus saepe saepius bis et ter celebrare debent non omissa praedicatione, Breviarium non nisi Prima et Completorio absolveretur.

II. *De Sacrificio Missae*

Ad maiorem animarum fructus strictioremque fidelium cum Sacerdote unionem in actione liturgica, opportunum arbitrati sunt:

1) Ante Missam et Communionem cum sequentibus in lingua vernacula esset dicenda.

2) Ut altare versus populum disponatur.

3) Ad bonum fidelium, simulque ad tranquillitatem conscientiae haesitationesque vitandas, maior simplicitas desideratur in requisitis ad celebrationem Missae, praesertim in nostris regionibus tam dissitis, ubi nemo est qui curam convenientem de his omnibus gerere possit: v. gr. ut sine ara, et adhibita quavis tobalea munda, supra quam corporale collocetur, litari liceat: Itemque quibuscumque in circumstantiis, sacrificium offerre possit sine Acolytho.

III. *De Sacramentis*

Recepto unanimi plausu tum Pastorum tum fidelium vernaculae linguae usu in administrandis Sacramentis, idem licere exoptaretur de Benedictione nubentium intra Missam adhibita.

IV. *De Diaconatu*

Congruum visum est Ordinem Diaconatus ad mentem primaevae institutionis restaurare, ut munus ecclesiasticum, a sacerdotio independens, quo efficacius sacerdotes in suo munere iuventur, et fidei conservationi in suprema, qua laboramus, Sacerdotum egestate, efficacius provideatur.

V. *De iurisdictione ad audiendas Religiosarum confessiones*

Legislatio magis simplex desideratur, quae ab ipsis Religiosis, in quarum favorem fertur, facilius cognosci possit. Actualis enim legislatio, quamquam accuratissima, ansam innumeris scrupulis haesitationibusque, teste experientia, dare videtur; ex ignorantia quidem, sed cui occasionem praebet aliqua Canonum implicatio.

Praeterea absonum quid videtur Parochos, vi muneris, non habere iurisdictionem in Religiosas in sua Paroecia commorantes.

VI. *De Cleri Disciplina*

Pastoralis sollicitudo Episcoporum in Dioeceseos gubernatione, nonnumquam maximam experitur difficultatem, ex eo ortam: quod plurimae Paroeciae, vi Iuris Canonici, tamquam propriae habeantur, eorumque Parochi inamovibiles declarentur. Age vero: mutatis aliquando Parochi viribus tum moralibus, tum physicis, quin quidquam gravioris momenti adduci possit, via Episcopo expedita non patet, ut, illo a Paroecia amoto, efficaciter animarum bono provideat.

Actualis igitur disciplina opportunius fortasse perficeretur, si, praetermissa de inamovibilitate consideratione, lex unice fidelium fructum prospiceret.

Quid simile dici posse videtur quoad Paroecias Religiosis commissas; in quibus saepe saepius conflictus exsurgit ex eo quod Religiosus Parochus vel facilius amoveatur a Superiore Religioso, Episcopo non opportune admonito, vel Parochus in ministerio adimplendo duplici vinculo adstringatur: Superioris scilicet, et Episcopi. Quarum difficultatum solutionem, quamquam difficilem non negligendam esse

iudicamus. Patet enim optimam Dioecesis gubernationem maxima ex parte pendere ex auctoritate qua Episcopus polleat in apta suorum coadiutorum distributione.

VII. *De populi christiani disciplina*

Nimis exigua simul et contracta apparet legislatio circa Laicos. Omnia enim quae tum de iuribus tum de obligationibus laicorum dici possunt et debent uno canone absolvuntur.

Tituli enim sequentes qui cann. 684-725 comprehenduntur non nisi de eorum Associationibus agunt.

Nec tacere nec dissimulare possumus hodiernas temporum personarumque conditiones exigere maiorem harum associationum « actualizationem » ut dicunt; praesertim Confraternitatum et Sodalitatum (Confrarias e Irmandades), quae quidem in *C.I.C.* determinanda videntur.

Perutile erit addere caput de laicorum apostolatu tum in genere, tum in specie de Actione Catholica.

✠ Ferdinandus Gomes dos Santos
Archiepiscopus Goianiensis

29

Exc.mi P. D. HERMINII MALZONE HUGO
Episcopi Valadarensis (Governador Valadares)

21 aprilis 1960

Excellentissime Domine Praeses,

Placet mihi responsionem ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam Pro Concilio Oecumenico hisce litteris mittere cum sequentibus votis quae magnae utilitatis aestimo:

1. Communio paschalis de qua in can. 859 fiat communio annua, non restricta ad tempus Paschatis.
2. Officium diaconorum in dioecesibus instituendum ad ministranda sacramenta baptismi, sacrae communionis, extremae unctionis, ad assistendum matrimonio et ad evangelium praedicandum, si necessitas dioecesis id exigat et viri idonei adsint.
3. Dies festi de quibus in can. 1247 aboliendi aut transferendi ad diem dominicam, exceptis festis Nativitatis atque Circumcisionis.
4. Dioeceses cum paucissimis sacerdotibus saecularibus committendae congregationibus religiosis.

5. Urget reformatio Breviarii.

Adprecans Dominum ut labores Commissionis benedicat, profiteor me Excellentiae Tuae Reverendissimae addictissimum,

✠ Herminius Malzone Hugo
Episcopi Valadarensis

30

Exc.mi P. D. ANTONII LIMA DOS SANTOS
Episcopi Ilheosensis (Ilhéus)

Ilhéus, die 18 maii 1960

Eminentissime Princeps,

Cum mense aprili anni 1960 litteras receperim quibus nomine Eminentiae Tuae denuo rogabar ut animadversiones, consilia et vota mea ad ea relate quae in Concilio Oecumenico agi possent communicarem, et his de rebus coniunctim cum aliis Episcopis huius Provinciae in collectivo quodam documento (mense octobri 1959) responsum dederim, iustificationem hanc profero ac declaro me nihil amplius ad proponendum habere.

Eminentiae Tuae Rev.mae
Add.mus

✠ Antonius Lima Dos Santos
Episcopus Ilheosensis

31

Exc.mi P. D. GERALDI DE PROENÇA SIGAUD
Episcopi Jacarézinhoënsis (Jacarézinho)

Jacarézinho, die 22 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteris Tuis diei 18 iunii obsecundans, quibus a me petis opinionem de rebus quae in futuro Concilio Oecumenico tractandae sunt, Tibi praesentes litteras facio. Cum humilitate et modestia quaedam quae mihi magni momenti sunt, praesentabo, sed non habeo in mente aliquem accusare vel Superiores meos crisi subicere. Non erit sermo de quae-

stionibus dogmaticis vel iuridicis. De iis alii Episcopi certe tractabunt. Quaedam practica et fundamentalia pro futuro Ecclesiae vertam, et ad ea Tuam benignitatem deprecor.

Proemium

Quando considero actualem vitam catholicam in mea Patria et in aliis partibus mundi, multa video quae signum vitae sunt, apta quidem ad refocillandam animam quae Ecclesiam Christi diligit. Quaedam tamen video quae me magna angustia afficiunt. Tam gravia sunt, ut putem ea esse digna consideratione Commissionis Pontificiae Antepreparatoriae pro Concilio Oecumenico et postea ipsius Concilii.

Video principia, spiritum sic dictae *revolutionis* penetrare in *clerum* et in *populum christianum,* sicut olim principia, doctrinae, spiritus, amor paganismi intraverunt in Societatem Medievalem, et *pseudo-reformationem causaverunt.* Multi ex Clero non iam vident errores Revolutionis, ei iam non resistunt. Alii ex Clero Revolutionem amant tamquam causam idealem, eam propagant, cum ipsa collaborant, et adversarios Revolutionis persequuntur et eorum apostolatum calumniantur et impediunt. Pastores plurimi silent. Alii errores et spiritum Revolutionis amplexi sunt, et palam vel in occulto ei fovent, sicut fecerunt Pastores tempore Iansenismi. Illi qui errores accusant et impugnant a collegis persecutionem patiuntur, « Integristae » vocantur. Ex Seminariis et ex ipsa Alma Urbe redeunt seminaristae pleni idearum Revolutionis. Ipsi se dicunt « maritainistas », sunt « discipuli Theilhard de Chardin », « socialistae catholici », « evolutionistae ». Raro sacerdos qui Revolutionem impugnat ad Episcopatum evehitur; frequenter ii qui ei favent.

Meo modesto iudicio, Ecclesia deberet *organizare* in ambitu mundiali *pugnam sytematicam contra revolutionem.* Ignoro utrum hoc fiat. Ipsa Revolutio aliter procedit. Exemplum huius organizati et systematici laboris est ortus mundialis, simultaneus, uniformis *democratiae christianae* in multis nationibus statim post immane bellum. In omnibus terris hoc fermentum penetrat. Fiunt Congressus, creatur *internationalis,* et ubique « slogan » est: Faciamus Revolutionem nos ipsi, antequam alii eam faciant. Est Revolutio per consensum catholicorum. In mea humili opinione, si Concilium vult effectus salutares habere, debet primo considerare statum hodiernum Ecclesiae, quae ad similitudinem Christi, est in nova Feria Sexta in Parasceve, suis inimicis tradita sine defensione, uti iuvenibus Italiae dicebat Pius P. XII. Oportet pugnam mortalem videre quae contra Ecclesiam in omnibus campis fit, *hostem*

cognoscere, strategiam et tacticam pugnae discernere, eius logicam, psychologiam et dynamicam clare videre, ut possimus singulos agones huius belli securo modo interpretari et bellum contrarium organizare et secure ducere.

I. *Hostis noster*

Hostis noster implacabilis Ecclesiae et Societatis Catholicae, iam abhinc sex saeculis in agone stat mortifero et lentu et systematico progressu totum fere Catholicum ordinem, *civitatem Dei scilicet* evertit et destruxit, et eius loco *civitatem hominis construere conatur.* Eius nomen est *revolutio.*

Quid vult?

Totum ordinem vitae humanae, Societatem et Humanitatem construere sine Deo, sine Ecclesia, sine Christo, sine Revelatione super solam Rationem Humanam, super Sensualitatem, Cupiditatem et Superbiam. Ad hoc necesse est Ecclesiam funditus evertere, destruere, substituere.

Hostis hic hodiernis diebus in maxima activitate invenitur, nam certus est suae victoriae in proximis annis. Et tamen, multi Duces catholicorum haec quae dico tamquam somnia malae phantasiae spernunt. Ita agunt sicut agebant viri Constantinopolitani in annis qui cladem praecesserunt: caeci, periculum videre noluerunt.

A) *Secta Franco Massonica*

Oculi totius Concilii in hanc sectam dirigendi sunt.

Hodie adhuc valent verba Summorum Pontificum qui eius metaphysicam denuntiaverunt toto caelo Revelationi oppositam, et eam indicaverunt *vim centralem* in bello implacabili contra Societatem Catholicam. Post duo saecula realizata videmus ea quae S. P. Clemens XII tamquam *programma* huius sectae denuntiabat. Adhuc quaedam huius programmatis desunt. Nostris diebus haec maxima intelligentia, perversitate, energia et logica procurantur, et rapido cursu adveniunt. Pauca desunt ad *civitatem hominis* penitus construendam. Quot anni adhuc Ecclesiae concedentur in « concilio regum terrae »? ad « novum ordinem saeculorum » mundo et Christianis imponendum?

Afferre desidero argumentum aliquod gravissimum, quod demonstrat coniurationem mundialem contra Ordinem Catholicum, et eius proximam victoriam, nisi Deus modo miraculoso salvet Ecclesiam et nos tale miraculum nostro indefesso labore praeparemus. Agitur de pecunia Americae Septemtrionalis Statuum Foederatorum unius Dollaris.

Si hanc chartulam attente consideramus, quid videbimus?

In circulo ad latus dextrum videmus pyramidem quae construitur super magnam et incultam planitiem. Lapides qui eam componunt sunt quadri et politi. Sensus huius allegoriae indicatur in disticho qui legitur in vitta: *Novus ordo seclorum.* Pyramidis significat novam humanitatem quae componitur hominibus illustratis a Franco Massonibus, quorum symbolum est lapis politus, in quem transformantur homines a Deo creatore creati, sed a Magno Architecto Universi transformati. Basis pyramidis indicat fundamentum huius Novi Ordinis Seclorum: MDCCLXXVI qui est annus nativitatis Status Americani.

Status Foederati (U.S.A.) sunt ergo basis huius Novae Humanitatis massonicae. Pyramidi deest puncta. Novus ergo Ordo Saeculorum nondum est completus, sed pauca desunt. Finietur tamen certe opus, nam super totam pyramidem fertur « Deus », non Pater Iesu Christi, qui est Creator malus, sed Deus Gnosticus, Architectus: repraesentatur oculo in triangulo circumdato radiis. Sumus in pleno dualismo gnostico-manichaeo qui est basis theologica sectae Massonicae. Hic « Deus » *annuit coeptis,* sicut legitur super pyramidem: scilicet: benedicit operi, id approbat, cum eo concordat.

Haec allegoria nimis eloquens est. Novus Ordo Saeculorum pro nobis fundatus est a D. N. Iesu Christo, et coeptus est abhinc 1959 annis. Ordo Novus de quo agitur coepit anno 1776. Est constructio quae opponitur naturae creatae. Mox hic ordo finietur.

En quaestio vitalis pro Ecclesia. Ordo Massonicus opponitur Ordini Catholico. Mox Ordo Massonicus totam humanitatem complectetur. Tamen multi Duces Catholicorum hoc non vident, plurimi silent.

Post Leonem XIII nulla amplius Encyclica de hac Secta. In Universitatibus et Seminariis quid de illa docetur? quid in Sociologia de hac gravissima quaestione dicitur? In directione mundiali et nationali Ecclesiae, saepe ignoratur hoc problema: adest aliqua tregua. In studiis et orientationibus sacerdotum non est sermo de eius programmate, methodo, de systema totius sociologiae massonicae, de eius fine, de spiritu, de mediis, de tactica et strategia. Iesuita quidem gallus, P. Berthelot librum scribit de possibilitate harmoniosae collaborationis inter Ecclesiam et Sectam!

Periculum est actualissimum. Episcopi Argentini illud sentierunt et fideles suos ad litem vocaverunt. In Brasilia signa sunt proximarum pugnarum.

B) *Communismus*

Communismus est alius hostis Ecclesiae Catholicae. Massonica Secta congregat « burgenses »; Communismus organizat « Proletarios ». Finis amborum idem est: Societas socialista, rationalista, sine Deo et sine Christo.

Amborum est caput commune:

C) *Iudaismus internationalis*

1. Condemnamus omnem persecutionem contra iudaeos, propter eorum religionem, vel ob rationes ethnicas. Ecclesia est contra « antisemitismum ».

2. Sed Ecclesia non potest ignorare facta praeterita et affirmationes claras Iudaismi Internationalis. Duces huius Iudaismi a saeculis conspirant contra Nomen Catholicum, et modo methodico et odio immortali praeparant destructionem Ordinis Catholici et construunt Ordinem Imperii Mundialis Iudaici. Ad hoc serviunt Secta Massonica et Communismus. Pecunia, media informationis periodicae, politica mundialis in magna parte in manibus Iudaeorum iacent. Quamvis sint maximi capitalistae, et propter hoc deberent esse maximi adversarii Russiae et Communismi, eum non timent immo eum ad victoriam adiuvant. Proditores secretorum atomicorum U.S.A. fuerunt Fuchs-Golds-Gringlass-Rosemberg: omnes iudaei. Fundatores communismi sunt iudaei, propagatores, organizatores, « financiatores ». De eorum re agitur. Haec est realitas. Inde odium? non! Sed vigilantia, claritas, pugna systematica et methodica opponenda pugnae systematicae et methodicae huius « Inimici Hominis » cuius arma secreta est « Fermentum Pharisaeorum quod est hypocrisis ».

D) *Revolutio*

Iudaismus Internationalis vult funditus evertere Christianitatem et ipsam substituere. Eius agmina sunt Massones et Communistae, praecipue. Processus Revolutionis incipit in fine Medii Aevi, progreditur per Renativitatem Paganam, magnos saltus fecit in Pseudo-Reformatione, in Revolutione Gallica basim politicam et socialem Ecclesiae destruxit, in oppugnatione Status Pontificii putavit destruere Sanctam Sedem, in Saecularizatione bonorum Religiosorum et Dioecesium oeconomiam Ecclesiae dissipavit, in Modernismo creavit gravissimam crisim internam, et ultimo in Communismo instrumentum creavit decisivum ad nomem christianum de terra delendum.

Permagna vis Revolutionis provenit ex *sapienti usu passionum humanarum.* Communismus creavit *scientiam revolutionis,* et eius arma praecipua sunt: *Passiones humanae effrenatae* methodice incitatae.

Revolutio adhibet duo vitia ut vires destructivas Societatis Catholicae et constructivas Societatis Atheae: Sensualitas et Superbia. Hae passiones inordinatae et vehementes diriguntur scientifico modo in finem praecisum, et sese subiciunt disciplinae ferreae directorum suorum, ad destruendam funditus Civitatem Dei, et construendam Civitatem Hominis. Ipsam tyrannidem Totalitariam accipiunt, paupertatem tolerant eo fine ut construatur Ordo Anti-Christi.

Gubernatio quaedam Centralis, energica et Intelligentissima totum processum dirigit: Centralis humana, quae est instrumentum ipsius *Satanae.*

Ipsae sic dictae « Dexterae Politicae », sicut Fascismus et Nationalis Socialismus capitula fuerunt eiusdem pugnae contra Ecclesiam Christi.

II. *Pugna catholica contra hunc hostem*

A) *Principia quaedam*:

a) Condemnatio doctrinarum perversarum valde necessaria est sed non est sufficiens. Damnationes enim non defuerunt in pugna contra Protestantismum, contra Iansenismum, Modernismum, Communismum. Effectum suum optimum habuerunt. Quaedam tarde venerunt.

b) Necessaria est *pugna organizata* contra *errores* et contra *fautores* et propagandistas errorum. Talis organizata pugna, velut acies ordinata et methodica hodie facilis evadit ob progressum communicationum cum Sancta Sede. Clerus, tamen, Ordines Religiosi, Scholae nostrae, Laicatus non moventur systematice ad pugnam. Deest *resistentia organizata* contra ideas et contra *personas.*

c) Pugna organizata debet attingere etiam *formas larvatas* Revolutionis et eius errores et spiritus, quae eam et spiritum eius propagant. Hae *formae* generatim duas notas ostendunt:

1. Sunt consequentia logica errorum, vel expressio psychologica falsi principii, applicata campo valde concreto.

2. Res ita praesentatur ut fidelis minus informatus malitiam doctrinae non percipiat.

3. Quamvis non percipiat malitiam doctrinae, fidelis conservat modo latenti et actuoso principium perversum in anima, et sensim sine sensu imbuitur principio hoc, et spiritu Revolutionis.

B) *Syllabus Pii Papae IX*

Syllabus est collectio providentialis errorum perniciosorum nostrae aetatis, et totam suam actualitatem conservat. Debet tamen compleri:

1. Per inclusionem novorum errorum actualium.
2. Per *organizationem practicam* pugnae contra tales errores et contra fautores eorum extra Ecclesiam et intra Ecclesiam.

Haec practica pugna organizata defuit, sicut mihi videtur. Saepe promoti sunt ad loca imperii intra Ecclesiam fautores errorum et spiritus, qui in Syllabo condemnantur.

In Seminariis adsunt Magistri qui errores divulgant, et pleni sunt amore Revolutionis. Sacerdotes qui neutri manent in hac pugna, promoventur. Illi qui modo illustri contra Revolutionem pugnant, ab his muneribus arcentur. Saepe persecutionem patiuntur, et prohibentur loqui. Pastores lupos a gregibus non arcent, et prohibent canes latrare. Iam inveni monstrum tale: « Sum sacerdos Maritainista ». « Sum Episcopus Maritainista ».

In novum Syllabum, errores Socialismi includendi sunt. Item errores Marc Sangnier, de *Sillon;* item integra Haeresis Socialis Maritain. Idolatria *Democratica;* idola *Democratiae Christianae;* errores *Liturgicismi;* errores *Sacerdotii Laicorum Actionis Catholicae.* Errores de Oboedientia, de Votis Religiosis; errores *Communismi,* circa proprietatem, Evolutionismus Patheisticus, Universalis.

III. *Strategia equi Troiani*

A) *Doctrina mali minoris*

Inter plurimas formas quibus Revolutio penetrat subreptitie in Arcem Catholicam, eminet tactica « mali minoris ». Est in hoc agone, id quod fuit celeber *equus* in bello Troiano.

Doctrina catholica docet: si malum vitare nequimus, possumus permittere malum minus, ut vitetur malum maius, dummodo non positive malum faciamus. In praxi saepe resistentia catholica cedit, sub hoc praetextu.

1. Putant quidam malum minus esse necessario malum *parvum,* contra quod pugna non iustificatur.
2. Putant plurimi catholici et etiam sacerdotes pugnam nocere Ecclesiae, quasi ipsa non esset Ecclesia *militans.* Ideo sub specie prudentiae, caritatis, agilitatis et dexteritatis apostolicae, malum sine pugna permittunt.
3. Non recordantur malum etiam minus semper esse *malum,* et ideo

non quaerunt illud limitare neque abolere. In convivio quotidiano cum « malo minore » obliviscuntur boni maioris cui malum hoc opponitur, et ex usu « hypothesis » obliviscuntur « thesim », et ultimo ipsum malum tamquam normale diligunt et bonum abominant: v. g. Separatio Ecclesiae a Statu; Divortium inter acatholicos permissum ne imponatur etiam catholicis.

B) *Accommodatio ad acatholicos*

En secunda porta secreta, per quam inimicus in arcem catholicam penetrat. Fragilitas innatae concupiscentiae nobis continuam tentationem suppeditat conformitatis cum hoc saeculo. Recordari debemus colluctationem adversus carnem et sanguinem numquam cessare, adhuc minus illam adversus Principes tenebrarum harum. Quotidie iterum evangelium clamat « Abneget semetipsum ». Quaedam principia fortiter in mentem catholicorum etiam in Clero reducenda sunt.

1. Nulla accommodatio permittatur quoad principia. In hoc puncto multum insistere valet, ut fideles intelligant necessariam esse contradictionem inter mundum et Ecclesiam. Et si « tempora nostra » sunt magis huius mundi pagani quam Dei, quod catholici non possunt esse « huius temporis ».

2. Etiamsi principia serventur, accommodatio ad saeculum potest esse perniciosa pro causa catholica: quando trahit fragilitatem humanam ad malum, propter scandalum: potest aliquis sine peccato frequentare sic dictum Casino, sed pro generalitate haec frequentatio non fit sine peccato.

3. Si defectus accommodationis irritat adversarios, hoc non necessario malum est, immo potest esse magnum bonum. Sic fecit et Salvator. Sine dolorosa conflagratione bellum non fit, neque victoria obtinetur. Adversarii instinctu quodam percipiunt ea quae Ecclesiae favent, et Revolutioni nocent, et illa aegre ferunt. Timor hic displicendi adversariis supponit eos esse in bona fide, quae turbanda non est. Putant hi catholici acatholicos versari in errore mere intellectuali, ita ut confestim convertantur ad veritatem catholicam si haec eis modo amabili praesentatur. Putant etiam omnem polemicam esse malam, et quod energia et severitas qua Ecclesia defendit fidem noceat conversioni individuorum.

C) *Cooperatio cum acatholicis*

Graves sunt consequentiae pro causa catholica ex generalizata cooperatione cum acatholicis in rebus communibus. Certe, in peculiaribus adiunctis et ad fidem circumscriptum, Ecclesia aliquod bonum ex tali

cooperatione colligere potest. Generatim tamen, vera collaboratio non est possibilis, nam principia, finis et spiritus nimis diversi sunt. Ex convivio acatholici paulum lucrantur, catholici multum perdunt.

D) *Bona fides*

Multa mala in castra catholica intrant propter mythum « bonae fidei », praesertim eo quod munera magni momenti personis traduntur de quorum fidelitate non constat. Certe, in tempore pacis « nemo malus nisi probetur ». Sed quando civitas obsidetur, nemo est aptus ad loca periculosa custodienda nisi eius fidelitas sit probata: « nemo bonus ad hoc, nisi probetur ».

E) *Corruptionis vehicula*

a) *Choreae.* Opportune mihi videtur radicalis condemnatio chorearum in quibus vir saltat amplexus feminam et eam ad se stringendo. Item saltationes quaedam modernae, sicut « rock-and-roll » et aliae similes catholicis formaliter et in toto orbe prohibendae essent.

Sic dictum « Ballet » ab Ecclesia dissuadendum, tamquam sensualis et nimius cultus corporis.

b) *Modae.* Pro terris civilizationis occidentalis, normae obiectivae pro vestitu femineo dari possent. Praeterea populo christiano repetenda est sine defectione, virtus modestiae, tamquam necessaria et fundamentalis pro sanitate morali nationum.

Missionariis inculcanda est educatio primitivorum ad cultum modestiae. Vestes femineae pro balneis publicis, quae vocantur « bikini », absolute damnandae sunt; similiter vestes quae duplici parte constant, vel totum dorsum nudum ostentant.

c) *Concursus pulchritudinis.* Tales concursus absolute damnandi sunt. Mihi videtur quod tam candidatae, quam promotores, iudices et illi qui pecuniam suppeditant ad has nundinas carnis humanae, omnes excommunicatione plectendi sunt. Episcopi Americani sacramenta denegant candidatis catholicis horum concursuum. Hoc in toto mundo fieri deberet, quoad candidatas et reliquos participantes.

d) *Cinema.* Positio Ecclesiae circa cinema, documentis pontificiis expressa est.

Sed in praxi quaedam scandalosa occurrunt.

1. Cinema documentarium et illustrativum multum iuvat ad studia fovenda et gentes instruendas.

2. Cinema passionale tamen, quod fit ad gaudium et delectamentum, eiusdem naturae est sicut « novelle » et « romanzi ». Excitant phanta-

siam et passiones, sine fundamento. Haec ascesi subiacent, et generatim nocent vitae catholicae quia dissipant mentem.

3. Cinema Paroeciale generatim scandalo est fidelibus.

a) quia generatim pelliculae immorales vel deformantes praesentantur in decursu anni;

b) quia ex frequentatione cinematis parochialis vitium huius delectamenti acquiritur, et sic vitiatus fidelis, in locis ubi cinema paroeciale non adest, ibit ad qualecumque cinema;

c) quia cinema vitam spiritualem dissipat.

4. Educatio ad Cinema, quae ab Actione Catholica datur, nihil aliud est nisi cavillatio diabolica, qua fidelis inducitur ad videndas scenas lubricas sub specie technicae et artis, quasi phantasia et concupiscentia ad modum energiae electricae ligari et solvi posset ad nutum voluntatis.

5. Crisis Cinematographica.

Difficilior est crisis pelliculae quam libri. Phantasia et oculi intensius sollicitantur. Fortasse creatio *Centri Romani ad Crisim Cinematis,* sub directione Sanctae Sedis et cum autoritate mundiali esset solutio practica. Non esset consideranda tantum moralitas immediata, sed etiam valor propagandisticus pro dynamica Revolutionis. Sub hoc aspectu pelliculae dictae « Bonae pro personis criterii formati » severe considerandae essent.

F) *Libri*

Damnationes librorum a Sancto Officio factae, magnum fructum apud catholicos producunt. Maxima pars fidelium hoc libros devitant. Certe alii illos legunt. Sed scientes Ecclesiam librum damnavisse, doctrinam eorum iam tamquam falsam considerant, et sic eorum veneno minus nocentur. Aliquando tamen damnationes nimis tardant, et tempus dant ad magna mala causanda. Sic damnatio Gide nimis sero venit. Alia damnatio valde necessaria est damnatio Jacques Maritain. Eius errores gravissima damna Ecclesiae praesertim in America Latina causaverunt. Clerus iuvenis ipsis infestatur. Damna errorum partis « Democratiae Christianae » ex ideis Maritain proveniunt. Agitationes politicae in America ab eius discipulis dicuntur factae. Catholici dicunt: Vaticanum approbat Maritain, nam fuit Legatus Galliae apud Sanctam Sedem. Episcopi se dicunt « maritainistae ». In Universitatibus Catholicis Brasiliae doctrinae eius dominantur. Roma tamen silet. Politici agunt secundum principium: *Revolutio fuit mala in methodo, sed est bona in se.* Sincere ei adhaereamus. Faciamus nos catholici Revolutionem, antequam communistae eam faciant.

IV. *Difficultates internae*

A) *Stagnatio scholasticae*

Fortasse reformatio studiorum romanorum anno 1930 facta, causa est stagnationis Scholasticae. Attentio studentium fere unice ad quaestiones historicas et positivas dirigitur. Theses ad Licentiam et Lauream generatim sunt: De mente huius vel illius Philosophi vel Theologi.

Philosophia, Theologia, Sociologia catholicae dynamicam suam ex parte perdiderunt. Nostri non amplius ducunt cogitationem occidentalem. Novi duces sunt Sartre, Freud, Dostojewsky etc. Morbida quadam siti, nostri quaerunt accommodationem ad idola momenti: legimus articulos alicuius « Mysticae Existentialistae » etc.

Concilium talem campum cum amore considerare deberet, ut nova vis doctrinis catholicis tribueretur. Quaedam fortasse dirimenda essent quae deviationem causant. Damnandus esset « Socialismus Christianus », nominalismus, idealismus kantianus, totus Hegel cum sua Schola, Sartre, Maritainismus, et eius fallax distinctio inter individuum humanum et personam humanam in rebus sociologicis. Evolutionismus absolutus.

Positivismus philosophicus. Positivismus Iuridicus. Manichaeismus et Gnosticismus moderni qui exprimuntur in Arte Abstractionista. Theosophismus. Rotary, Lions. Rearmatio Moralis.

Polemica et Discussio. Ad fovendum influxum Ecclesiae et doctrinae catholicae, est fovendus habitus *discussionum et polemicarum,* circa quaestiones disputatas. Non erit interesse pro quaestionibus certis nisi fuerit interesse pro quaestionibus disputatis. Certe curandum est ut forma sit caritatis plena. Sed discussio est necessaria, et quidem viva, ut nascatur amor veritatis. Communistae hanc technicam discussionum modo scientifico exploratam habent. Populus debet disputare ut habitum cogitandi et amorem doctrinae acquirant.

B) *Naturalismus paedagogicus*

Influxus Jean-Jacques Rousseau permagnus adhuc existit inter ipsos catholicos. Fideles multi habent falsam conceptionem Auctoritatis Paternae et naturae infantis. Putant enim, infantem esse fere ut angelum sine passionibus deordinatis et sine concupiscentia. Doctrina catholica in memoriam revocanda est etiam monialium nostrarum quae educationi impendunt, nam multi errores protestantium claustra invaserunt.

Innocentia in quaestionibus sexus servanda est ad limites possibilitatis sed quam primum maturitas idearum et principiorum infantibus est transmittenda, ut fidelis maturus quam primum evadat.

Etiam de « complexibus » aliquid dicendum est. Sub pretextu evitandi complexus, vitiata natura infantis suis appetitibus relinquitur.

V. *Pugna contra-revolutionaria*

A) *Principia quaedam*

Conspiratio Revolutionis est una et organica. Talis conspiratio impugnari debet modo et actioni una et organica. Catholici expectant a Magisterio descriptionem concretam et practicam, fundamentalem et organicam Societatis Catholicae, Societatis contra-revolutionariae. In qua etiam bona elementa vitae modernae modo organico includuntur, cum iis quae e societate traditionali conservanda.

Exemplum Communismi est clarum. In omnibus rebus vitae, Directio Centralis, cum perspicuitate admirabili, dicit utrum in suum programma conveniant an non; et quidem indicant valorem tacticum cuiuscumque rei sive pro sive contra revolutionem. Indicat locum methodicum rei in systemate, et valorem in constructione Revolutionis et in destructione. Mihi videtur creanda *strategia catholica* et *centrum pugnae contra-revolutionariae methodicae* in toto mundo, et catholici ad hoc convocandi sunt. Tunc esset spes aurorae veri *mundi melioris*. Sanctam Sedem ipsam hanc « offensivam » dirigere fas est. Elementa quae in clero et laicato in pugna contra-revolutionaria iam probati sunt, « Capitolium » huius exercitus formare deberent. Creanda esset vera scientia belli contra-revolutionarii, sicut adest scientia revolutionis.

Pugna catholica contra Inimicos Ecclesiae mihi saepe videtur pugna caecorum contra videntes. Ignoramus finem, methodum, dynamicam, strategiam et arma. Quid de his omnibus docet *sociologia catholica?*

B) *Reaedificatio societatis catholicae*

Haec reaedificatio non significat correctionem defectuum partialium, sed fere novam creationem. Multa in vita iam non sunt christiana sed ethnica.

Catholici deberent scire: « haec et haec non coadunantur cum societate catholica ». « In his et illis punctis societas deberet esse sic et sic ut esset catholica ». Margines huius vitae ampli sunt, sed non infiniti. Figura idealis societatis catholicae ante oculos nostros depingenda est, ut sciamus quid facere debemus.

Vis Sanctae Sedis est immensa. Si fideles convocarentur et modo energico, claro, methodico dirigerentur ad opus, quadam vera pugna mundiali, Romano Pontifice duce, iter triumphale Revolutionis interrumperetur et Regnum Sacratissimi Cordis Iesu instauraretur. « Recapitulare omnia in Christo ».

In rebus concretis, certe aliae solutiones possibiles essent. Sed catho-

lici in sua patria ducendi essent ad solutionem unam practicam renuntiantes aliis solutionibus legitimis, eo fine ut aliquid positivum construatur. Nam si operarii omnes domos possibiles construere volunt, nullam construent.

Reconstructio *christianitatis* est res magni momenti. Maximi momenti, est instauratio Regni Sacratissimi Cordis Iesu. Deus potest singulas animas salvare etiam in Societate Revolutionaria. Sed conditiones pro salute erunt pessimae, et salus uniuscuiusque animae ad modum miraculi fiet.

Ordo Christianus, e contra, est *maxima gratia externa,* quae impellit modo suavi et efficaci non singula individua sed integras turbas ad sanctitatem vitae et ad salutem aeternam. In Societate Revolutionaria Deus animas piscat hamo. In Societate Christiana animae piscantur retibus. Altera Societas scandalum est maximum, altera gratia externa maxima est.

C) *Impugnatio Communismi*

Apud multos catholicos viget tentatio tractandi Communismum eodem modo quo tractabatur ab Ecclesia saeculo praeterito Liberalismus, et adhuc tempore hodierno tractatur. Cum Liberalismo coexistentia est possibilis.

1. Liberalismus non impediebat Ecclesiam a praedicatione suae doctrinae, neque eam obligabat ad praedicandam doctrinam liberalem.

2. Liberalismus permittebat condemnationem suorum errorum. Sub regimine tamen communismi neutrum datur:

a) Ecclesia impeditur propagare suam doctrinam;

b) Ecclesia tenetur docere ipsos errores communismi;

c) Ecclesia non potest damnare errores communismi.

Oppositio Communismi contra Ecclesiam catholicam est essentialis, radicalis, perpetua, totalis.

Quando communismus aliquam pacem cum Ecclesia facit, agitur de pausa in pugna. Causa huius pausae diversa esse potest:

a) Politica internationalis hanc pausam exigere potest;

b) Strategia in oppugnatione alius terrae hanc fictitiam pacem in terra vicina causare potest;

c) Debilitas ipsius communismi in initio talem treguam explicare potest.

Etiam carnifex, antequam victimam plectat morte pausam facit, ut melius feriat.

Cooperatio cum communismo semper erit in propriam ruinam Ecclesiae.

Communismus est filius Synagogae. Usque ad conversionem populi iudaici Synagoga iudaica erit « Synagoga Satanae ». Et Communismus erit Communismus Satanae. Opus et praesignificatio *anti-Christi*.

D) *Socialismus*

Vis secreta Communismi stat in *odio Christi*. Vis tamen alliciativa stat in *utopia socialista*. Communismus promittit Societatem Fratrum — sine auctoritate, sine classibus, sine paupertate, sine dolore, sine angustiis vitae, sine Deo et sine inferno. Promittit paradisum in hac vita.

Sine Deo: *liberté*. Sine Rege et Patre: *égalité*. Sine Proprietate et Classibus socialibus: *fraternité*.

Catholici facile hanc utopiam amplectuntur, putantes eam posse baptizari. Dicunt enim Ecclesiam primitivam fuisse socialistam.

Mihi videtur necessaria sollemnis et severa condemnatio huius utopiae a Concilio Oecumenico. Agitur de vera tentatione mundiali, simili tentationi paradisicae. « Eritis sicut dii ». Vel alii: « Haec omnia tibi dabo ».

1. Vita terrena non debet esse paradisiaca. Crux, patientia, abnegatio indispensabiles sunt, ut finis vitae terrenae obtineatur. Caritas est necessaria, non tantum iustitia.

2. Nunquam vere paradisus socialista in terra fiet. Quaerens Regnum Dei et Iustitiam eius homo illam mensuram felicitatis terrestris obtinebit quam amorosa Providentia suis filiis iam in hac terra concedit. Quaerens beatitudinem suam in hoc mundo exclusive, et leges naturae humanae violans, Satana duce, homo sibi maximam servitutem parat. Iudaei promittunt populis sub iugo Socialismi quod Rex eorum « reget eos in virga ferrea ». Societas Revolutionaria erit primum paradisus in terra, postea erit infernus in terra.

3. Clare docendum est differentias sociales et oeconomicas esse essentiales ad vitam normalem Societatis. Haec differentia non est contra iustititiam. Non debent esse nimiae; debent mitigari caritate. Ad bonam oeconomiam Societatis, classes debent existere.

4. Socialismus educat populum ad odium beatitudinum et virtutum christianarum: humilitatis, caritatis, paupertatis, castitatis.

Cur Ordines Mendicantes non amplius praedicant idealem Paupertatis?

E) *Statificatio vitae*

In dies crescit in multis partibus mundi ingerentia Status in vitam individuorum et gremiorum. Haec ingerentia saepe est necessaria propter

dissolutionem vitae collectivae, quae a Liberalismo est destructa. Multa quae per se competerent Societati et suis gremiis, hodie a Statu fieri debent.

Doctrina Catholica hos incursus admittere debet. Sed clare eos considerare debet tamquam extraordinarios, anormales, transitorios. Ipsi quam primum aboleri debent.

Facile quaeritur solutio difficultatum in Statu et in mutatione institutionum traditionalium et naturalium. Generatim autem difficultates proveniunt ex corruptis moribus. Ad correctionem morum indispensabilis est *religio catholica*. Solutio difficultatum hodiernarum non invenitur in Conferentiis Internationalibus primo, sed in *rechristianizatione morum*. Si Deus et Christus eius poneretur in fundamento vitae individualis, familiaris et nationalis, ipsae vires naturae suas connaturales solutiones quaererent, quae ab intellectu et humili bona voluntate humana coadiuvandae essent.

Adest in mundo socialista mens elucubrandi in cubiculo solutiones et eas imponendi naturae. Sed entia viva, tam physica quam moralia tam complexa sunt, et vita tam variata, ut mens humana incapax sit omnes vires cognoscendi, modo adaequato. Ideo non ad modum fabri ferrarii sed ad modum hortulani natura agenda est.

VI. *Epilogus*

Sociologi plures catholici loquuntur de « Nova Humanitate », mox exoritura, quasi aliquid scirent ex scientia esoterica vel gnostica. « Dogma » Evolutionis partim hanc scientiam et spem explicat. Homo aliquando fuit simea. Poterit evolvi et fieri aliquid superius hodierna naturae humanae: Super-Homo. Tund leges naturalis Iuris erunt aliae: moralis etiam, quae sic fit relativa.

Haec a nostris reicienda sunt.

Mihi humiliter videtur tamen necessarium aliquod *programma positivum* nostris praesentare. Catholici hoc desiderant. Dicunt: quando agitur de impugnatione erroris omnes catholici sunt uniti. Quando tamen agitur de constructione positiva unitas perit. Certe ultimis annis plures organizationes quaesiverunt massam catholicorum ad actionem ducere.

Sed multa elementa Socialismi in se habebant, et ideo a plebe catholica non recepta sunt. Magis diviserunt quam univerunt.

Si Concilium Oecumenicum praesentaret programma positivum actionis contra-revolutionariae et aedificationis Christianitatis, cum suis

partibus concretis, et catholicos ad hoc opus convocaret, puto auroram Regni Sacri Cordis Iesu et Immaculati Cordis Mariae esse futuram.

Haec mihi dicenda visa sunt, Eminentissime Domine. Tamquam humilis et obscurus Episcopus Tibi oboedientiam praestare volui, has notas Tibi mittens. Tu videris utrum utiles evadant.

Sacram Purpuram deosculor et me Tibi addictissimum fateor.

✠ GERALDUS DE PROENÇA SIGAUD
Episcopus Jacarezinhoënsis

32

EXC.MI P. D. DANIELIS TAVARES BAÊTA NEVES
Episcopi Januariensis (Ianuaria)

E Civitate Januariensis, 15 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Cum observantia apud Eminentiam Tuam adsum, grates habiturus de nuntio sub numero 1 C/59-642.

Ex quo Sanctissimus Dominus Noster, Summus Pontifex Ioannes XXIII fel. regn. Concilium Oecumenicum convocandum significavit, preces assidue una cum Clero et Christifidelibus huius Dioeceseos Ianuariensis adhibemus ut prosperi sint futuri Concilii successus.

Attento et religioso animo magnificam Ss.mi D.ni Encyclicam *Ad Petri Cathedram* perlegentes, comperta statim habuimus Patris communis vota et apostolica studia ad adunandas omnes Christi oves in Sanctae, Catholicae, Apostolicae et Romanae Ecclesiae ovile unum.

Codex Iuris Canonici in diem adaptatus, novi Codicis pro Ecclesia Orientali promulgatio, aliaeque rationes et consilia ad Cleri et populi christiani commodum, maximi erunt momenti ad praestantiorem Pastorum actuositatem in tam arduis huius aetatis rebus.

Episcopus ergo, Clerus et Christifideles Dioeceseos Ianuariensis, fido animo et devoto, coniunguntur in diuturnis precibus Divino Paraclito fusis ut actus dirigat et salutaria edicta Patribus Oecumenici Concilii aspiret.

Utinam SS.mo D.no Papa Ioanne XXIII regnante, « Unitatis Pontifice », mirabilis illa fiat in unum coactio qua fratres nunc seiuncti dissentientesque in unum ovile et sub uno Pastore coeant.

Sacra Purpura osculantes, fausta omnia a Domino adprecatur.

✠ DANIEL TAVARES BAÊTA NEVES
Episcopus Januariensis

33

EXC.MI P. D. ABELIS RIBEIRO CAMELO
Episcopi Jataiensis (Iataí)

Jataí, 2 februarii 1960

In Baptismo

1. Quando plures infantes sunt baptizandi, omissio nominum in orationibus, praeterquam initio baptismi et in aquae effusione super caput infantis.

2. Omissio exsufflationis in faciem infantis et usus salivae de ore ministri, saltem in administratione baptismi collective, ad munditiem tuendam.

3. Suppressio manus impositionis singulatim quando plures sunt baptizandi.

In Extrema Unctione

4. Contractio orationum in Extremae Unctionis administratione .

In Breviarii recitatione

5. Episcopis in dioecesibus valde spatiosis commorantibus, verbi gratia, in internis Statibus Brasiliae, facultas concedatur breviarii recitationem dispensandi sacerdotibus per quattuor vel quinque horas iter facientibus et iis qui per octo horas ministerio sacerdotali vacaverint.

6. Suppressio psalmi « Audite coeli quae loquor » et contractio lectionum.

In Missa

7. Supressio psalmorum « Introibo ad altare Dei » et « Lavabo inter innocentes ».

8. Unica conclusio in orationibus ante sacerdotis communionem.

9. Suppressio « Evangelii Sancti Ioannis » in fine Missae.

✠ ABEL RIBEIRO CAMELO
Episcopus Jataiensis

34

Exc.mi P. D. GREGORII WARMELING
Episcopi Joinvillensis (Joinvile)

Curitiba, 8 de maio de 1960

Eminentissimo Senhor Cardenal,

Data venia, apresento, en anexo, o parecer que me foi pedido pela veneravel Comissão Antepreparatoria do Concilio Ecumenico.

Confesso que não respondi ao primeiro questionario porque, novo no episcopado, achei perfeitamente dispensavel o meu fraco parecer.

Constituiu, entretanto, motivo de satisfação para mim, a insistencia da segunda circular, porque denota interesse e organisação.

Diz a circular que os pontos de vista devem ser exarados — lingua latina — libere et spontanee.

Essa espontaneidade, porèm, a encontro melhor nas nuances da lingua vernacula.

Peço, pois, licença, para nessa lingua materna apresentar o meu fraco parecer.

O que vai dito ai visa apenas a grandeza e a vitalidade da egreja de Deus, a cuja causa devotei integralmente a minha vida: Mihi vivere Christus.

Na oportunidade protesta respeito e apreco

✠ Gregorio Warmeling
Bispo de Joinvile

A Igreja sofre de uma arterio-sclerose mortal, preparada pelo mundo acatólico.

Durante séculos se infiltraram idéias venenosamente materializantes no seio de mesma Igreja, dos ministros e das congregações religiosas.

Parece até que ce Sacramentos perderam a sua eficiência. O « opere operantis » tem grandemente diminuida a sua penetração. Com isto as massas a pouco e pouco se separaram da Igreja, constituindo-se dois grupos: hierarquia e povo

Na prática formou-se a idéia de que o clero forma a Igreja. Um estreita espírito isolacionista já não olha os grandes ideias da Igreja mundial com a sua escatología.

O grandes meios que nos séculos Deus suscitou para movimentar

a Igreja, quase se tornaram fins em si mesmos. São peças de uma máquina desmontada. Há arterio-sclerose. Falta dinamismo. É preciso restabelecer uma circulação da vida católica.

No meu fraco entender, para se restabelecer uma vida católica vitalizante, há necessidade urgente de uma revisão de fôrças e de adaptação à nossa época.

Para circular vida na Igreja:

1. *Vida interior*: há necessidade de uma vida interior abrazante por parte dos mesmos ministros. Sem ela o mundo não se transforma. Por tôdas as atitudes da nossa vida os fiéis devem sentir que cremos o que pregamos. Há necessidade de uma tomada de consciência face aos problemas. Há necessidade de fazermos sentir a presença de Cristo no mundo. Não isoladamente, mas num grande espírito comunitário. Deve o mundo sentir ao vivo que pensamos a agimos da mesma forma, porque somos todos ministros de mesma Igreja.

Pouco importa, qual a indumentária. Assim, encontraremos palavras bastantemente inflamadas para chamar de volta à Igreja um mundo que anda tateando, um mundo que tem fome de paz e de verdade. Palavras que apresentem idéias claras, fortes e marcantes, de modo a constituirem um farol, uma bandeira, um ideal.

2. *Adaptação*: É preciso apresentar a vida da Igreja em linguagem e cerimônias adaptadas à nossa época. Feliz a hora em que a Igreja deu aos fiéis o missal e o batismo em vernáculo, simplificou o jejum — que entretanto cria uma presença muito mais nítida da Eucaristia — e restaurou a Semana Santa. Com que prazer os fiéis começaram a participar ativamente da vida da Igreja. E por que não dar mais um passo? Em vernáculo tambem a ante-missa! E tantas esplêndidas melodias gregorianas! Tambem o Ritual. Porque o povo não deve compreender o sentido das preciosas bênçãos? Não as pediria muito mais? Deixaria de buscá-las no espiritismo.

Por que não facilitar a concessão das indulgências a vias sacras e tantos outros objetos de piedade?

Por que não simplificar e adaptar à nossa época a consagração de altares e Igrejas? é mais fáil ordenar sacerdotes.

E sem absolutamente prejudicar a indispensável majestade da liturgia, por que não simplificar os Pontificais?

Por que não poderia o Bispo do interior cantar Missa Solene, de vez que para Pontifical há falta de sacerdotes?

3. *Catecismo*: Para circular vida católica é indispensável a grande obra do catecismo, para a qual devem ser convocadas todas — indistintamente todas — as reservas, inclusive a grande fôrça das congregações

religiosas, que de forma alguma se devem esconder atrás dos biombos das « santas regras », repetindo-se o « parvuli petierunt panem.. ». Sem Catecismo a Igreja morre.

É preciso que os mestres, sacerdotes ou religiosos, jamais percam a oportunidade de pregarem a Cristo, a fim de não se reduzirem a simples lentes catedráticos.

4. *Papa*: Para circular mais vida católica e alargar mais os horizontes, é preciso romper os estreitos círculos da Diocese e das Congregações para intensificar o respeito e a obediência à Santa Sé, a fim de que o Santo Padre não se veja cerceado na missão, que Deus lhe confiou.

5. *Superiores*: Para haver mais união e com isto circular maior fôrça católica, os Superiores não se devem esquecer de que os súditos, principalmente os sacerdotes, tambem tem un coração, onde pulsa sangue, e sangue vivo, tambem tem o Espírito Santo, que lhes foi infudido; tambem tem inteligência e a sabem usar — mesmo porque as idéias bôas não são privilégio de uma só cabeça —; tambem se dedicaram livremente ao serviço de Deus. Embebidos na contemplação da excelsitude do grande poder que procede de Deus, não acontece Superiores esmagarem súditos?

6. *Leigos*: Só os sacerdotes já não poderão controlar todos os problemas da nossa época. Há uma inadiável urgência em formar leigos, que estão esperando un chamado, um pouco de formação para entrarem em campo. Por que abandonar uma grande reserva moral?

Além dos inúmeros trabalhos, que um leigo poderá fazer tão bem quanto o sacerdote, não é possível confiar-lhe a guarda do Santíssimo para distribui-lo a dezenas de milhares de pessôas do interior, que comungariam muito mais vezes?

7. *Apóstatas*: Diante da chaga aberta no socerdócio católico — os nossos infelizes irmãos — não encontra a Mãe-Igreja uma solução? Ficarão marcados com o sinete da condenação?

Reafirmo o meu irrestrito apôio ao celibato; mas peço misericórdia para os que não foram maus. Foram fracos.

✠ GREGORIO WARMELING
Bispo de Joinvile

35

EXC.MI P. D. GERARDI M. DE MORAIS PENIDO
Episcopi Judiciforensis (Juiz de Fora)

Juiz de Fora, die 16 aprilis 1960

Eminentia Reverendissima,

Libenter receptionem accuso Litterarum diei 21 martii 1960 sub N. 1 C/59-655 bis, quibus a me re-postulantur « animadversiones, consilia et vota de rebus et argumentis, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possint ».

Licitum mihi sit excusationem promere cur anno transacto non miserim mea consilia et vota. Visitationes pastorales protractae sunt usque ad mensem octobris ultimi. Cum non possent consilia et vota mitti ultra diem 1 septembris, credebam tempestive me non agere, si mense octobris illa misissem.

Nunc autem pro benignitate mihi conceditur ut possim meam aperire mentem circa argumenta quae Concilium tractaturum est. Gratitudinem meam manifestam volo propter benevolam hanc concessionem.

Consilia et vota quae, heic, seiunctis foliis, adnectuntur, sunt confecta sive ex iis quae mihi utiliter tractanda videbantur sive ex illis quae a sacerdotibus utriusque cleri, speciatim a magistris Maioris Seminarii Redemptoristarum, praesentata sunt.

Dignetur Eminentia Tua haec omnia accipere ut expressionem meae simplicitatis et sinceritatis.

Interim, erga Eminentiam Tuam libenter pando sensum humilis meae venerationis, necnon testimonium omnimodae et filialis meae submissionis, quibus me profiteor

Eminentiae Tuae in Christo servum

✠ GERARDUS M. DE MORAIS PENIDO
Episcopus Judiciforensis

A) *Capita doctrinae et negotia maioris momenti*

1. Ipsum mysterium Ecclesiae ut « signum in nationes », colligens « dispersos a quatuor plagis terrae » (Is. 11, 12). Sollemnis confirmatio doctrinae expositae in Litteris Encyclicis « Mystici Corporis ». Conceptus Ecclesiae. Movimentum oecumenicum et veritate et caritate. Revisio positionis Ecclesiae Catholicae respectu aliarum ecclesiarum.

2. Ecclesia missionaria. Quaestio de assumptione culturarum indigenarum.

3. Progressiva renovatio liturgica. Urget reformatio Divini Officii. Suggeritur duplex forma Divini Officii: alia monastica, alia privata. Hoc breviarium sit facultativum pro sacerdotibus curam animarum et alia officia ecclesiastica exercentibus.

4. Clarior expositio doctrinae revelatae de Episcopatu. Episcopus eligatur e clero dioeceseos cui praeesse debet, ita ut fructus sit propriae ecclesiae localis. Modus, quo Sancta Sede transferre solet episcopos in Brasilia ex una dioecesi in aliam longinquam et omnino differentem sub aspectu pastorali, aliqualiter apparentiam prae se fert burocratiae et diminutio videtur episcopatus.

5. Unitas sacerdotii in clero dioecesano et regulari et relatio utriusque cum Episcopatu. Positio religiosorum, praesertim exemptorum, in organismo mystico dioeceseos. Maior desideratur potestas episcoporum in religiosos, speciatim in linea apostolatus moderni. Distributio magis aequitativa cleri disponibilis super universam Ecclesiam.

6. Valde exoptatur restauratio ordinis Diaconatus pro laicis.

7. Definitio responsabilitatis laicorum in Ecclesia. Conficiatur Statutum publicum Actionis Catholicae. Positio mulieris in Ecclesia.

8. De familia et matrimonio. Sollemnis confirmatio doctrinae Encyclicae « Casti Connubii » et documentorum Pii Papae XII. Positio Ecclesiae relate ad problema demographicum. Sollemnis condemnatio omnis praxis directe anti-conceptionalis.

9. Confirmatio principalium capitum doctrinae socialis Ecclesiae, prout continetur in « Rerum Novarum », « Quadragesimo Anno » et in documentis Pii Papae XII.

10. Proponantur principia et normae circa media moderna communicationis (radio, televisio, cinema, impressio).

11. Homo technicus. Mechanizatio et « automatizatio ». Exploratio universi et problemata interplanetaria.

12. Communitas nationum et iura hominis. Participatio omnium nationum in bonis civilizationis et culturae. Condemnatio racismi. De pace et bello.

13. Kalendarium fixum? Sed nullo modo interrumpatur series Dierum Dominicarum, qua Ecclesia contactum habet cum ipsa Resurrectione Domini. Convocatio communitatis christianae in prima die hebdomadae in commemorationem mysteriorum Salvationis videtur esse ex voluntate Christi.

14. Nonne possibilis esset, in specialissimis circumstantiis, facultas distribuendi communionem concessa sororibus?

15. Benigna flagitatur consideratio in favorem sacerdotum apostatarum, qui tamen fidem non perdiderunt et in ecclesia ut catholici volunt vivere.

B) *Argumenta disciplinam cleri et populi christiani spectantia*

In genere universi Codicis Iuris Canonici revisio desideratur (prae oculis habeantur condiciones universae Ecclesiae!) et codificatio responsionum Pont. Comm. Codicis, necnon recentiorum Legislationis Ecclesiasticae documentorum.

In specie:

1. *a*) Redactio Libri I (« Normae generales ») ad simpliciorem formam.

b) Item, Iuris Poenalis revisio ac Libri V (« De delictis et poenis ») ad simpliciorem formam redactio.

c) Revisio Partis III Libri II (« De laicis »). — Quaestio de Actione Catholica et fidelium Associationibus.

2. Urgere adimpletionem Can. 136 de habitu clericali et tonsura.

3. Maior « decentralizatio » in regimine desideratur, ita ut negotia ecclesiastica (v. g. dispensationes, processus etc.) expeditiora evadant. Nova structura Curiae Romanae?

4. Quaestio de iurisdictione ad confessiones religiosarum excipiendas (can. 520 ss.). Condiciones ad validitatem restringantur.

5. Instauratio instituti de *Eremitis*.

6. De ritibus et caeremoniis Baptismi, cum agitur de hoc Sacramento pluribus simul conferendo.

7. Alii sacerdotes, praeter parochum, sint ministri extraordinarii Sacramenti Confirmationis in periculo mortis.

8. De ieiunio eucharistico sacerdotum bis vel ter litantium: ut aliquid ad modum potus sumere possint, absque temporis limite, si nempe intervallum unius horae inter Missas haberi nequit.

9. In simpliciori forma fiat administratio Eucharistiae: « Corpus Christi custodiat te. Amen ».

10. Loco Extremae Unctionis adhibeatur locutio « Sacramentum Infirmorum ».

11. Maior desideratur uniformitas in adhibendis criteriis circa idoneitatem promovendorum ad ordines.

12. Quoad rem matrimonialem, quamplurimae in praxi habentur difficultates! Quapropter immutationes simplificationesque in Iure matrimoniali desiderantur, praesertim circa impedimenta, in genere (gradus maioris et minoris) et in specie (impedimentum impotentiae, consanguinitatis...), circa dispensationes matrimoniales, circa delegationem

ad assistendum matrimoniis (restrictiones quaedam condicionum *ad validitatem* requisitarum...), etc.

13. Quaestio de numero dierum festorum (can. 1247) et de eorum sanctificatione, habitu respectu ad temporis hodierni condiciones; de notione « operis servilis » (can. 1248).

14. Quaestio de ieiunio et abstinentia (can. 1250 ss.).

15. Quaestio de censura et prohibitione librorum (can. 1384 ss.).

16. De officiis et beneficiis ecclesiasticis. Desideratur revisio totius materiae, habitu respectu ad Ecclesiae Universae condiciones. In specie consideretur oportet quaestio de paroeciis religiosis, et religiosis concreditis seu commissis.

17. Iterim, relate ad SS. Eucharistiam petitur ut infirmis solidorum deglutione incapacibus ministrari possit Communio sub specie vini. Optatur etiam ut Diaconi Communionem ministrare possint iusta dumtaxat de causa.

✠ GERARDUS M. DE MORAIS PENIDO
Episcopus Judiciforensis

36

EXC.MI P. D. DANIELIS HOSTIN
Episcopi Lagensis (Lajes)

Una cum eo responsum dedit:

EXC.MUS P. D. ALFONSUS NIEHUES
Episcopus tit. Euroeensis in Epiro, Coadiutor c. s. Lagensis

E Civitate Lagensi, 15 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Desiderio Augusti Pontificis cognoscendi opiniones seu sententias necnon colligendi consilia et vota Exc.morum Episcoporum atque Praelatorum, qui in Concilium Oecumenicum ex iure vocantur, uti constat ex Litteris Prot. N. 1 C/59-2556 et Prot. N. 1 C/59-715, nobis pergratum est brevi respondere expositioni illarum rerum quae forsan in futuro Concilio tractari possunt. Argumenta proponuntur seorsim in folio armis sigilloque Curiae Dioecesanae munito, quibus humillimae suggestiones Episcopi Residentialis atque Episcopi Coadiutoris Lagensis exponuntur.

A Domino adprecantes salutem atque fausta unicuique membro Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, maximam profitentur reverentiam

Eminentiae Vestrae addictissimi

✠ DANIEL HOSTIN
Episcopus Lagensis

✠ ALFONSUS NIEHUES
Episcopus tit. Euroeensis in Epiro
Coadiutor c. s. Lagensis

Caput I. *Quaestiones doctrinales*

1. Definitio iurium Ecclesie, familiae atque Rei-Publicae, quod attinet ad educationem ac scholas.

2. Definitio elementorum doctrinam socialem catholicam componentium.

3. Exclusio ab « Indice Librorum » prohibitorum, illorum operum quae in Universitatibus materiam pro omnibus constituunt obligatoriam.

Ad 1. Agitata sane est quaestio circa iura Ecclesiae, familiae ac Status in re educationali necnon in scholis. Multi inter catholicos habentur qui hac in materia crassa laborant ignorantia. Iamvero sublatis per claram et decisivam definitionem dubiis et controversiis, positio catholica fortior certe evaderet.

Ad 2. Doctrina Ecclesiae in re sociali videtur esse matura, ut de punctis essentialibus eiusdem possit dari definitio, ceteris neglectis. Doctrina hoc modo clare circumscripta magnae utilitati esset iis qui vires suas in campo legislationis socialis impendunt.

Ad 3. In Universitatibus, catholicis non exclusis, studiosi litteraturae ac scientiarum multoties cognitionem haurire coacti sunt ex operibus quae prohibita sunt ab Ecclesia per Indicem. Liberatio istorum librorum ex hac prohibitione conscientiam multorum liberaret a conflictibus internis.

Caput II. *Quaestiones disciplinares*

1. Exsecutio praescriptionis Concilii Tridentini (Sess. XXIII *De Reformatione,* cap. 17) quod attinet ad exercitium Diaconatus ordinumque inferiorum, speciali, hodierno die, ad functionem diaconi attentione collata.

2. Codificatio iuris Actionis Catholicae.

3. Normae rigorosiores circa catholicos nomine tantum, ita ut sese definiant.

4. Permissio fidelibus ritus orientalis catholici facta, ita ut inter fideles universim latinos iure possint frui pro latinis lato, praesertim vero quoad matrimonia contrahenda.

Ad 1. Concilium Tridentinum in capitulo supra laudato, mentem suam aperuit circa ordines minores, Subdiaconatum et Diaconatum eo quod eos noluit esse simpliciter transitus ad sacerdotium, sed gradus efficaces in Ecclesia. Emolumenta eiusmodi praxis manifesta sunt. Accedit, quod de die in diem crescit motus de introductione diaconorum in multiplici functione se occupantium. Ad rem Ipse S. Pontifex Pius XII, fel. mem. in favorem huiusmodi tentaminis manifestavit se.

Quoad cetera puncta quod attinet, non est cur quis loquatur, nam circumstantiae ipsae alte loquuntur.

Caput III. *Quaestiones liturgicae*

1. Petitio generalis: Ut conclusiones obtentae in Congressibus de re liturgica internationalibus Lugano et urbe Assisiensi habitis normam iuridicam obtineant et exsecutioni mandentur.

2. In specie haec: *De Breviario.*

a) Ut introducatur officium commune pro sacerdotibus, pro patre et matre familias.

b) Ut restringatur usus psalmorum in favorem lectionum ex N. Testamento necnon orationum actualium.

De Missali.

a) Ut usus linguae vernaculae permittatur ad partes quae a fidelibus sacerdoti celebranti liturgice, seu « dialogando », respondentur.

b) Vel melius: ut permittatur et regatur usus vernaculi pro Missa catechumenorum, ut dicunt, et pro iis quae communionem sequuntur.

De Rituali.

a) Ut maior concedatur usus linguae vernaculae, maxime cum respectu ad ritum funebrem.

b) Ut sacramentalia atque benedictiones maiore numero et obiectis vitae actualis in usu accommodata introducantur.

c) Ut dies dominici ad ritum qui vocatur « Duplex II Classis » eleventur.

d) Ut saltem parochis erectio Viae Crucis permittatur.

✠ DANIEL HOSTIN
Episcopus Lagensis

✠ ALFONSUS NIEHUES
Episcopus tit. Euroeensis in Epiro
Coadiutor c. s. Lagensis

37

EXC.MI P. D. DELPHINI RIBEIRO GUEDES
Episcopi Leopoldinensis (Leopoldina)

Leopoldinae, 31 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Grato animo litteris tuis sub N. 1 C/59-740, die 18 iunii 1959 datis, de rebus et argumentis in futuro Oecumenico Concilio pertractandis, libentissime ac summo honore responsionem Tibi facio.

Opportunum mihi visum est, data venia, ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico infrascriptas suggestiones seu petitiones humiliter deferre et exponere ut si casus fuerit considerentur:

1. Restauratio ordinis Diaconatus ad incrementum summopere praestandum apostolatui religioso erga christifideles.

2. Regulamentatio legis ieiunii eucharistici ita ut tam pro sacerdotibus quam pro laicis identitas relate ad unam horam ante communionem servetur, quoad abstentionem liquidum sumendi. Revera in diebus praecepti saepe saepius celebranti praescriptum intervallum ab initio litandi omnino abest ac proinde qui alteram vel tertiam Missam celebrare debet minime frui potest vigenti lege ieiunii eucharistici.

3. Permissio ut fideles sero ad Sacram Synaxim extra Sacrificium Vespertinum admitti possint.

4. Dispensatio quarumdam festarum de praecepto quia, pro dolor, hodiernis temporibus diminutissima pars fidelium obligationibus huius legis ecclesiasticae satisfacit.

5. Permissio utendi vernaculo pro administratione sacramentorum, manente dumtaxat forma in latino sermone, ut christifideles scienter et subiective melius ad gratiam disponantur.

6. Solemnis Proclamatio Universalis Mediationis Beatae Mariae Virginis ut dogma fidei.

Eminentiae Tuae Reverendissimae

addictissimus in Domino

✠ DELPHINUS RIBEIRO GUEDES
Episcopus Leopoldinensis

38

Exc.mi P. D. HENRICI GELAIN
Episcopi Linensis (Lins)

E Civitate Linensi, die 3 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Officiali nuntio, sub Prot. N. 1 C/59-756, magno cum gaudio scimus iam institutam esse a Summo Pontifici Ioanne XXIII, feliciter regnante, Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico, cui Commissioni optime praeest Eminentia Tua Reverendissima.

Ut episcopus residentialis huius Dioecesis Linensis, pergratum est significare subiectionem huic dispositioni Summi Pontificis, libentissimeque, in eo quod penes est nos, paratus ea facere quae opus sint ut quem utilissimum evadat populo christiano auspicatum futurum Concilium Oecumenicum. Sic iussu nostro, impensissimae preces Divino Paraclito fient a fidelibus nostris curis commissis, ut virtute ex alto, dirigantur illi omnes qui futuri Concilii participes fuerint et ut potissima beneficia sumat Ecclesia. Potius benevolentia Tua quam exili sententia nostra freti, subiciemus has paucas animadversiones ut considerentur ab hac Pontificia Commissione:

1. Ut in toto orbe adsit uniformitas et sint adaptatae nostris temporibus vestes talares sacerdotum, necnon uniformitas utendi Tonsura, cum hoc in casu, magna disparitas et negligentia adsit.

2. Ut innoventur et actualizentur studia seminariorum, praesertim maiorum, iuxta necessitatem nostrorum temporum. Ut sacerdotes sciant confutare errores hodiernos potius quam historicos.

3. Definitive terminetur et reformetur Breviarium, in quo sacerdotes inveniant vivum et efficax instrumentum precandi ac meditandi; praesertim instituatur revisio de variis miraculis et actibus sanctis attributis.

4. Maxime tractandum erit de angustiis sacerdotum, praesertim in nationibus latino-americanis. Nonne tempus erit propitium repetendae illius pristinae Diaconatus institutionis, quae antiquitus fructuose viguit?

5. Denique, ad maiorem Matris Dei gloriam, definiatur Dogma de Mediatrice Virgine Maria, ut maiora in dies cultus Eius incrementa accipiat.

Hae sunt quaeque paucae suggestiones quae proponimus.
In signum obsequii, sacram deosculatus Purpuram, omnia felicia Eminentiae Tuae adprecamur

✠ Henricus Gelain
Episcopus Linensis

39

Exc.mi P. D. GERALDI FERNANDES
Episcopi Londrinensis (Londrina)

Londrina, 26 maii 1960

Eminentissime Domine,

Litteras Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico suo tempore recepi, responsum tamen eis non dedi. Causa huius omissionis nec dissidia nec negligentia fuit. Mihi videbatur inutilis humillima mea opinio in rebus tanti momenti, sed post binas vestras humanissimas Litteras, veniam quaeso ob omissionem et indulgentiam ob imperitia, in rebus et in modo proponendi ea quae mihi, in Domino, videntur proponenda. Nescio utrum utilia erunt pro Concilio aut pro nova editione Codicis Iuris Canonici.

Proponenda haec sunt:

1. Suppressio tonsurae ecclesiasticae. Minus consentanea videtur vitae civili modernae. De facto apud plures populos non est in usu, praesertim in nationibus in quibus habitus ecclesiasticus intra muros tantummodo est in usu.

2. Facultas sumendi cibum per modum potus, saltem, absque ulla limitatione temporis ante Missam pro sacerdotibus. De facto sacerdotes qui maiorem haberent necessitatem cibum sumendi, sumere non possunt. Cum, enim tres Missas eodem mane, diversis locis dicere debent in quibus et communio distribuitur et concio habetur, intervallum unius horae non habetur ad cibum sumendum. Ita in mea Dioecesi est et in pluribus aliis Brasiliae.

3. In bonum sacerdotum opportunum esset facultas concessa Ordinariis locorum, commutandi divinum officium in alias preces (v. gr. tertia pars rosarii mariani) in favorem sacerdotum qui in cura animarum sunt, quoties id Ordinario opportunum, in Domino videatur. Ratio: Sacerdotes aut omittunt non sine morsu conscientiae breviarii recitationem aut nimio labore habitum acquirunt male recitandi. Ex alia parte

sive cum morsu, sive tranquilla conscientia, alias preces non recitant. Haec largitio ex parte Sanctae Sedis non in praeiudicium sed in favorem orationis sacerdotis erit.

4. Suppressio, in rescriptis Sanctae Sedis, clausulae « consulantur Auctores » aut similium, quae etsi commoda pro Curia Romana, offensiva pro rescripta impetrantibus.

5. Lex aut facultas pro Episcopis aut Parochis delegandi ad universitatem casuum, ad adsistendum matrimoniis.

6. Maior libertas excludendi e vita religiosa eos qui idonei non videantur praesertim cum agatur de candidatis ad sacerdotium, qui sive ad sacerdotium, sive ad vitam religiosam minus idonei videantur.

7. Facultas binationis et trinationis pro sacerdotibus in cura animarum, aut in servitio eorum qui in cura animarum sunt, quoties diversis locis paroeciae eodem die Missam celebrare debeant.

8. Recitatio Epistulae et Evangelii, saltem diebus dominicis et festis, lingua vernacula et versus populum.

9. Permittere religiosis feminis, quoties necessarium erit, Communionem sine sacerdote. Modus fortasse erit: aliqua religiosa aperit sacrarium et ciborium et singulae sorores sumunt propria manu, sacramentum. Non raro religiosae per hebdomadam sine communione manent, etsi SS. Sacramentum in domu habeant.

10. In legibus ferendis maior ad totum orbem attentio. Leges enim aliquando feruntur attentis circumstantiis cuiusdam regionis aut Urbis. Exoptandum esset ut sensus catholicitatis Ecclesiae in Curia Romana visibilis esset in assumendis ex toto terrarum orbe officiales. Fortasse, etiam in labore, sancta aemulatio ex hoc nasceretur in utilitatem totius Corporis Christi.

Parcat mihi Exc.ma Commissio quidquid minus rectum aut ignoranter scripsi

in X.to et in Ecclesia
servus humilis

✠ Geraldus Fernandes
Episcopus Londrinensis

40

Exc.mi P. D. HUGONIS BRESSANE DE ARAÚJO

Archiepiscopi-Episcopi Mariliensis (Marilia)

Datum Mariliae, die 28 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Cum Sedi Apostolicae cordi sit ut Episcoporum vota pro venturo Concilio Oecumenico parata collectaque habeantur, nonnulla puncta seligere curavi, quae ad Amplitudinem Tuam, pro opportunitate ponderanda, nunc committere audeo.

Amplitudinem Tuam supplex exoro ut temeritati meae vel potius fidenti simplicitati ignoscas, Tibique persuadeas me Tibi addictissimum servulum ad omnia obsequia semper adfuturum.

Deus Optimus Maximus cum perpetua incolumitate universa Tibi fausta largiatur.

✠ Hugo Bressane de Araújo
Archiepiscopus-Episcopus Mariliensis

De re generali

1. Optandum est ut summa pecuniaria, pro qua impetranda est licentia Sanctae Sedis, in casibus alienationis rei ecclesiasticae, elevetur ad 1.000.000,00, ne Praesules in dissitis locis, sicut in ditione Brasiliensi, cogantur toties quoties ad Sanctam Sedem recurrere. Stante depraetiatione monetae et praesente necessitate negotiorum, arduum est pro minimis habere recursum, interdum cum iactura vel deperditione opportunitatis negotiandi.

2. Item concedi potest Episcopis, quoadusque non feratur lex de novo vestiendi modo clericorum, ut singulis sacerdotibus concedere possint, debitis cum cautelis, licentiam utendi commodiori habito ecclesiastico, tum pro meliore et faciliore in officinis apostolatu, tum pro iis qui arripiunt iter longum.

3. Concedatur sacerdotibus praesertim curionibus aliisque curam animarum habentibus ut diebus dominicis et festis, nec non missionum tempore, ut obligationi Breviarii satisfaciant per simplicem recitationem Marialis Rosarii. Improbum est quod pluribus Religiosis Familiis iam concessum sit tali uti privilegio, dum nostri Parochi aliique curam ani-

marum habentes adhuc retinentur obligatione totali quoad recitationem horarum canonicarum.

4. Optandum est quod Mariale Rosarium, ut ita dicam, maiorem elasticitatem habeat et liceat recitare coronas, cum omnibus indulgentiis adnexis, libere meditando circa Evangelium. Rosarium enim caret pluribus mysteriis dogmaticis nempe nil de Eucharistia vel de constituendo sacerdotio proponit. Mihi videtur talem dispositionem novam perbelle consonare cum sic dicto motu biblico et esse in futurum modum opportunum biblicam pietatem renovandi.

5. Concedi potest facultas ad experimentum instaurandi ordinem diaconalem, iuxta petita in Congressu Assisiensi. Diaconi etiam matrimonio iuncti, dummodo selecti et post brevem cursum seminaristicum, penuriae cleri brasiliensi optime sublevandae inservirent, itemque constituerent opportunam formam dimicandi contra haereticos in dies numero crescentes.

De re processuali

6. Cum Dioeceses nostrae novae sint atque pluribus difficultatibus sint irretitae, opportunum duxerim ut formae processuales, praesertim quoad matrimonium, simplicitate maiori confici queant.

7. Leges ecclesiasticae de processu matrimoniali haud raro benigniores sunt quam ipsae civiles, ita ut circa stabilitatem matrimonii iam contracti, legislatio patria severior evadat comparatione facta cum legislatione canonica. Si legislatio ecclesiastica casus impugnationis reduceret, numerus officialium ad res matrimoniales deputatorum reduceretur quoque. Processus de nullitate matrimonii de anno ad annum proclivitatem habent sese multiplicandi, nedum ex crescente instabilitate familiarum, verum ex eo quod Brasilia sit natio immigrantium, quippe qui frequentissime Europaeas oras vel alias relinquunt propter matrimonialia problemata creata. Quantum sinit humana fragilitas, impossibile evaderet curam habere de omnibus casibus, stante exiguitate cleri. Per opportunam casuum reductionem, curia iudiciaria laboribus excessivis non opprimeretur et sententiae iudiciales perfectiores essent.

8. Sic verbi causa ad corroborandam matrimonii stabilitatem, tantis tantisque modis in praesentiarum vulneratam ob invasionem spiritus mundi in oblectamentis cinematographicis, radiophonicis et televisificis, convalidetur automatice, post tres annos, matrimonium initum sine necessaria dispensatione in impedimento dispensabili, saltem quando dispensatio deerit in impedimento ignorato.

9. Expungantur a lege matrimoniali illa impedimenta a quibus Curia Pontificia ob levissimas quoque rationes dispensare consuevit. Leges a

quibus facile dispensantur, de consensu civilistarum, leges amplius non sunt. Iure ergo meritoque abolerentur, eatenus abolita, quatenus mere ecclesiastica sunt, ut hypothesis fingitur.

10. Impedimenta gradus minoris (cf. cann. 1042, 1054) ex eo quod ab impedimentis gradus maioris circa modum dispensationem differentiam habent inter se, rationabiliter extinguantur. Sic institutum dispensationis non opprimeretur, ut nunc temporis contingit. Tunc consanguinitas in tertio gradu, affinitas in secundo collaterali, publica honestas in secundo, cognatio spiritualis et crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione actus civilis nullam amplius difficultatem crearent.

11. Opportunum duxerim ut in impedimento disparitatis cultus Latinus Orientali Codici aptaretur, unde lex simplicior esset et plures casus conversionis ad religionem catholicam resolveret. Ad normam can. 60 § 1 Codicis pro Ecclesia Orientali, esset: « Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata ».

12. Prout res mere historica, expurgantur verba *Codicis Iuris Canonici,* can. 1083, n. 2°, 2 lata, circa errorem conditionis servilis, quae quidem verba sunt obsoleta.

13. Convalidetur a iure, transacto semestre vel anno, matrimonium irritum ob vitium formae, ad normam codicum modernorum. Sic coniuges non essent amplius mere putativi, nec privarentur gratia sacramentali.

14. Si minorennis, post requisitam aetatem legalem, maritaliter cum parte cohabitaverit (et quidem modo ultroneo) matrimonium ex se convalidetur, sine processu nec renovatione consensuali. Ratio liquet: pars quae antea incapax erat emittendi consensum validum iuxta legem, post assecutam aetatem legalem capax redditur, nisi lex aliud statuat.

15. Matrimonium nullum ex impedimento raptus, similiter convalidetur si mulier cum viro sponte convixerit. Nam in casu cessaret oppressio. Sic vitaretur hypothesis haud rara qua partes etiam post quadraginta annos in eodem matrimonio nullo manerent.

16. Detur possibilitas realis convalidandi matrimonium irritum ob defectum consensus, si pars cum parte per spatium temporis unius anni sine querela vel separatione vixerit. Sic reduceretur numerus causarum ob defectum consensus; alias nihil contra legem naturae; et legislatio canonica civili legislatione aptata erit.

17. Pro non adiecta habeatur conditio matrimonio apposita, si quando detur voluntaria consummatio vel cohabitatio pacifica intra determinatum a lege tempus.

18. Item qui simulaverunt consensum excludendo essentialem proprietatem matrimonii non habeant beneficium legis, quia in regimine iudiciali legis violatio violatori favere non debet.

19. Similia condantur in impedimento vis et metus, quando pars voluntarie impedimentum provocaret. Taliter vitabuntur causae iudiciariae post multos annos cohabitationis introductae, quando nempe plures iam filii ex coniugio ab initio nullo orti sunt.

20. Ad canonem 232, § 2, 2°, deleatur clausula « ex legitimo matrimonio ».

21. Ad *C.I.C.* canonem 353, deleatur paragraphus prima. Quae ad alteram paragraphum spectant, sic redigi possunt: « Quilibet Coadiutor, ut canonicam sui officii possessionem capiat, necesse est litteras apostolicas ostendere Episcopo et Capitulo ad normam canonis 334, § 3, et ipso facto evasit Vicarius Generalis ».

22. Nova formula Professionis Fidei quae brevis sit petitur et amplectere possit universos errores impraesentiarum vigentes, excluso tamen iureiurando sic dicto anti-modernistico.

23. Damnetur modo clariori firmiorique haeretica lues Spiritismi, quae quidem in dies crescit et tot animas corrumpit praesertim in ditione Brasiliensi.

24. In Sacra Liturgia usus linguae vulgaris crebrior sit.

25. Ad capita praecipua reducatur mirabilis Encyclica *Humani Generis,* S. S. Pii Papae XII.

26. Optandum quoque est ut caput speciale redigatur de sanctitate vitae sacerdotalis iuxta exhortationes *Haerent Animo,* Sancti Pii Papae X, *Ad Catholici Sacerdotii,* Pii Papae XI, *Menti Nostrae,* Pii Papae XII nec non pulchriores Ioannis Papae XXIII adhortationes.

27. Instanter petitur manifestatio Sanctae Sedis circa Ordinem Episcopalem contra negantes eum, specie tenus contra illos a Traditione devios qui asserunt simplicem presbyterum conferre sacros ordines valere.

28. Declaretur utrum Diaconi Sacramentum Extremae Unctionis valeant administrare, cum nempe perplures id affirmare audeant contra ecclesiasticam in casu Traditionem.

29. Ut semel in Episcopatu electi, Religiosi viri vestibus violaceis utantur (abito piano) una cum coloribus Ordinis a quo tales viri delecti sint.

30. Ut in omnibus solemnitatibus, etiam in iis quae coram Summo Pontifice Romae habeantur, salva praecedentia, ut par est, Episcopi ne sistant inferiori modo relate ad Sacros R. Ecclesiae Purpuratos, etenim frequenter Eminentissimi Cardinales capite cooperto sedent, dum Episcopi nudo capite stant.

✠ HUGO BRESSANE DE ARAÚJO
Archiepiscopus-Episcopus Mariliensis

41

EXC.MI P. D. IACOBI A. COELHO
Episcopi Maringaënsis (Maringá)

Maringá, die 20 decembris 1959

Eminentissime Domine,

Veniam petentes morae huius responsi, instinctus aliquos proximo mittimus Oecumenico Concilio:

1. De Iure Canonico: quod ad Religiosorum privilegia attinet, in Dioecesibus nostris facit ut ipsi saepe excedant iuribus suis. In hac parte emendatio benefecerit animarum saluti, ferentibus Religiosis maius in ministerio auxilium.

2. Tranquillitati animi apostatarum Sacerdotum qui, causa praesentium conditionum, redire non possunt in ministerium, v. g. familiae, et timentes manent Deum, et Sacramenta frequentare volunt, Summo Pontifici mentem damus ut patiatur eos recipere posse Sacramentum matrimonii et persequi vitam in privato lare.

3. Institutionem Diaconum et Diaconissarum.

4. Emendatio ecclesiastici vestimenti, huic aetati accommodati.

5. Expeditio sacrarum virginum vestimenti, huic accommodati tempori.

6. Expedire Rituale Romanum.

7. Rituale lingua imprimatur vernacula, ad maiorem fidelium fructum.

8. De recitatione Breviarii: officia omnia ritu sint simplici tantum; sacerdos praepositus animarum saluti, Dominicis et religiosis diebus, substituere possit, tuta conscientia, Breviarium pro recitatione tertiae partis Rosarii Dominae Nostrae.

9. Episcopis potestatem dare facultatem concedendi Missas duas celebrandi diebus utilibus cum necessarium existimaverint.

10. Permittere Episcopis et Sacerdotibus adesse, quotiescumque prudens iudicabunt, conventibus « Rotary Club » et « Lions Club », in solemnibus, etc. Multi catholici horum participes sunt Conciliorum, et amotio Sacerdotis non semper intelligitur. Praeterea, modus fuerint in ipsis imprimendae notae christianae et societatis hominum capiendorum Ecclesiae.

Cum voto Sanctae Nativitatis D. N. Iesu Christi, et petitione benedictionum, nos confitemur servos in Christo,

✠ IACOBUS A. COELHO
Episcopus Maringaënsis

42

Exc.mi P. D. IOSEPHI ALVES DE SA'TRINDADE

Episcopi Montisclarensis (Montes Claros)

Montisclarensi, die 14 septembris 1959

Eminentissime Domine,

In responsione ad 1 C/59-872 Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico a beatissimo Patre nostro Ioanne XXIII institutae, cui diligenti Commissioni Eminentia Tua optime praeest, unum inter vota Rev.morum Patrum futuri Concilii plenus reverentiae expono:

Sub auctoritate Exc.mi Nuntii Apostolici apud quamque Nationem constituatur unus Visitator, qui munus habeat continuo videndi statum et activitates Cleri atque ipsius populi cum difficultatibus et possibilitatibus uniuscuiusque Dioecesis, itaque instructus Ordinario loci consilia secreta praebeat ut omnes in omnibus magis ac magis Petri Cathedrae consentiant.

Eminentiae Tuae sacram Purpuram humili gratoque animo osculans

✠ Iosephus Alves De Sa'Trindade
Episcopus Montisclarensis

43

Exc.mi P. D. ELISEI S. MENDES

Episcopi Mossorensis (Mossoró)

Die 20-XI-1959

Eminentissime Princeps,

Magno cum gaudio exaudiens vocem Sanctae Romanae Ecclesiae quae per Summum Pontificem, mediante hac Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, iudicium nostrum quaerit circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari possunt, rebus coram Deo perpensis et exaudito consilio aliquorum sacerdotum e nostro clero, opinionem nostram humiliter deponimus in manibus Eminentiae Tuae Rev.mae.

Animadversiones nostrae causa clarioris expositionis ad quaedam puncta coarctantur:

1. Quod ad cleri disciplinam spectat, opinamur propter studiorum curriculum nimis theoreticum in Seminariis peractum, opportunum etiam

apud nos id quod iam fit aliis regionibus ad meliorem praeparationem iuvenum sacerdotum, tirocinium scilicet disciplinarum pastoralium quae eos aptiores reddant ad sacrum Ministerium mediante personali studio Sacrae Theologiae adaptato verae Christifidelium necessitati.

2. Circa relationem inter clerum dioecesanum et regularem optandum est pro vera fraternitate in caritate Christi necnon pro meliore collaboratione utriusque. Et, data venia, putamus melius interpretandum esse vel etiam coarctandum privilegium exemptionis aliquorum religiosorum quod frequenter difficultates creat vitae pastorali nostrarum dioecesium.

3. Enixe rogamus Sacra Dicasteria, quae ad id spectant, ut peragant quamprimum restaurationem Breviarii et Missalis Romani. Nostri quoque desiderii est incipere reformationem Pontificalis Romani in his saltem quae ad Cerimoniale Episcoporum attinent.

4. Ad fovendum Christifidelium accessum ad Eucharisticum Sacrificium iudicamus augendas esse facultates ut Missa celebrari possit horis vespertinis necnon bis aliis hebdomadae diebus dummodo, ad iudicium loci ordinarii, hoc bono spirituali animarum faveat.

5. Ut Christifideles melius apprehendant valorem Sacrae Liturgiae ad eorum vitam spiritualem fovendam optamus pro versione Ritualis Romani sermonem vulgarem in hoc quod attinet ad administrationem Sacramentorum et sacramentalium necnon in impertiendis benedictionibus in ipso appositis.

6. Nobis liceat opinari etiam circa reformationem *Codicis Iuris Canonici* quem in aliquibus desideramus magis aptatum actualibus circumstantiis, verbi gratia, in applicatione poenarum canonicarum.

Denique, huic Pontificiae Commissioni opinionem nostram aliquam personalem proponimus. Statuatur a Sancta Sede aetas canonica, nostro iudicio non plus quam septuaginta anni, ultra quam non liceat Excellentissimis Episcopis aliisque Ordinariis munere suo perfungi, curata quod per se patet, eorum digna sustentatione.

Similiter agendum nobis videtur circa paroecias aliaque beneficia ecclesiastica.

Corde exoptans huic Pontificiae Commissioni felicem exitum in hoc labore perficiendo, pro Concilio Oecumenico, pro Eminentia Tua Reverendissima et omnibus Tuis adiutoribus Divini Spiritus lumina imploramus.

Sanctae Sedi Apostolicae semper fidelissimus,
in Corde Iesu Tuus servus addictissimus
✠ Eliseus S. Mendes
Episcopus Mossorensis

44

Exc.mi P. D. EMMANUELIS PEREIRA DA COSTA

Episcopi Nazarensis in Brasilia (Nazaré)

Nazareth in Brasilia, die 8 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Pergratissimum quidem mihi est nonnulla humiliter exponere Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, quae a Beatissimo Patre Ioanne XXIII Eminentiae Tuae feliciter commissa est, circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

1. Cum ad pastorale officium Religiosi multoties vocentur, praesertim propter sacerdotum penuriam, nonnunquam difficultates oriuntur ex ipso exemptionis privilegio. Arctiorem opportunioremque nexum inter Religiosos parochos seu vicarios et Episcopum, animarum postulat bonum, quod e Religiosis maiorem dependentiam Hierarchiae exigeret; inde normas iuridicas statui oportet novas quibus unitas apostolatus et vinculum non solum cum Hierarchia sed etiam cum aliis sacerdotibus dioecesanis strictius clariusque determinentur, cum maiori semper animarum profectu.

Quum curriculum theologiae in Seminariis Religiosorum quinto constet anno qui « pastoralis » dicitur, oportere videtur tyrones studiis vacare debere sub Hierarchiae ductu, rationem studiorum vel invigilando vel conficiendo in ordine ad apostolatum quippe quia actionem in futurum exercebunt pastoralem non alio modo neque aliis mediis praeter illa quae ipsa Hierarchia adhibere constituat.

2. Item dicendum videtur de Religiosis laicis sive viris, sive mulieribus, qui ad iuventutis eruditionem vel ad aliam apostolicam actionem dedicantur. Propriis constitutionibus vel sic dictis « laudabilibus consuetudinibus » pressius et obstinate arctati saepius normas ab Hierarchia datas aufugiunt non sine eorum gravi detrimento et animarum.

3. Bonum Congregationum Religiosarum mulierum quae iuris pontificii fiunt, vigilantiam et maiorem auctoritatem Ordinarii loci exigit, praesertim ne abusus qui sensim irrepserit, invaleat, cum recursus ad Sanctam Sedem non semper faciliter et immediate fieri possit.

4. Normae quae in Litteris Encyclicis *Mistici Corporis Christi* dantur, ne in oblivionem incidant, alias fixare oportet quae illa quibus spiritus communitarius magis elucet, in praxim reducant, praesertim circa Augustissimum Missae Sacrificium. Et praeterea normae instituantur genera-

les quae ubi ritus viget latinus, caeremonias et preces et vestes liturgicas ita moderentur ut unitas ritus, sensuum identitas, caeremoniarum uniformitas, illam assignent unitatem quam in credendo, certe, Dominus Iesus promisit et pro qua infallibiliter oravit. Participatio inde Communitatis paroecialis in actiones liturgicas, leges exigit quae clariorem sensum exhibeant quo familia humana, liturgica et apostolica officiis erga Deum et proximum praecipue in iis quae apostolatui conferunt fungi debere intelligat, imo et possit illius intelligentiae virtute et mores moderari et laboribus incumbere.

5. Ne in iis quae presbyteralem characterem minime requirunt, sacerdotes praecipue curam animarum habentes, vires impendant, Concilium Oecumenicum difficultatibus e sacerdotum penuria occurrens viros statuat qui in Diaconatus Ordine manentes, etiam cooperatores Ordinis fiant nostri.

6. Breviarium Romanum ad simpliciorem formam redactum multum quidem confert ut sacerdotes, multis distenti curis, alacrius et ferventius Deum orent, Ecclesiam aedificent.

Dum haec omnia humiliter sincereque Eminentiae Tuae expono, Sacram Purpuram qua par est reverentia deosculor et me Eminentiae Tuae profiteor

add.mum

✠ Emmanuel Pereira da Costa
Episcopus Nazarensis in Brasilia

45

Exc.mi P. D. CAROLI GOUVÊA COELHO
Episcopi Nictheroyensis (Niterói)

Niterói, die 22 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico instituisse Augustum Pontificem, cui Commissioni merito praeest Eminentia Tua, litteris tuis (Prot. N. 1 C/59-922) diei 18 iunii currentis anni certior factus sum.

Prout Sanctae Ecclesiae Episcopum, ex iure in plenarium totius orbis Concilium conventurum, me rogat Eminentia Tua ut Commissioni vota atque consilia mea circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt aperte communicem. Quod igitur his litteris explere intendo.

Meo itaque iudicio sunt in futuro Concilio maxime consideranda, perspectis praesentibus Ecclesiae universique mundi adiunctis, tria haec magni — ut censeo — momenti, quae sic breviter complecti volo:

1. Principia vel fundamenta ita disposita praebere ut diversae ex catholica unitate confessiones discretae rectam ad unitatem reintegrandam viam in veritate inveniant.

2. Res omnium mentes miseratione permovens ab Ecclesia insuper consideranda venit, id est, spectaculum huius mundi in duas partes divisi: quarum una quidem evoluta, ut aiunt, altera vero non evoluta est, sed miserrima sub conditione pondus vitae infra-humanae sustinet. Decet enim Ecclesiam, Sponsam fidelem Sponsi fremitum miserentissimi Cordis « Misereor super turbam » efficaciter audientem, ut videor, aciem movere, ipsa principe iter monstrante hominibus, ita ut omnium in orbe terrarum animis maximeque procerum populorum ad hunc rerum statum solvendum stimulum praebeat.

3. Diaconatus denique specifica in Ecclesia officia restituere quam primum decernendum existimo.

Paucis his verbis vota atque consilia mea circa rem complecti visum est. Interim cuncta fausta tibi in his magnis negotiis a Domino adprecans, ut Frater in Christo permaneo

Eminentiae Tuae addictissimus
✠ Carolus Gouvêa Coelho
Episcopus Niteroiensis

46

Exc.mi P. D. ANTONII DE ALMEIDA MORAIS IUNIOR
Archiepiscopi Olidensis et Recifensis (Olinda-Recife)

Recifensi, die 21 augusti 1959

I. Maximi momenti nobis videtur disciplina Cleri. In momento praeciso quo Ecclesia maxime indiget, in pugna contra inimicum strenue disciplinatum et oboedientem, scilicet, Communismum dictum, Clerus noster quotidie indisciplinatum inobtemperantem, independentem se ostendit

a) In vasta Regione Brasiliensi incipiunt insurgere contra vestem talarem, tonsuram et alios sacros mores;

b) In dioecesibus et archidioecesibus magna cum infiltratione com-

munistica, in electionibus, sacerdotes plures legitimam non acceptant interpretationem Decreti Sanctae Sedis contra Communistas et eorum collaboratores, et aperte sunt contra determinationes episcopales, et sustinentes opiniones proprias, laborant pro hominibus Communismo ligatis vel Communismum adiuvantibus;

c) Quidam Sacerdotes, etiam post advertentiam Auctoritatis Ecclesiasticae, manent ligatione amicitiae cum elementis Communistis et Socialistis;

d) Etiam Iesuitae quidam, Magistri nuncupatae Universitatis Catholicae Recifensis, amant se appellari homines « a sinistra ».

e) In his omnibus, ut Archiepiscopus immensa angustia plexus sum, hunc rerum statum considerans et cogito hanc rem esse magni momenti, maxime quando debemus pugnare contra inimicum bene ordinatum et disciplinatum, maxima et mechanica oboedientia praeparatum;

f) Maximi momenti tamen iudicamus disciplinam Seminariorum. Non tantum disciplina discipulorum sed etiam disciplina Magistrorum. Interest enim norma austeritate plena ut magistri plene se tradant labori Seminarii.

Fere omnes Romae formati, secum ferunt necessitatem eruditionem ostendendi extra seminarium in occupationibus diversis, ad quas vocati non sunt a suis Episcopis.

Has suggestiones coram Deo, Dignae Commissioni sincere praesentamus.

✠ ANTONIUS DE ALMEIDA MORAIS IUNIOR
Archiepiscopus Olidensis et Recifensis

47

EXC.MI P. D. CAROLI E. SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopi Palmensis (Palmas)

Palmas, die 22 aprilis 1960

Beatissime Pater,

Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico oboediens, suggestiones quam humillime isti Commissioni propono, opiniones meas omnino iudicio Tuae Sanctitati subiciens, sciens et profitens multo maiores, ut dicit Sanctus Augustinus, tibi adesse illustrationes Divinae Sapientiae, quam nobis omnibus aliis. Velis inscientiae meae indulgere, si quid scribo quod Beatitudini Tuae minus bene vel falsum visum fuerit.

1. Plebs christiana enixe instruatur de exaggerato cultu Sanctorum,

quem faciunt. Ita: quod Ecclesiae numquam alicui Sancto dedicentur, sed Deo, in memoriam tantum et honorem alicuius sancti. Etsi directe hoc non negant, sensus populi est ecclesias et oratoria alicui Sancto dedicari, et in hoc ipsi sacerdotes errores committunt, quia populum concomitantur satis saepissime. Non imminuatur quidem cultus Sanctorum, sed magis christocentrismus inculcetur.

2. Bonum fortasse erit praescribere, ut altare maius deinceps in media ecclesia semper et solummodo collocetur, ea structura, quae in canone praevisa, et cum ciborio desuper. Stylus ecclesiae exinde ita instituendus, ut populus revera altare circumstare valeat. Pro clero retro altare scamna collocentur, et ita in cathedralibus etiam thronus Episcopi. Cancellae chori ergo ita sint ut chorus claudi possit, quin tamen altare a conspectu fidelium operiatur.

3. Cum maxima cautela innoventur ritus et caeremoniae Missae:

1) Quaelibet innovatio in traditione fundetur, ne videatur res nova: proinde non multa mutentur.

2) Nullibi permittatur novas caeremonias introducere, nisi post inspectionem accuratam in quolibet loco ab episcopo factam, praesertim examinando, utrum respectu illius loci populus immutationes rite intellexerit et devote exercere sciat.

3) Innovationes ne introducantur praeterea, nisi post diuturnam explicationem ad populum et exercitationes cum illo.

4) Ex propositis pro innovationibus faciendis hic modus eligatur qui revera maiori participationi populi ad sacrificium consulat.

5) Pauca tantum in lingua vernacula permittantur.

4. Curetur tamen ne devotio popularis decrescat maiore participatione ad Missam. Nam devotio quoque privata necessaria est, et domi et in ecclesia. Videmus enim aliquos ex falsa interpretatione rerum liturgicarum contemnere meditationem, examen conscientiae, preces adprobatas non liturgicas; vel etiam contendere contra expositiones SS. Sacramenti; vel a confessionibus frequentibus se abstinere, immo a communione, nisi fiat in Missa; unde inter alia Communiones aegrotorum valde diminuerent.

Instructio detur, quod omnis actus devotus semper cum sacrificio Crucis et altaris coniunctus est; quapropter, si ex causa rationali aliquid non possit directe in Missa vel cum Missa fieri, tamen omnino non erit intermittendum et suum valorem semper ex Missa sumere.

5. Clerus iam a Seminario graviter doceatur Breviarium non esse orationem a monachis inventam, sed exstitisse antea, etsi in alia forma; esse orationem officialem ipsius Ecclesiae; quae obligatione tenetur quotidie et ininterrupte ad Sponsum preces fundere per officiales suos.

Proinde, si preces et lectiones Breviarii in posterum imminuantur, ita tamen fiat ut clerici quasi per totum diem eo occupari videantur.

6. Praecipiatur, ut in omnibus ecclesiis tabernaculum deinceps extra altare maius instituatur in sacello optime et decoratissime instructo. Usque nunc enim, certe ex oppositione contra « Reformatores » saeculi XVI, ultimis his temporibus tabernaculum medium ecclesiae obtinuit. Ex quo opinio orta est ecclesias nostras esse templum Dei, non id quod antiquitus erat, nimirum congregatio populi. Unde evenit ut ecclesiae magis et fere solum ad cultum adhibeantur. Censeo hoc iuvare ad satisfaciendum iis, quia secta aliqua ad nos se convertere volunt.

7. Inveniatur modus quo instructioni catecheticae adultorum melius provideatur. Propter homiliam et sermones in festis ipsa directa instructio systematica adultorum negligitur, et sunt multi sacerdotes qui nesciunt, quomodo hanc instructionem dent. Proponatur praeceptive Catechismus Romanus systematice per tres vel quinque annos divisus; et in studiis theologicis practice demonstretur, quomodo ista instructio danda sit.

8. Curetur de Catechismo reformando; non autem omnino mutetur, nec quoad formam nec quoad verba. Traditio etiam in hac re servetur. Solummodo ea aliter enuntientur, quae in Catechismo traditionali minus bene exposita sunt. Magistri catechismi animadvertentur de obligatione verba catechismi memoriter ab alumnis exigendi.

9. In seminariis hucusque magis de disciplina, ut patet, cogitatur quam de spiritu. Bona relatio inter alumnos et superiores inde valde patitur. Alumni in superioribus homines vident qui simpliciter advigilant, ut Seminaristae regulam et statuta bene observent, non vident patres. Unde diffidentiae oriuntur et quaedam occulta oppositio. Quae postea, cum sacerdotes efficiuntur, in relationibus ad episcopum transit: censent episcopum esse « disciplinarium » eorum. Inde aegre ferunt, quando admoneantur. Praecepta Episcopi parvipendunt, si Episcopus absens est. In actionibus suis multoties secundum propriam sententiam agunt, non secundum praecepta et normas Ecclesiae. Curetur ergo ut educatio in Seminario reformetur: statuta sint pauca, ut fecit Sanctus Carolus Borromaeus pro Milano. Prohibitiones fere removeantur. Instetur magis in instructionibus positivis. Non agatur praecipue cum mentione inferni, poenarum disciplinarium et huiusmodi, sed magis cum ideis, quae animum sublevent, ut est exemplum Christi et Sanctorum et virorum conspicuorum, ipsa sublimitas Sacerdotii, labores futuri, qui Seminaristas expectant.

Curetur quoque ut superiores et magistri aliquam fiducialem propinquitatem ad alumnos alant (cum cautela quidem). Instruantur ipsi

magistri quomodo practice se habere debeant erga alumnos. Exigatur ut magistri cursum paedagogicum et didacticum antea perficiant. In quo cursu autem magis et magis animo infigatur paternitas, qua exornari ipsos oportet.

Abrogetur usus qui invaluit praeparandi escas pro magistris alias et meliores quam pro seminaristis, vel serviendi illis in alio refectorio quam in communi, aut in loco elevatiore.

10. Pro Actione Catholica normae certae determinentur. Sunt qui pertinent ad A. C. et se super alios exaltant, nec alios ut operatores A. C. considerant qui ad eam non pertinent, etsi strenue laborent. Finiatur quaelibet discussio hac de re expositione clara iuxta Constitutionem *Bis Saeculari,* nempe: omnes qui quoquo modo in apostolatu laborant sub regimine Pastorum esse de A. C. Optimum erit directivas practicas elaborare pro sacerdotibus super hanc rem.

11. Fortasse periculosum erit laicos ut adiutores muneris sacerdotalis adhibere ordinibus minoribus vel etiam ipso diaconatu praeditos. Cum hoc tamen videatur esse in votis Ecclesiae, res bene et accuratissime perpendatur. Normae severissimae statuantur, inter quas praecipua erit, ut solummodo adhibeantur viri (et mulieres) qui revera magna et exquisita pietate pollent una cum omnimoda humilitate; ita ut evitaturi sint omnes contentiones cum populo et cum sacerdote. Praeterea ut instructiones lectas tantum dent, non in forma concionis. Et cursum antea instituant.

12. Omnia fiant, ut fideles ad suam paroeciam reducantur. Ex inhabilitate aliquorum parochorum multi sunt qui aliam ecclesiam frequentant. Existunt aliae rationes: consuetudo inveterata frequentandi quandam ecclesiam, antequam paroecia propria in illo loco crearetur; vel sunt collegia iuvenum, quae praesentiam eorum in proprio sacello flagitant; vel sunt ecclesiae religiosorum, qui sodales alicuius associationis ad se revocant; vel ecclesia paroecialis parva est, nec capit omnes, vel non gaudet sufficienti numero sacerdotum. Attamen praecipiatur:

1) Omnes sodales Associationis Confraternitatis, Piae Unionis eo ipso quod ad aliquam paroeciam pertinent, in ea se inscribere debent, cum ad eam transeunt.

2) Collegia, nisi circumstantiae aliud suadeant, suos alumnos ad respectivam ecclesiam paroecialem mittere teneantur.

3) Ad ecclesias religiosorum, quae non sunt paroeciales, solummodo sodales Tertii alicuius Ordinis de iure assistere possunt.

4) Sodales alicuius sodalicii, quod in paroeciali non existat, tantummodo ad reunionem non ad Missam convocandi sunt.

5) Sacerdotes religiosi intra limites alicuius paroeciae existentes debent parochum singulis dominicis et diebus festis in ipsa ecclesia paroeciali sponte et voluntarie iuvare.

13. Normae rigorosae dentur religiosis, qui aliquam paroeciam administrandam recipiunt. Nam ex eis satis multi non intuitu iuvandi Episcopi vel Christo, Ecclesiae et animabus serviendi, sed propter bonum proprium Congregationis agunt. Itaque eligunt solummodo ea loca quae eis lucrum afferunt; volunt statim seminarium proprium instituere; negant auxilium Seminario Dioecesano. Non cooperantur in P.O.V.S. Stipendia et eleemosynas pro suis Congregationis operibus satis luculenter colligunt, pro operibus dioecesanis vero pauca vel nihil faciunt. Quamquam rectum est dictis Religiosis pro suis operibus omnia permittere, quae eis conveniunt, tamen curandum est ut etiam pro necessitatibus dioecesis idem studium adhibeant. Praeterea maximae difficultates semper inveniuntur, cum paroecia quaedam religiosorum dividi debeat, quasi ii iure polleant retinendi totum territorium, quamvis non habeant sacerdotem qui curam paroeciae novae suscipiat. Saepe apud populum contra episcopum loquuntur, dicentes eum non habere potestatem auferendi partem paroeciae, et alia huiusmodi.

Censeo de his rebus claros canones stabiliri debere, ut in posterum tam gravia mala vitentur.

16. Ad unionem dissidentium obtinendam imprimis necesse videtur doctrinam catholicam secundum Tridentinum et Vaticanum planius exponere. Aliqua quae in usu populi catholici invaluerunt et occasionem scandali praebent, ut multiplicitas imaginum in ecclesiis, cultus maximus sanctorum et alia, ad rectum tramitem reducantur.

In publicationibus et transmissionibus radiophonicis catholicorum instructio, ubique praeceptive instituatur facienda de rebus, quae a protestantibus vel orthodoxis impugnantur. Non apologetice sed positive. Haec instructio non semel tantum vel intempestive fiat, sed systematice et continuatim. Conficiatur fortasse liber proprius, qui has doctrinas catholicas clare et practice elucidet et modum indicet, quo progrediendum sit.

17. Lex de ieiunio eucharistico pro sacerdotibus paucum auxilium praebuit multis eorum. Sunt qui primo mane confessionibus occupantur, hora sexta vel septima celebraturi cum sermone et instructionibus; postea aliis laboribus incumbunt, secundam Missam hora nona vel decima litaturi, vel adhuc tertiam hora decima, undecima, serius. Ex hac ratione nec ante primam missam aliquid solidum sumere possunt, nec multoties intra tempus ante secundam et tertiam aliquid ad modum potus. Sic practice in ieiunio manent usque dum ultimam missam cele-

braverint. Immo quotidie his infaustis condicionibus afficiuntur sacerdotes, qui per mensem et ultra de sacello ad sacellum pergunt munus suum exercituri.

18. Normae statuantur de exhibitionibus cinematographicis:

1) Cinema paroeciale, quantum possibile, ubique construendum.

2) Vigilantia super alia cinemata exerceatur a parochis, ita ut praeceptive enuntientur singulis dominicis in cathedra, vel alio modo efficienti, quae « films » videri liceat, quae non.

3) Pressio — praesertim urgendo lucra deficientia, si non attendatur —, fiat in animum directorum operum cinematographorum, ut solummodo iuxta libellum, quod a Commissione Catholica in qualibet natione conficitur, « films » ostendant.

19. In practica confessionali fortasse quiddam innovari posset. Quando habetur maximus concursus populi, sacerdotes ultra modum fatigantur, per sex, decem et plus horas in confessionali permanendo.

Introducatur usus antiquissimus Ecclesiae prioribus temporibus de absolutione generali. Ita fortasse:

Hora statuta, congregato populo in ecclesia, sacerdos instructione repetita de non-necessitate confitendi peccata venialia cum populo preparationem ad confessionem faciat. Tempore silentii intermisso pro examine conscientiae, sacerdos contritionem cum populo recitabit. Deinde explicatione repetita supra peccata venialia non necessario confitenda, absolutionem sacramentalem in forma generali pronuntiabit. Tum poenitentiam generalem imponat. Demum suadebit, ut qui voluerit, etiam si sola venialia habeat, accedere possit ad tribunal poenitentiae; alios vero, de mortali conscios, hoc debere.

Si hoc bene visum fuerit introducere in usum Ecclesiae, necessarium erit praeter canones respectivos normas accuratas et severas dare.

Haec sunt quae mihi in mentem venerunt, Beatissime Pater, proponenda Concilio Oecumenico. Dum iterum excusationes expando, quod tam tarde obligationi meae propter aegritudinem diuturnam satisfaciam, de hoc denuo veniam rogo.

Sanctitatis Tuae pedes osculans, reverentiam, fidem, amorem protestor et benedictionem Apostolicam imploro.

✠ CAROLUS E. SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

48

Exc.mi P. D. PAULI H. DE SOUZA LIBÓRIO

Episcopi Parnaibensis (Parnaiba)

Parnaibae, die 19 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

E Caruaruensi Ecclesia, ad hanc Parnaibensem, mense iunio, anteacti anni, translatus, ab hinc paucis solummodo diebus, humanissimas tuas Litteras de futuro coadunando Oecumenico Concilio, mihi contigit accipere, atque omni cum sollicitudine observantiaque perlegere.

Imprimis, grates quam maximae Divinae Bonitati agendae sunt, eo quod Summus Pontifex Ioannes XXIII huiusmodi universale Concilium, quod omnium etiam acatholicorum in votis esse videtur, pro sua pastorali sollicitudine, zeloque animarum, atque etiam erga Catholicam Matrem Ecclesiam amore, convocaverit.

De ipso autem momento, opportunitate, et plurimo sub respectu, etiam necessitate Oecumenici istius Concilii omnino iam nemini dubitare licet, praesertim si difficiles et aliquando vero adversae conditiones in quibus hac nostra aetate christiana vita et ipsa pastoralis animarum cura exercendae sunt, prae oculis habeantur.

Circa vero argumenta, sive quoad doctrinam, sive quoad disciplinam in ipso Concilio pertractanda, speciales animadversiones seu indicationes vix faciendas habeo, quando quidem, omnino certus sum quod Commissiones ad illa proponenda iam ex peritissimis in rebus Ecclesiae viris optime constitutae, certo certius laborem sibi demandatum omni cum diligentia atque profectu, in bonum producent exitum; attamen videtur quod inter argumenta a Concilio tractanda, specialem locum sequentia obtinere debeant:

De relationibus inter Superiores Regulares et Ordinarios locorum illa peculiari modo exponenda ac illustranda sunt quae ad ipsum conceptum et canonicam doctrinam de exemptione Regularium eiusque limitationibus quoad liturgicarum legum observantiam, v. g. de eucharisticis solemniis benedictionibus, de imaginibus ad publicum fidelium cultum exponendis, et aliis quibusdam publicis sacris functionibus in eorum ecclesiis peragendis, pertinent.

Generatim, saltem hac in ditione, Regulares non adeo promptu filia-

lique animo normis seu praeceptis a Dioecesana Curia emanatis inhaerent.

Ceterum, ad Cleri disciplinam quod attinet, etiam mihi videtur quod traditionales normae, potissimum circa talarem vestem et clericalem tonsuram, integre servari debent, sicut et ipsa salutifera ac veneranda de ecclesiastico coelibatu lege, quae quidem etiam adamussim servari atque urgeri debet.

Quae cum ita sint, Eminentissime Princeps, S.mae Purpurae expotulans,

Eminentiae Tuae Rev.mae ea qua deest reverentia, observantissimum in Domino me profiteor,

✠ Paulus H. de Souza Libório
Episcopus Parnaibensis

49

Exc.mi P. D. CLAUDII COLLING
Episcopi Passofundensis (Passo Fundo)

Aliqua participatio fidelium, et quidem lingua patria, in Missa, saltem dominicali. Forsan totus ritus patrio sermone peragendus est ita ut omnes fideles sensum intelligere et celebranti respondere possint. Ita libentius et maiore cum fructu Missae assistent.

Clarior expressio sensus sacrificii: adorationis, oblationis, gratiarum actionis in caeremoniis Missae, ut a rudibus etiam facile comprehendatur.

Aliqua mitigatio praxeos Ecclesiae, quantum ad dispensationem a lege caelibatus pro sacerdotibus apostatis.

Maior varietas in Missali, ita ut etiam textus Scripturae, quae hodie numquam leguntur, in textibus liturgicis habeantur ad maiorem fidelium aedificationem. Cyclus Missarum Dominicalium ad plures annos extensus. Ita melius doctrina in Evangelii commentariis explicabitur.

✠ Claudius Colling
Episcopus Passofundensis

50

EXC.MI P. D. EXPEDITI E. DE OLIVEIRA

Episcopi Patosensis (Patos)

Ex Patosensi urbe, die 25 augusti 1959

Domine mi clarissime atque Eminentissime,

Maxima cum dignitate ad formalem tuam epistolam scriptam die designato iunii, anni vertentis, sub N. 1 C/59-2520, medio augusti hic acceptam responsum damus.

Urgentiae ratione responsionis, signare non opis fuit nostrae nisi sollicitationes votaque ut futuro Concilio Oecumenico offerantur. Omnia autem haec nostri Dioecesani Cleri sensum depingunt. Quae cum ita sint quod sequitur animo videre Concilium constituamus:

Nobis videtur:

1. benedictionis formulam Aquae Lustralis in breve cogere;

2. fidelibus prodesse Corporis Sanguinisque Christi sumptionem sine temporis circumscriptione et sine rebus quas magnum Christianae Religionis Sacrificium eis dari exigit, etiam quoque eadem vespertina parte;

3. etiam ut precationum pulchritudo quae Sanctae Unctionis administrationem prosequuntur, numerum vel summam huius Sacramenti res ad simpliciorem statum compluribus aegrotis in ipso temporis articulo administrari;

4. Matutini declamatio ad unum nocturnum omnibus anni diebus reducatur;

5. Elevetur terminus ad alienanda bona sine facultate praecipua decies supra fines in can. 434 constitutos;

6. pandere concessionem formula plurali utendi in baptismi administratione cum baptizandorum numerus quinque superavit;

7. tollere circumscriptionem quae sacerdotem unius horae spatium Missae ad Missam servare cogit cum inter unam et aliam necessitate devinciat cibum liquidum capiendi;

8. permissionem ad absolvendas personas sinistras et venenatas in articulo mortis;

9. circumspicere apostatarum sacerdotum acerbum eventum qui a fide catholica non defecerunt et erga Sanctam Ecclesiam reverentes manent et statum laicum absque caelibatus officio optant.

Ecce, Eminentissime Domine, suasiones quae cum veneratione afferre ad considerationem doctam et prudentem futurorum componentium Concilii Oecumenici nobis visum est.

Velimus nos credas, Eminentissime Pater, in te bone animatum in Domino Nostro.

✠ EXPEDITUS E. DE OLIVEIRA
Episcopus Patosensis

51

EXC.MI P. D. ANTONII ZATTERA
Episcopi Pelotensis (Pelotas)

Pelotae, 7 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Animo grato et libenti epistulam encyclicam accepi, sub numero 1 C/59-1005, de die 18 mensis iunii p. p., huius Auctoritais Venerabilis super Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico.

Volens satisfacere quae deliberationi proponuntur magno respectu ac debita reverentia humiliter submitto prudenti iudicio opiniones, quae sequuntur:

I. *In genere*:

Magno cum gaudio populus christianus omnium classium accepit nuntium de Concilio Oecumenico; praesertim propter intentionem principalem unionis christianorum mundi totius.

II. *De Doctrina et Liturgia*:

1. Magis notum fiat dogma de Resurrectione Carnis, ut veritas christiana opponatur haeresi Reincarnationis.

2. Imprimere profundius veritatem de praesentia reali Sanctissimi Sacramenti, ut omnis populus christianus magis magisque convincatur Iesum Christum omnis vitae religiosae fieri centrum.

3. Melius instruere populum christianum de differentia inter cultum hyperduliae et duliae debitum Dominae Nostrae et sanctis atque adorationis debitum Domino Nostro.

4. Docere profundius invocationem sanctorum, ut obex ponatur evocationi, quae vocatur mortuorum.

5. Inculcare dogma de communione Sanctorum, cum sit fundamentum fraternitatis, quae nos unit cum omnibus membris eiusdem familiae Dei.

6. Concedere usum linguae vernaculae in sacra liturgia, verbi gratia, in benedictionibus, caeremoniis funebribus, administratione sacramentorum, in celebratione quoque Sanctae Missae, ut populus fidelis cognoscat melius et vivat intensius sacram liturgiam. Ut Sacrificium Sanctae Missae fiat in lingua vernacula, excepto Canone, usque ad « Pater Noster », exclusive.

III. *De disciplina*:

1. Condescendere, quantum fieri potest, in rebus disciplinaribus, ut facilitetur reditus ad unitatem christianam.
2. Mitigare sortem sacerdotum apostatarum, ut rehabilitatio sit magis propitia.
3. De instructione Diaconorum laicorum: quibus confidatur bonorum administratio materialis, uti patet, sub ordinatione Hierarchiae, ut et episcopis et sacerdotibus plus restet temporis ad opera spiritualia facienda.
4. Formatio cleri magis solida et profunda, temporibus nostris adaptata.
5. Quod sit medium magis efficax ad obtinendum clerum numero maiorem atque etiam doctum ac sanctum.
6. Ut Reverendus Clerus observet omni, quo decet et fieri potest, modo disciplinam ecclesiasticam, unitus cum Hierarchia in spiritu orationis, abstinens se a delectationibus profanis.
7. Ut fortiter agatur contra spiritum mundanum exibitionum carnis humanae in templis nostris et contra voluptuositatem in litoribus.
8. Praeparatio magis intensiva ad matrimonium christianum, ut sit fundamentum solidum ad constituendas familias integre christianas.
9. Officium Divinum sit congruens muneri paroeciali.
10. Maius auxilium mutuum operibus socialibus, verbi gratia, fortuna destitutis (pueris, senibus, etc.) sub directione Hierarchiae et cooperatione Congregationum Religiosarum, quae pro hoc fine creatae sunt.

Eminentissime Domine,

Hae sunt propositiones, quas humiliter et reverenter submitto iudicio sapienti Dignae Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico.

Eminentiae Tuae

servus in Christo

✠ ANTONIUS ZATTERA

Episcopus Pelotensis

52

EXC.MI P. D. IOSEPHI TERCEIRO DE SOUZA

Episcopi Penedensis (Penedo)

Penedo, die 7 aprilis 1960

Eminentissime Praeses,

Communico Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico vota mea circa disciplinam cleri et populi christiani esse: primum: curriculum studiorum et formationis sacerdotum durare per viginti annos ita ut unusquisque accipiat Sacerdotium ultra triginta annos aetatis.

Secundo loco: breviarium habere versionem vernaculam latere latini sermonis.

Tertio: facultatem absolvendi plures una simul, si accedat gravis omnino et urgens necessitas, verbi gratia, si poenitentes, secus, nulla culpa, diu gratia sacramentali et sacra communione carere cogantur.

Et quarto: tractare de statu sacerdotum apostatarum ita ut habeant adiumentum ad aeternam vitam.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam prosequor meque profiteor

✠ IOSEPH TERCEIRO DE SOUZA
Episcopus Penedensis

53

EXC.MI P. D. SEVERINI M. DE AGUIAR

Episcopi Pesqueirensis (Pesqueira)

Die 12 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Cum ad nos litterae ab ista Commissione pro Concilio praeparando pervenerint quibus constat singulos Episcopos animo prorsus libero sinceraque fide posse ea omnia declarare quae ad bonum Concilii pertinere videantur, postquam ferventes preces admovimus, magni esse momenti coëuntem Coetum maximum in studium harumce quaestionum quae ad maius Cleri Fideliumque bonum vertant incumbere putamus.

1. Sacerdotes non desunt vere infelices qui e statu sacerdotali lapsi sint magnaque in miseria atque magno in periculo versentur sese in

aeternum perdendi. Quaeritur num in Concilio fieri possit ut solutio inveniatur ut hi Sacerdotes ad Sacramenta accedere queant.

2. Res magni momenti esse videtur quod in Concilio Oecumenico dogma de Universali Beatissimae Virginis Mediatione definiatur ut tanta habeatur de re consensus inter Christifideles animarumque Pastores.

3. Data Cleri paupertate in regionibus Brasiliae septemtrionalibus, desideramus ut privilegium iam concessum bis quibusdam diebus Sacri litandi ad singulos hebdomadae dies ita extendatur ut Sacerdotes nostri, stipendium binatae Missae recipiendo, honestae suae sustentationi consulere possint.

4. Maxime convenire putamus Sanctam Sedem ius et facultatem singularum Ecclesiasticarum Provinciarum Episcopis tribuere de emolumentis (tasse) ad honestam Cleri sustentationem decernendi. Saepe enim fit ut alteratio quae Apostolicae Sedi facienda proponatur, datis oeconomicis difficultatibus in Brasilia, cum ab Urbe probata revertatur, prorsus inutilis evadat.

✠ SEVERINUS M. DE AGUIAR
Episcopus Pesqueirensis

54

EXC.MI P. D. ANTONII C. DE ARAGÃO
Episcopi Petrolinensis (Petrolina)

Petrolinae, 20 maii 1960

Eminentisisme ac Reverendissime Domine,

Die tantum decima maii huius currentis anni, litterae, die vigesima prima martii eiusdem anni, sub N. 1 C/59-1021 bis, datae, necnon litterarum, die duodevigesima iunii anni praeteriti datarum transcriptio, meas usque ad manus pervenerunt.

Litterae vero originales — ut puto — amissae sunt.

Erga Summum Pontificem Ioannem XXIII devotionem profitens filialem, supradictam rescribo epistulam, una cum votis perfelicis exitus Concilii Oecumenici futuri; Eminentiae Vestrae, studiosissime obsequiosissimeque, salutem dico.

✠ ANTONIUS C. DE ARAGÃO
Episcopus Petrolinensis

Gaudio cum magno litteras suscepi quas Eminentia Vestra existimavit mihi laturas die duodevigesima iunii anni transacti, renuntiantes Summum Pontificem constituisse Commissionem Antepraeparatoriam ad futurum Concilium Oecumenicum rite promovendum, cuius moderamen sapientiae et prudentiae Eminentiae Vestrae commisit.

Absque dubio, Concilium Oecumenicum praestantissimum est atque novas praetiosasque regulas, praecepta ac clarificationes ordinis moralis, pastoralis, theologicaeque praebebit quae novum in vigorem constituent providentialem ac apostolicam Sanctae Dei Ecclesiae actionem.

Sciens licet insufficientiam meam, filiali cum affectu, desideria Summi Pontificis excipio et veniam supplico ut mihi liceat exponere quae sequuntur.

Immensum est Ecclesiae onus coram profundis ac multiplicibus problematibus quae humanitatem, hodiernis diebus, affligunt et, in futurum sese provehentia, solutiones postulant sapienter actuales.

Ob usus et consuetudines vulgares, actionem ethnicam foventes, operam dant quibus interest, technice perfecti pecuniaque divites.

Certe, maxima ops quam sibi optant Summus Pontifex Sacraque Hierarchia, ad Apostolicum munus obeundum, quin Divini Paracliti actionem omittamus, apostolatus exstat sacerdotalis.

Maximum pondus ac momentum urget formationem sacerdotalem.

Codex Iuris Canonici, explicite, leges profert de causa. Litterae apostolicae Sanctitatis Pii XII, gloriose defuncti, necnon anteriorum Pontificum, de re tam magni momenti sapientissime dixerunt.

Sollicitationes in apostolicum opus adeo variae ac profundae se gerunt, ut necessitas selectionis eorum qui altare petunt magis ac iterum promit solemniter declaranda; idem ac disciplina intellectus par necessitatibus apostolatus more praesenti, ex qua moralis, socialis et pastoralis formatio, tuto ac firmo pede, in clarissimo ac profundissimo vitae interioris fundamento, recte appareat.

Defectionum vero, animi sacerdotalis remissionis causae variae sunt atque diversae. Solidae pietatis carentiam semper et in omnibus invenimus casibus.

Mihi videtur res, quae sic se praestat ut fundamentum, maxime praelucenda esse.

Alia mihi videtur capitalis quaestio, digna ut ab auctoritate et munere Concilii Oecumenici tractetur, scilicet ea quae ad Apostolatum laicorum pertinet.

Laicorum actio in dioecesibus et paroeciis effecta inaestimabili praetio ac virtute se praebet.

Praecipue, huius apostolatus opportunitas adolescit in regionibus illis clero carentibus.

Necessitas apostolatus laicorum increbrescit admodum et quod praetermitti non debeat elucet, cum consideramus demographicum gentium auctum, magis ac magis, immaniter progredientem.

Ab Eminentia Vestra benevolentiam audeo et adhuc poscere, duas opiniones proferendi gratia.

Primo mihi videtur opportunum ut Actio Catholica magis magisque promoveatur in universitariis ambitibus et in humanisticae formationis curriculis. Doctrinae subvertentes fidem ac mores opinionesque ethnicae et agnosticae disseminantur in scholis disciplinarum superiorum horribilem in modum.

Sollicitudo specialissima adhuc urget in congregandis atque erudiandis opificibus et agricolis.

Proletariorum coetus — *sindicati* quos dicunt — peraltam aggrediuntur magnitudinem in democraticis nationibus. Calliditas eorum qui *communisti* vulgo appellantur, sub Moscoviae praesidio — proh dolor! — has constituunt societates, creandi animo Ecclesiae populisque asperiorem positionem.

Eminentissime Domine, magna cum observantia, considerationi Eminentiae Vestrae porrigo ea quae mihi visa sunt primi momenti, ita ut includantur in agendis studiis praeclarissimae Commissionis Antepraeparatoriae Concilii Oecumenici.

Reverenter salutem scribo Eminentissimo Praesidi, me profitens admiratorem ac servum in Domino.

✠ ANTONIUS C. DE ARAGÃO
Episcopus Petrolinensis

55

Exc.mi P. D. EMMANUELIS P. DA CUNHA CINTRA

Episcopi Petropolitani (Petrópolis)

Petropoli, die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Acceptis litteris sub N. 1 C/59-1022 die 18 iunii datis, pergratum perhonorificumque mihi est Pontificiae Commissioni, cui optime praeest Eminentia Tua Reverendissima, votum meum circa duo, quae convenienter videntur tractari posse in futuro Concilio, humiliter communicare.

1. Doctrina Beatae Mariae Virginis Omnium Mediatricis Gratiarum ita considerari atque explanari posset, ut ab omnibus Patribus manifeste perspiceretur in deposito Revelationis contineri, sicque panderetur via pro splendida in Concilio Oecumenico definitione dogmatica quae, sive cum christifidelium sincera pietate sive cum Matris Dei aliis praerogativis omnimode consona, gaudium esset universo mundo.

2. Revisio aliqua Iuris ad Religiosos spectantis ita ut in posterum Ordinarii locorum Ecclesiam Dei expeditius regere possent. In regionibus enim ubi Religiosi vel plures vel numerosiores sunt, ut nostra, reapse non raro accidit quod totius Dioecesis regimen organicum, unitate atque connexione plenum, Ordinariis locorum sub dependentia Religiosorum quasi positis, perdifficile sit.

Sacrae Romanae Purpurae ad osculum prostratus, sensus cordis mei impensissimos Eminentiae Tuae profiteor ex animo, et fausta quaeque adprecor Eminentiae Tuae Reverendissimae addictissimus,

✠ Emmanuel P. da Cunha Cintra
Episcopus Petropolitanus

56

Exc.mi P. D. ANTONII MAZZAROTTO

Episcopi de Ponta Grossa (Ponta Grossa)

Ponta Grossa, die 7 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ad Litteras Eminentiae Tuae Rev.mae — 1 C/59-1043 — respondeo, aliqua porrigendo quae mihi visa sunt Ecclesiae bono animarumque saluti profutura, quaeque istius *Pontificiae Commissionis Anteprae-*

paratoriae pro Concilio Oecumenico benevolae prudentique considerationi subicio. Haec sunt quae sequentur:

1. Servetur habitus ecclesiasticus talaris, prout utitur in Brasilia et in aliis pluribus regionibus et laudabiliter inducatur ubi ipse forte non est in usu. Sacerdotes enim qui vestem gestant clericalem reverentiam conciliant fidelium ac fidem in ipsos et simul eosdem adiuvat ad dimovenda pericula et insidias quae mundi sectatores in illos machinantur.

2. Cum Sacerdotes itinerantur vel cum in oratoriis publicis seu sacellis ruralibus ministerium praestant in bonum animarum, loco Officii divini reponant praeceptive Rosarium Beatae Mariae Virginis.

3. Missae sacrificium iure ordinario celebrari queatur in bonum fidelium horis vespertinis et nocturnis, servato ieiunio praescripto. Sacerdos vero qui ex qualibet rationabili causa impediatur quominus Missam offerat horis matutinis, rem sacram hanc facere queat aliis quibuscumque horis ad sui ipsius devotionem satisfaciendam.

4. Facultas impertiatur Ordinariis locorum permittendi iure ordinario ut diebus dominicis et festis de praecepto Sacerdotibus liceat, gravi et rationabili de causa, notabili scilicet bono animarum, ter offerendi Eucharisticum Sacrificium.

5. In Missa solemni, praeterquam in Missis festorum solemniorum, liceat populo canere lingua vernacula. In Dioecesi fideles oriundi ex polonis nesciunt canere in Missa nisi lingua maiorum suorum, polonica scilicet lingua, prout mos est in Polonia.

6. In administratione quorumdam Sacramentorum facultas sit lingua vernacula uti, prouti a S. Cong. Rituum iam concessum est.

7. Facultas Parochis concessa Sacramentum Confirmationis fidelibus in periculo mortis conferendi concedatur etiam Vicariis Cooperatoribus. Plura enim oratoria publica seu sacella ruralia a sede paroeciali longe dissita a Vicario Cooperatore tantum visitantur.

8. Locorum Ordinarii delegationem generale dare possint assistendi matrimonia Missionariis aliisque Sacerdotibus, expletis antea omnibus quae ius constituit pro validitate et liceitate matrimonii.

9. Locorum Ordinariis sit facultas dispensandi iure ordinario super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, excepto impedimento proveniente ex sacro ordine presbyteratus...

10. Sicut locorum Ordinariis est manualium Missarum stipem in sua cuique Dioecesi definire per decretum, sic iisdem Ordinariis facultas sit definiendi et determinandi iura stolae ad congruam Sacerdotum sustentationem. Fideles enim libenter offerunt stipendia ab Ecclesia determinata, occasione praesertim administrationis Sacramenti Baptismi et Ma-

trimonii et ad ea deferenda in administratione horum Sacramentorum iam assuefacti nullam admirationem patiuntur.

11. Facile reddatur ut nepotes eorum qui immigraverunt in regionibus quas incolunt alius ritus fideles ad ritum possint transire horum fidelium indigenarum. Quidam enim immigrantium posteri, praesertim qui degunt in oppidis et in civitatibus, cum iam coalescant in populi indigeni corpus et vix loquantur linguam patrum, quae est fere lingua ipsorum ritus, nolunt ad ritus maiorum pertinere. Quidam ex byzantini ritus fidelibus (ruthenis) permixti fidelibus latini ritus et cum ipsis vitam simul degentes de proprio suo ritu erubescunt, quia falso arbitrantur haud brasilianos esse qui non pertinent ad ritum latinum. Quapropter nolunt in Ecclesiam adire sui ritus ad Sacramenta recipienda, ad matrimonium ineundum et idcirco haud raro civili tantum matrimonio iunguntur. Accedit quod aliquoties ruthenorum nepotes ignorantes vel immemores cuius sunt ritus matrimonium contrahunt coram Parocho latini ritus, qui et ipse ignorat nubentium ritum et ita evadit invalidum matrimonium hoc contractum coram Sacerdote qui non est parochus proprius.

12. Extendatur in universam Ecclesiam festum Beatae Mariae Virginis Omnium Gratiarum Mediatricis et forsan sollemniter definiatur dogma esse a Deo Revelatum constanterque ab Ecclesia acceptum ipsam Beatam Virginem Mariam esse omnium gratiarum apud Deum Mediatricem.

13. Sicut Beatae Mariae Virgini debetur cultus hyperduliae, sic Beatus Ioseph, eius sponsus, culto protoduliae colatur et nomen eius praeponatur in Liturgia nominibus Angelorum et omnium Sanctorum et forsan includatur in oratione « Confiteor » et in canone Missae.

14. Locorum Ordinarii in singulis casibus concedere queant facultatem Viae Crucis erigendi cum omnibus indulgentiis quae huiusmodi pium exercitium peragentibus impertitae sunt.

15. Locorum Ordinarii potestatem facere possint Parochis et Vicariis Cooperatoribus recipiendi abiurationem ab haereticis et professionem fidei eosdemque absolvendi a censuris, quibus forte incurrerint.

16. Antequam quis abhibeatur patrinus libellum seu chartam professionis fidei vel praecepti Communionis paschalis adimpletionis praebeat Sacerdoti et sic liceat ipsi iuribus et privilegiis frui in Ecclesia. Haud pauci enim ad munus patrini recipiunt in Brasilia qui prorsus, inscio Sacerdote, indigni sunt, quia massonica secta vel spiritica adscripti vel quia actu tantum civili coniuncti sunt.

17. Si in Seminario minore haberi nequeunt saltem tres Sacerdotes ad convenientem institutionem alumnis praebendam, praecipiatur ut alumnos mittat Episcopus in alienum Seminarium, usque dum, praeter

aedificium, Sacerdotes ipse habeat ad seminarium congruenter moderandum.

18. Ad minimum reducatur numerus personarum, quae Episcopo opem praestare debent in regimine Dioecesis, praescribendo scilicet ut Curia dioecesana constet saltem Cancellario, qui potest, necessitate impellente, supplere Ordinarii vicem cum ipse absit a sede episcopali, Dioecesim lustrando. Aliae Curiae personae nominentur cum Sacerdotes habeantur et negotia ne desint pertractanda. Pluribus in Dioecesibus nequit omnino Curia dioecesana constitui ut in Codice Iuris Canonici praescribitur et nonnulli Episcopi, praesertim in America Latina, vix habere possunt, quisque illorum, Sacerdotem cum quo morentur et in eorum locum substituant cum Dioecesim visitant.

19. Tribunal constituatur ordinarium primae instantiae in sede metropolitana, quae causas cognoscat Dioeceseon suffraganearum. In Dioecesi autem suffraganea tribunal constituatur cum habeantur causae quae agendae sunt et Sacerdotes qui tribunal conficiant.

20. Ad homines Christo lucrifaciendos et ad regnum Christi dilatandum aetatis nostrae inventa adhibeantur, radiophonica praesertim instrumenta.

21. Faveatur, amplificetur et commendetur associatio « Legio Mariae », quae prae ceteris omnibus associationibus religiosis uberrimum et multiformem exercet apostolatum ac salutares effundit fructus eosdemque plurimos opimosque.

Hanc nactus occasionem, Sacrum annulum Eminentiae Tuae Reverendissimae deosculor et benedictionem apostolicam expostulo.

Eminentiae Tuae Rev.mae me profiteri gaudeo

humillimum in Iesu Christo servum
addictissimumque

✠ Antonius Mazzarotto
Episcopus de Ponte Grossa

57

EXC.MI P. D. ALFREDI V. SCHERER

Archiepiscopi Portalegrensis in Brasilia (Pôrto Alegre)

Pôrto Alegre, die 15 augusti 1959

Eminentissime ac Rev.me Domine,

Circa res et argumenta quae in futuro poterunt Concilio Oecumenico tractari, exoptatae quaedam animadversiones ac vota cum antepraeparatoria ista Pontificia Commissione mihi remanent communicanda, videlicet: Praecipua Ecclesiae Portalegrensis imo et totius Brasiliae necnon Australis Americae malorum radix habenda videtur humanarum atque divinarum rerum ignorantia; sequelae autem sectarismus, uti aiunt, liberalismus, immoralismus, materialismus. Non est inde mirum ut exsecutores divi illius mandati « Euntes *docete* omnes » ubicumque deficiant. En res, en casus. Quid ergo? Caritas Christi urget ut:

1) efficiatur tandem aliquando illud « cor unum et anima una » *ordinarios* inter pastores. (Catholica seu universalis eveniat episcoporum inter se cooperatio, religionumque superiorum cum illis, ea nempe ratione ut regionalis saltem ecclesiasticarum actionum obtineatur compages. Haec quidem organi cuiusdam centralis iudicio erit subicienda, ac semel probata, exsecutioni Ordinariis tradenda);

2) *clericorum* educatio nostris magis consentanea temporibus desideratur (Religiosi religiosiores sunto, saeculares vero minus « saeculares », at omnes Mystici Corporis veri Apostoli sub nutu Ordinariorum consentientes. Parvi enim sunt foris arma, nisi est consilium domi);

3) *laicorum* apostolatus ubique gentium hodiernis accommodatus adiunctis etiam atque etiam extollatur utpote qui nullo in tempore necessarius, indispensabilis, tam urgens quam quod urgentissimum.

Quae dum eo quo par est obsequio significanda mihi erant, Eminentiae Vestrae Reverendissimae uti fratri salutem plurimam dico omniaque fausta a Deo adprecor.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
addictissimus in Domino

✠ ALFREDUS V. SCHERER
Archiepiscopus Portalegrensis in Brasilia

58

EXC.MI P. D. IOANNIS A. M. DU NODAY
Episcopi Portus Nationalis (Pôrto Nacional)

Portu Nationali, die 5 aprilis 1960

Excellentissime Domine,

Litteras ab Excellentia Tua Rev.ma die 21 mensis martii emissas, die 4 aprilis recepi (Prot. N. 1 C/59-1059 bis).

Ordinarii istius Provinciae Ecclesiasticae Goiacensis, in suis conferentiis episcopalibus mense decembris 1959 celebratis, nonnulla vota suggesserunt quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent.

Quae suggestiones ad Pontificiam Commissionem Antepreparatoriam Pro Concilio Oecumenico, diligentia curiae Archiepiscopalis Goianiensis, sine dubio mittebuntur.

Occasionem nactus, meos devotionis sensus pando et, qua par est reverentia, maneo

Excellentiae Tuae Reverendissimae
in Christo servus
✠ IOANNES A. M. DU NODAY
Episcopus Portus Nationalis

59

CONVENTUS EPISCOPALIS
PROVINCIAE ECCLESIASTICAE RIVI NIGRI

EXC.MI P. D. ALOYSII DO AMARAL MOUSINHO, *Archiepiscopi Rivi Nigri* (Ribeirão Prêto).

EXC.MI P. D. LIBANII LAFAYETTE, *Episcopi Riopretensis* (Rio Prêto).

EXC.MI P. D. IOSEPHI VARANI, *Episcopi tit. Altavensis, Coadiutoris c. s. et Administratoris Ap. Iaboticaballensis.*

EXC.MI P. D. IOSEPHI I. GONÇALVES, *Episcopi tit. Tanitani, Auxiliaris Riopretensis.*

Rivi Nigri, die 11 septembris 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Litteris die 18 iunii 1959, ad omnes Ordinarios datis, Eminentia Tua Reverendissima petiit argumenta capitaque doctrinae, sive etiam negotia maioris momenti totius Ecclesiae, fore tractanda in Concilio Oecumenico.

Episcopi Provinciae ecclesiasticae Rivi Nigri, qua par est observantia, haec exponunt:

I. *Quoad doctrinam,* opportuna nobis videtur dogmatica definitio de universali Beatae Mariae Virginis *mediatione* in gratiarum distributione seu elargitione.

II. *Quoad liturgiam,* haec nobis videntur proponenda:

1. In Sacrosancto Missae Sacrificio, necnon in Sacramentorum confectione seu administratione, quosdam ritus supprimere, qui historice ac liturgice ad rem minus pertinent, ut sunt, v. g., benedictiones, seu signa crucis, super Panem et Vinum iam consecrata; vel annuli episcopalis deosculationem in S. Communionum distributione.

2. Linguam servare latinam in partibus tantum essentialibus seu fundamentalibus tum Missae tum Sacramentorum et Sacramentalium, ut sunt, v. g., Canon Missae et Formae sacramentales; in aliis autem, lingua uti vernacula, ut populus christianus facilius, melius ac maiore delectamine veram participationem habeat in actibus liturgicis.

3. Festinantius simplificare Breviarium Romanum.

4. Admittere propalatam Kalendarii Gregoriani reformationem, quippe quae et Anno Liturgico magnum afferet bonum.

5. Festa de praecepto, in media hebdomada occurrentia, semper in Dominicam sequentem transferre, etiam quoad partem liturgicam. Ratio est: ne multiplicentur peccata multorum christianorum, nec nimis perturbetur conscientia bonorum christifidelium impeditorum.

6. Supprimere reservationes, in Rituali Romano, omnium vel saltem multarum benedictionum, eo quod huiusmodi reservationes (tum Ordinariis, tum Ordinibus Religiosis) non sint ad bonum animarum; v. g., erectio Viae Crucis, impositio Scapularium, benedictio cum indulgentiis coronarum B. M. V., etc. Saltem sacerdotes qui curam habeant animarum has possint benedictiones dare.

7. Simplificentur traditionales episcoporum vestes, tum in pontificalibus, v. g., supprimantur caligae, sandalia, chirotecae, tunicella et dalmatica; tum extra actus liturgicos, v. g., quoad pileolum et crucem pectoralem, quorum usus restringatur ad functiones liturgicas. Ratio est: maior aedificatio populi christiani, qui, hodie, propter communistas,

socialistas et alios Ecclesiae inimicos, facile « scandalizatur » apparenti ostensione divitiarum in sacerdotibus.

III. *Quoad disciplinam* Codicis Iuris Canonici, plurima essent reformanda, ad maius bonum animarum. Ita, verbi gratia:

1. Restringere Codicem Iuris Canonici ad leges quae revera observari possint ubique terrarum, et abrogare illas quae fere semper dispensantur. Circa illas vero, quarum adimpletio valdependet ab adiunctis regionis, morum, etc., Codex facultatem tribuat « Conferentiis Episcopalibus » singularum nationum redigendi proprias leges seu normas disciplinares ac pastorales, quae beneplacito Sanctae Sedis subiciendae sunt, ut vigere possint.

2. Sacrae Romanae Congregationes, quotiescumque agatur de redigendis decretis disciplinaribus vel pastoralibus ad universam Ecclesiam, audiant primum « Conferentias Episcopales ». Nec facile restringant ordinariam episcoporum potestatem, ut accidit, v. gr., in Decreto « Solemne habet ». S. Congr. Sem., 12-7-1957.

3. Concedere, lege communi, episcopis et ordinariis locorum, illas potestates, quae reapse ipsis iam competunt, sed vi privilegiorum et rescriptorum Sanctae Sedis, quae ad tempus dantur et semper renovantur, ut sunt Facultates Decennales, Quinquennales, etc., datae episcopis Brasiliae.

4. Potestas ordinaria Episcopi permittendi Missae binationem qualibet die, trinationem vero diebus dominicis et de praecepto, servatis servandis (quoad stipendia v. gr.) et semper in bonum animarum; item, permittendi Missas vespertinas et nocturnas, necnon et sacram communionem, qualibet hora, dummodo sit in bonum animarum.

5. Sacerdotes, qui tres missas litare tenentur diebus dominicis vel de praecepto, ipso facto dispensentur a Breviarii recitatione; item, si longum aggrediantur iter, in quo incommode vel difficile Breviarium legere possint, hoc commutetur Sacri Rosarii B. M. V. recitatione.

6. Clarius describatur iuridica religiosorum exemptio, praesertim quoad actionem pastoralem, ut facilius obtineatur desiderata ac efficax unitas ac coordinatio circa apostolatum in dioecesibus.

7. Circa « beneficia » ecclesiastica, cum animarum cura, restringantur iura « acquisita » beneficiatorum, ad animarum bonum melius procurandum.

8. Prudenter, post maturam deliberationem, iuxta singulos casus, reducantur ad laicalem statum sacerdotes « apostatae » vel anormales (v. g., paederastae incorrigibiles), cum dispensatione etiam voti castitatis, ut minus difficilis ipsis evadat via salutis aeternae.

9. Instituere in Ecclesia, praesertim ubi desunt sacerdotes, Diaconatum; iuxta pristinam disciplinam.

10. Restringere ad minimum sic dictam « burocratiam » in Curiis Romanis et Episcopalibus.

11. Declarare iura et facultates Nuntiorum Apostolicorum apud Episcopos singularum nationum, quia, reapse, non sunt meri legati Pontificis apud gubernium civile, sed veri mediatores inter S. Sedem et Episcopos.

12. Corpus Diplomaticum Pontificium, sicut et Romanae Congregationes, componantur elementis seu personis plurimarum nationum catholicarum, ut melius et eloquentius demonstretur Universalitas Ecclesiae Romanae, et melius apprehendantur et solvantur quaedam problemata.

13. Episcopatus mundialis, successor Collegii Apostolici, partem habeat in electione Summi Pontificis, mediantibus legatis ab episcopis electis et proportione quadam servata, verbi gratia, unus legatus pro 50, vel 70, vel 100 episcopis.

14. Facile permittere transitum catholicorum ab uno ad alterum ritum, quotiescumque ritus « a quo » careat sacerdote proprio.

15. Potestas ordinaria Episcoporum non facile delimitetur concessionibus religiosis factis « inconsulto Ordinario »; item, nec multiplicentur privilegia religiosorum in cura animarum, ne inferior sit positio cleri saecularis in iisdem adiunctis.

16. Iuxta « Menti Nostrae » permittere et favere quaedam nova experimenta paedagogica prudenter in Seminariis introducenda.

17. Opportuna videtur in Concilio discussio circa vestem clericorum talarem servandam, vel « clergyman » admittendum.

18. Simplificentur vestes et habitus quarundam Congregationum Religiosarum tum virorum tum mulierum, quippe quae non videntur conformia voto paupertatis et hygienicis normis. Hoc etiam faciliorem redderet apostolatum et maiorem vocationum messem.

19. Circa administrationem bonorum ecclesiasticorum, sicut et determinationem taxarum occasione Missae vel quorumdam sacramentorum et sacramentalium, extendere facultatem episcoporum seu locorum ordinariorum. Praescripta can. 534 et aliorum serias et multas affert difficultates, data praesertim magna « inflatione » et « devalorizatione » pecuniae.

Hanc occasionem nacti, humillime Sacram Tuam Purpuram deosculant altissima veneratione,

OMNES SEQUUNTUR SUBSCRIPTIONES

60

EXC.MI P. D. ANTONII REIS
Episcopi S. Mariae (Santa Maria)

Una cum eo responsum dedit:

EXC.MUS P. D. ALOYSIUS V. SARTORI
Episcopus tit. Celerinensis Coadiutor c. s. S. Mariae

S. Maria, die 24 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Ad litteras Huius Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico, datas die 21 martii 1960, sub n. Prot. 1 C/59-1211 bis. rescribentes, communicare nobis liceat consilia et vota de quibus tractari possent in futuro Concilio Oecumenico.

1. Promulgatio Dogmatis Universalis Mediationis B. V. M.

2. Recognitio Libri II, tit. VIII, cap. I, can. 329 et ss. Codicis Iuris Canonici « De Potestate Episcopali et de iis qui de ea participant ».

a) amplificatio facultatum Episcoporum in omnibus iis, quae pro bono fidelium inservire possunt;

b) concedere, hac de re, Episcopis potestatem subdelegandi facultates illas quae competunt Superioribus Generalibus sive Ordinum sive Congregationum Religiosorum, cum praecipue Ordines et Congregationes iam exerceant activitatem in Dioecesi: v. gr. facultas imponendi Scapulare, erigendi Viam Crucis, etc.;

c) amplificatio facultatum celebrandi, eodem die, duas vel tres Missas;

d) amplificatio facultatum circa saecularizationem Religiosarum et a votis liberationem.

e) amplificatio facultatum in admittendis in Seminario Dioecesano, seminaristis egressis ab Ordinibus et Congregationibus Religiosis.

3. Recognitio Libri II, Pars II, tit. XIII, Cap. I, can. 592 et ss. Codicis Iuris Canonici « De obligationibus et privilegiis Religiosorum ».

a) Necessaria restrictio privilegii exemptionis ut, cum ipsa vita et actione ecclesiastica dioecesana, perfecta coordinatio obtineatur. Maior et efficacior sit subordinatio Religiosorum Auctoritati Episcopali prae-

sertim in muneribus dioecesanis gerendis, scilicet, in munere Parochi, Vicarii Cooperatoris, Rectoris Ecclesiae, Cappellani Collegii et Instituti, etc. Exemptiones et privilegia Religiosorum frequenter ita sese evolvunt ut ipsi Religiosi quasi corpus extraneum intra Dioecesim efficiant;

b) saepe saepius utilitas potius materialis videtur nimis movere sive Ordines sive Congregationes, quae etiam tantummodo curam accipiunt illarum Paroeciarum quae utiliores videantur et in ipsis regendis, frequenter potius bono Ordinis aut Congregationis quam bono populi Dei in Paroecia vel in Dioecesi consulunt;

c) speciali modo commendandum est ut Instituta Feminina magis congruenter sese habeant cum adiunctis nostri temporis, sive in Constitutionibus quae Religionem regunt, sive in veste vel habitu proprio Congregationis, ita ut maxima cum efficacitate et sine detrimento veri spiritus religiosi, omnes Religiosae vires suas impendant pro vita paroeciali et dioecesana.

4. *a*) administratio rerum Ecclesiae Universalis, quae fit per Sacras Congregationes, congruentius sese habere potest cum peculiaribus adiunctis nostri aevi. Exoptatur sensus maioris Catholicitatis in Officiis Congregationum necnon in Apostolicis Nuntiaturis. Enixe opera danda est ut ecclesiastici viri bene probati et indubie capaces, ab omnibus, etiam dissitis regionibus vel gentibus oriundi, illa munera exerceant ne praevalentia oriatur ecclesiasticorum fere unius gentis;

b) facilius adhibeatur, in Tribunalibus et Officiis Ecclesiasticis, lingua vernacula, cuiuscumque regionis;

c) Congruentiores cum adiunctis nostri temporis sint relationes quae a Sancta Sede exiguntur, praesertim Relatio Quinquiennalis.

5. Reformatio Breviarii cum simplificatione Nocturnorum et adaequata revisione lectionum.

6. Reformatio et simplificatio Libri Pontificalis Romani.

7. Amplior concessio usus linguae vernaculae in textu Sanctae Missae.

8. Concessio integralis usus linguae vernaculae in administratione Sacramentorum, excepto Ordine, cum peculiari simplificatione rubricarum in administratione Baptismi adultorum.

9. Concessio integralis usus linguae vernaculae in Rituali Romano.

10. Vicariis Cooperatoribus concedatur eadem facultas iam Parochis concessa in administratione Sacramenti Chrismatis, et secundum easdem circumstantias.

11. Vestis ecclesiastica Cleri Saecularis sit congrua necessitatibus nostri temporis et uniformis, extra liturgicas functiones.

Maximas, Eminentiae Tuae Reverendissimae, gratias agentes benignae animadversionis causa his litteris dedicatae, pro salute Tua instantes preces fundimus et specialem Benedictionem pro nostra Dioecesi exposcimus.

Eminentiae Tuae Rev.mae add.mi

✠ Antonius Reis
Episcopus S. Mariae

✠ Aloysius V. Sartori
Episcopus tit. Celerinensis
Coadiutor c. s. S. Mariae

61

Exc.mi P. D. IDILII I. SOARES
Episcopi Santosensis (Santos)

Santos, die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Responsum iucunde litteris vestris praebentes, has sententias considerationi Oecumenici Concilii subiicimus:

1. Ubi sit sacerdotum carentia, instituatur Diaconatus ordo cum potestate praedicandi, baptizandi et matrimonio assistendi, dummodo candidati, praeter bonos mores integro gymnasiali cursu, apologetico ac biblico praediti sint.

2. Apostatae sacerdotes qui fidem adhuc servant ad statum laicalem reduci possint absque caelibatum obligatione servandi.

3. Quae adversus societates viget ut dicunt Rotary Club et Lion Club suspicio tollatur.

4. Sanctissimo Sacramento tantum genuflexio fiat. In solemnitatibus liturgicis etiam pontificalibus sit dumtaxat inclinatio capitis.

5. Omnes benedictiones lingua vernacula fiant.

6. In omnibus ecclesiis paroecialibus instructionis cursus necessarie nubentibus adsit.

7. Catechesis esse prima atque praecipua obligatio parochorum debet.

8. Dilatentur missarum vespertinarum facultates.

9. Sacrae processiones tantummodo diebus festis patronorum Ecclesiae paroecialis vel publici oratorii permittantur.

10. Imaginum cultui limites statuantur.

11. Consecrationis altarium et ecclesiarum caerimoniae expediantur.

12. Sacerdotes praesertimque Episcopi sese abstineant a magno fastu tum in vita publica tum in privata.

Ea qua par est reverentia me profiteor

Eminentiae Vestrae add.mum
✠ Idilius I. Soares
Episcopus Santosensis

62

Exc.mi P. D. RUDERICI SERRA
Episcopi S. Caroli in Brasilia (São Carlos)

Em.me ac Rev.me Domine,

Cum Commissio Antepraeparatoria Concilii Oecumenici per epistulam die 21 martii vertentis anni datam (prot. n. 1 C/59-1230 bis) suggestiones expostulasset, has libenter praesento.

1. Hodierno scientiarum progressu necnon perpensis novis inventis quae ad evolutionem spectant, normas clariores tradere fidelibus de mente Ecclesiae circa doctrinam transformismi.

2. Sensum autenticum definire circa negotiationem vel mercaturam vetitam clericis, de qua can. 142 *C.I.C.* agit, praesertim cum eam exercent religiosi in propriam vel ipsorum congregationis utilitatem.

3. Cum pluribus in regionibus, dum crebro et graviter augetur pretium victus, pecuniae vilitas magis magisque in dies detrahatur, Episcopis Provinciae facultatem concedere conficiendi indicem emolumentorum et taxarum pro necessitatum vicissitudine mobilium, quinque annorum cursu et Sedis Apostolicae approbatione non requisitis, sola Episcoporum Provinciae auctoritate interposita.

4. Ut habitum talarem et tonsuram semper deferant et publicis spectaculis ne intersint clericos urgere.

5. Quoniam passim et ubique condere tentatur novas congregationes religiosas mulierum, quae diuturne ac ferme in perpetuum conditiones ad approbationem necessarias iuxta normas canonis 492 *C.I.C.* comparare frustra conantur, ideoque materialiter subsistunt quamvis formali et

iuridica existentia careant, praefinire experientiae spatium temporis, quo elapso, extinguantur ipso facto.

Reverenter salutans subscribo, Eminentiae Vestrae addictissimus in Domino

✠ Rudericus Serra
Episcopus S. Caroli in Brasilia

63

Rev.mi P. D. MAXIMI BIENNÉS
Administratoris Ap. S. Aloysii de Caceres
(São Luis de Cáceres)

São Luis de Cáceres, 28 septembre 1959

Eminence Révérendissime,

j'ai reçu en son temps la communication de Votre Eminence, ayant trait au futur Concile Œcuménique.

Profondément touché de la confiance qui m'a été ainsi manifestée, je n'ai qu'à souhaiter pour l'instant le succès de cette œuvre si importante, unissant mes humbles prières à celles de l'Eglise entière.

Filialement respectueux de votre Eminence,

Maxime Biennès
Adm. Apost. de S. Luis de Caceres

64

Exc.mi P. D. IOSEPHI de MEDEIROS DELGADO
Archiepiscopi S. Ludovici in Maragnano (São Luis do Maranhão)

E Civitate Sancti Ludovici, 20 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

1. Cum essem in Europa ob Visitationem ad Limina ab iulio usque ad octobrem, extemporaneum duxi sollicitationi Eminentiae Tuae N. 1 C/59-1232, die 18 iunii 1959 factae respondere, nam ad me non pervenit nisi octobri mense et responsio usque ad primam diem septembris requirebatur.

2. Rogo Eminentiam Tuam me nunc excusare cum litteras n. 1 C/59-1232 bis accepi, pergratam confitendo mihi esse opportunitatem ad Concilium Oecumenicum vota mea humiliter exponendi.

3. Iuxta indicationes Excellentissimi Praelati nullius Pinerensis, in hac Provincia, Domini Alfonsi Ungarelli ad catholicum Matrimonium ac civilem sic dictum contractum attinentes,[1] in circumstantiis a Codice Iuris Canonici, c. 1098, praevisis, bigamiae casus frequenter dantur. Matrimonium contrahunt tantum civile ut aliud matrimonium contrahere possint postea coram Ecclesia et vice-versa, maxime in locis semel vel bis in anno a sacerdote visitatis.

4. Perutile duco legislationem canonicam de Apostolatu laicorum a Concilio Oecumenico perfici, primo quia alii Actionem Catholicam non promovent, excessivo Religiosarum Associationum amore ducti, alii vero Religiosas Associationes derelinquunt non minore Actionis Catholicae amore incensi; postea quia subiecta socialia ac technica saepe cum apostolatu supernaturali confunduntur, gravissime exercitio laicalis missionis in re temporali nocendo. Necessitates huius temporis considerando, conveniens mihi videtur normas clariores a Concilio Oecumenico exponi ut fideles tuto et audacter consecrationem mundi quaerere possint.

5. Cum in omnibus populis inveniantur plurimi sacerdotes excommunicati propter matrimonii civilis attemptationem a Sancta Matre Ecclesia quae semper et ubique fortiter et suaviter, iusta, sapiens et misericordiosa exhibetur, favorem quaerentes, mihi videtur prudens solutionem benigniorem eis offerre, maxime si consideramus eos fidem servare et conscios esse quod Ecclesia solutiones faciliores non contrahentibus civile matrimonium offerat.

a) in re liturgica: ut Ante-Missa legi possit vernaculo sermone;

b) in re pastorali: ut instituantur Diaconi ad servitium populi christiani; ut reviviscantur ordines Lectorum, Acolithorum, Cantorum intuitu participationis activae fidelium in oratione publica et officio divino ad populi christiani orationem adaptato;

c) in re catechetica: ut perficiantur normae canonicae ad institutionem novi catechumenatus et simul « liturgia » conveniens edatur.

Rogando Deum ut Eminentiae Tuae et Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico assistat

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

✠ IOSEPH DE MEDEIROS DELGADO
Archiepiscopus S. Ludovici in Maragnano

---

[1] Cf. pp. 292-298.

65

EXC.MI P. D. IOSEPHI DALVIT

Episcopi Sancti Matthaei (São Matéus)

São Matéus, 10 aprilis 1960

Em.me ac Rev.me Domine,

Cum tempore opportuno respondere non potuerim circa argumenta proposita ab Em.mo ac Rev.mo Cardinali Tardini, eo quod mense septembri tantum dioecesi potitus sim et epistolam Pontificiae Commissionis pro Concilio mense octobri receperim ac legerim, libenter respondeo hodie novae ipsius Commissionis petitioni, sciens me hoc modo rem pergratam facturum esse Summo Pontifici et, pro mea parvitate, Ecclesiae Matri communi forsitan utilem.

Sequuntur hic meae animadversiones, quae non sunt meae tantum, sed etiam Sacerdotum qui mecum laborant, quaeque magis reflectunt peculiarem Ecclesiae conditionem in Brasilia.

1. Propono ut dies festi de praecepto, qui diem certum obtinuerunt et occurrere possunt quavis hebdomadae die et ab Auctoritate civili qua tales non cognoscuntur, semper transferantur in diem dominicam sequentem.

Nisi ita fiat, populus christianus brevi tempore perdet sensum peculiarem cuiuscumque diei festi, qui per hebdomadam celebratur.

2. Desiderium commune est ut explicetur can. 1908 Codicis Iuris Canonici, et criterium condatur quo indicetur quae praesentia sacerdotis necessaria sit ad matrimonium validum in facie Ecclesiae considerandum; si scilicet sacerdos ut praesens habendus sit dummodo sit inter fines Paroeciae, aut si requiratur praesentia physica in loco ubi matrimonium peragitur. Notandum nostras Paroecias valde extensas esse, ita ut ad ultra centena millia passuum pateant (100 km.).

3. Desiderium valde commune sacerdotibus est ut tempus ieiunii pro Missa celebranda reducatur ad unam vel saltem duas horas. Nisi ita fiat fere numquam sacerdos qui binat vel trinat, aliquem cibum sumere potest.

4. Desiderium nostrum commune est ut in Solemni Vigilia Paschali, « Pater noster » a populo recitandus post renovationem promissarum baptismalium, vernacula lingua recitetur; alioquin fere nulli recitabunt et recitantes non intelligent. Eodem modo desideramus ut « Pater noster » qui a populo, in Missae celebratione recitari solet, lingua vernacula et non latina, quae a nemine intelligitur, recitari possit.

Et generali quonam modo opinamur bonam normam esse quae linguae vernaculae facile indulget, ad maiorem et meliorem intelligentiam caeremoniarum Sacrae Liturgiae.

En vota et animadversiones quae huic Pontificiae Commissioni communicare bonum mihi fuit. Profiteor inter gravissima argumenta quae alii Patres allaturi et tractaturi sunt, haec parvi momenti esse; rogo tamen ut veniam mihi detis, scientes me minimum inter Antistites et meam Dioecesim minimam inter omnes esse.

Vestras orationes exposco, firmiter sperans me, iis innixum, fortiter pro Ecclesia et Pontifi-e adlaboraturum.

In Domino addictissimus

✠ IOSEPH DALVIT
Episcopus Sancti Matthaei

66

EM.MI P. D. CAROLI C. CARD. DE VASCONCELLOS MOTTA
Archiepiscopi S. Pauli in Brasilia (São Paulo)

Una cum eo responsum dederunt:

EXC.MUS P. D. ANTONIUS M. ALVES DE SIQUEIRA, *Archiepiscopus tit. Chalcidensis in Syria, Coadiutor S. Pauli in Brasilia.*

EXC.MUS P. D. PAULUS ROLIM LOUREIRO, *Episcopus tit. Brianus, Auxiliaris S. Pauli in Brasilia.*

EXC.MUS P. D. ANTONIUS FERREIRA DE MACEDO, *Episcopus tit. Attudensis, Auxiliaris S. Pauli in Brasilia.*

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS MARCHETTI ZIONI, *Episcopus tit. Lauzadenus, Auxiliaris S. Pauli in Brasilia.*

Sancti Pauli, in Brasilia, die 22 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Praesentibus litteris honorificum nobis est Eminentiae Tuae permagnam significare laetitiam quae in animo omnium nostri notitia de instituta Commissione Antepraeparatoria pro futuro Concilio Oecumenico pervasit.

Cum iubilo et spe, nuntium de convocando Concilio universus accepit orbis.

Nosque omnes, sive ex Clero, sive ex Populo, de hoc universali participamus gaudio, et nullo modo simulare possumus plenam ac stabilem fidem, quoad fructus talis certaminis, eo quod omnis antepraeparatoria praxis tuo zelo et tuae competentiae commissa est.

Igitur, orationibus, nostram iucundam cooperationem adnectimus.

Conciliis initis, ergo, cum ecclesiasticis viris huic Archidioecesi Sancti Pauli adscriptis, et verbo facto cum quattuor Episcopis auxiliaribus, summulam responsionum in unum collegimus, immutato iure omnium Episcoporum ad directam et personalem cum Apostolica Sede communicationem.

Sententias, Consilia et Vota, per 7 capita distribuimus.

I. Quoad unitatem Ecclesiae

1. Fervide et ex corde desideratur ut unio Ecclesiae ad felicissimam deveniat realitatem.

2. Statuatur norma concreta quoad obligationes fidelium, relate ad Revelationes particulares, Devotiones — extra et non liturgicas — et ad alia huiusmodi.

Ratio: Ut magis ac magis removeantur prohibentia quae praelaudatae unioni obstant.

II. Quoad pacem universalem

3. Bonum est ut disciplina ecclesiastica mitior reddatur, sive relate ad actus religiosos aliarum Religionum, sive quoad relationes publicas Ecclesiam inter et Potestatem Civilem exsistentes.

Ratio: Ut supra, n. 2.

4. Definiatur, concretis verbis, positio Christifidelium quoad sententias et normas ab UNESCO propositas, circa publicam instructionem et educationem puerorum.

III. Quoad Ius Canonicum

5. Unum tantum sit dies praecepti in Ecclesia Catholica, scil., Dies Dominica.

6. Abrogetur in Codice Iuris Canonici omnis legislatio circa Sponsalia.

Ratio: Haec dispositio iuridica fere nullibi observatur.

7. Bonum est ut Missa et S. Communio celebrentur quocumque die et hora, exceptis diebus Maioris Hebdomadae.

Ratio: Ob penuriam sacerdotum et rationes pastorales.

8. Sit lex ieiunii eucharistici omnino eadem pro sacerdotibus et fidelibus.

Ratio: Ob rationes pastorales et practicas.

9. Definiatur positio iuridica Ordinariorum Castrensium et Orientalium, praecipue relate ad Ordinarios locorum.

Ratio: Ad bonum fidelium et ad vitandas difficultates iurisdictionales.

10. Itemque, relate ad Conferentias Episcopales, sive internationales, sive nationales.

11. Itemque, relate ad Conferentias nationales et internationales Religiosorum, maxime in suis relationibus cum Episcopis dioecesanis.

12. Simpliciores reddantur relationes inter Latinos et Orientales in Ecclesia, et amplior sit, pro fidelibus, facultas optandi quoad proprium Ritum, praesertim in re matrimoniali.

Ratio: Ad vitanda perplura mala et incomprehensiones.

13. Concedantur Episcopis dioecesanis, ampliores facultates quoad interpretationem et applicationem Legum Ecclesiasticarum sive Codicis Iuris Canonici, sive aliarum.

14. Grato animo et corde erga Sanctam Sedem, nunc magis ac magis utimur auxilio laicorum in apostolatu.

15. Ut crescat in dies Evangelizatio Regni Dei, reintroducentur, in Ecclesia, ministeria Diaconalia laicorum, sine onere celibatus.

Ratio: Ut actio diaconorum contraponatur actioni et apostolatui protestantium, spiritistarum, etc.

V. Quoad Ius Liturgicum

16. Promulgetur, quam primum, Codex Iuris Liturgici.

17. Desideratur, ex toto corde:

a) revisio textuum orationum liturgicarum, omniumque librorum;

b) revisio omnium pericopum Evangeliorum Dominicarum, magis ac magis accommodata nostris temporibus;

c) revisio generalis omnium librorum liturgicorum.

18. Abbreviatio formularum, rituum et caeremoniarum liturgicorum, v. gr. Ritus consecrationis Ecclesiae, vel Benedictionis camparum, etc.

19. Reductio, saltem ad unum nocturnum, obligationis recitandi Breviarium, praesertim in diebus festivis, ad mentem propositionum Em.mi Card. Lercaro, in conventu liturgico assisiensi.

20. Revisio et reductio vestium liturgicarum in Missa et in Administratione Sacramentorum, maxime quoad vestes episcopales.

VI. Quoad disciplina cleri

21. Definiantur relationes inter coetus religiosorum et S. Hierarchiam, maxime quoad:

a) Apostolatum;

b) Instructionem christianam;

c) Vitam pastoralem;

d) Opus Vocationum sacerdotalium, praecipue in Paroeciis religiosis commissis.

22. Concedatur Episcopis dioecesanis facultas permittendi sacerdotibus in territorio dioecesis commorantibus, sive talarem vestem hucusque in usum, sive habitum civilem, vulgo « Clergy-man », omni alio aliquo reiecto.

23. Revisio omnium quaestionum quae proponuntur occasione Visitationis ad S. Limina.

Ratio: Ut maxima habeatur concordantia cum necessitatibus hodiernis.

VII. Quoad disciplinam fidelium

24. Statuatur, concretis verbis, quaenam sit obligatio fidelium, relate ad Quintum Ecclesiae praeceptum, quoad congruam Cleri sustentationem, et quoad cultum divinum.

25. Pressius urgeantur, et iura et obligationes Parentum, maxime quoad:

a) Sacram Matrimonii christiani naturam;

b) Institutionem religiosam puerorum;

c) Educationem christianam, in genere.

26. Exarentur normae practicae circa relationes inter Auctoritatem Ecclesiasticam, maxime dioecesanam, et Civilem potestatem.

27. Bonum est ut Communitatum religiosarum, praesertim foeminarum, augeatur spiritus caritatis, praesertim occasione morbi diuturni vel incurabilis; insuper, desideratur maior simplicitas in disciplina canonica relate ad Confessores.

Ratio: Ut magis et melius consulatur bono et libertati conscientiae.

28. Maior sit iurisdictio Ordinariorum localium, quoad clausuram papalem.

Ratio: Ut supra, n. 27.

Haec omnia Tibi remittentes, bona et fausta omnia a Domino adprecamur, atque Eminentiae Tuae nos addictissimos profitemur.

Omnes sequuntur subscriptiones

67

EM.MI P. D. AUGUSTI A. CARD. DA SILVA

Archiepiscopi S. Salvatoris in Brasilia

(São Salvador da Bahía)

Bahiae, die 13 maii 1960

Eminentissime Domine,

Mea culpa convictus, quod nimis tarde rescribam ad litteras Eminentiae Tuae meam rogantes sententiam de proximo Concilio Oecumenico, mihilominus, si per Te licitum fuerit, conclusiones ad quas perveni, collato consilio cum sacerdotibus scientiae ecclesiasticae peritis, nunc mittere velim.

En puncta quae mihi tractanda videntur:

1. De conditione infantium qui sine baptismate moriuntur.

2. Examen et condemnatio doctrinae reincarnationistae.

3. De apostolatu laicorum: principia dogmatica — legislatio canonica — aspectus pastorales.

4. Institutio residentiae communis pro vicariis Vicariatus Foranei, quoties adiutoribus careant.

5. Constitutio laicorum qui ex officio, prudenti Ordinarii consilio, certos actus paroeciales celebrare possint: baptizare, communionem ministrare, actibus pietatis praeesse, etc.

6. Reordinatio Actionis Catholicae ad mentem Pii XI.

7. Confirmatio caelibatus Ecclesiastici.

8. Praescriptio et uniformitas habitus Clericorum, necnon vestium quae in S. Sacrificio adhibentur.

9. Ad privilegium exemptionis quod attinet: maior instituatur Religiosorum sacerdotum dependentia ab Ordinario Dioecesano.

10. Sacerdotum apostatarum vere poenitentium gravem et acerbam conditionem benigne minorare.

11. Rituale recognoscere, quibusdam suppressis verbis ac caeremoniis hodie non adeo consentaneis.

12. Ad exitum adducatur Pii XII opus de Rubricis, maxime Breviarii, ad simpliciorem et expeditiorem formam redigendis.

13. Circa ea quae in Codice Iuris Canonici perficienda videntur:

a) decisiones et definitiones extra textum versantes, et experientia probatae in Codicis corpore inserantur;

b) erroris qualitatis (can. 1083, § 2), quatenus invalidum reddit Matrimonium, extendatur conceptus.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus et dev.mus servus

✠ AUGUSTUS A. CARD. DA SILVA
Archiepiscopus S. Salvatoris in Brasilia

68

EM.MI P. D. IACOBI CARD. DE BARROS CÂMARA
Archiepiscopi S. Sebastiani Fluminis Ianuarii
(São Sebastião do Rio de Janeiro)

Flumine Ianuario, die 26 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Tuis sub numero 1 C/59-21 diei 18 iunii currentis anni Litteris obtemperans, pergratum mihi est nunc has praesentare suggestiones:

Praeter iuris praescripta quae ob leges apostolicas posterius latas, iam obsoleverunt ac propterea ad recentiores normas accommodanda sunt, v. gr. cann. 160; 216, § 4; 231, § 1; 239, § 1 n. 4° et 24°; 241; 274, n. 2°; 294, § 2; 349, § 2 n. 2°; 806, § 2; 808; 821, § 1; 858, §§ 1 et 2; 867, § 2; 914; 1006, § 4; 1247, § 1; 1252, §§ 2 et 3; 1532, § 1, n. 2° et §§ 2 et 3; 1541, § 2, nn. 1° 2° et 3°.

Quae sequuntur proponuntur a Concilio expendenda:

Quoad Liturgiam:

1. Ut voce paululum elevata a celebrante dicatur totum « Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem Omnipotentem » et non tantum verba « Orate fratres ».

Ratio est quod Ordo Missae simpliciter praescribit: « Postea osculatur altare et... voce paululum elevata dicit: Orate fratres, ut meum ac vestrum ... apud Deum Patrem Omnipotentem ». Insuper finis seu ratio invitationis sacerdotis ad populum ut oret eidem populo rationabiliter innotescere debet eique convenienter indicanda a celebrante: « Ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat ... ».

2. Ut in omnibus Missis Communio et Postcommunio referantur semper ad Sacram Communionem, non vero tantum ad Sanctum vel

mysterium de quo festum agitur, sicut nunc in pluribus per annum Missis evenit.

3. Maior fidelium ad Sacram Synaxim frequentia gratiarum actionem valde imminuit ac reduxit; optandum ut dentur leges ad eam urgendam.

4. Ut probati auctores maiorem convenientiam servent in libris de liturgia pertractantibus. Immoderatum novitatis desiderium in quibusdam coetibus nova inducit inscio Ordinario.

5. Ut sedulo perpendantur ac corrigantur nonnullae lectiones secundi Nocturni, itemque nonullae Orationes quae actu perfici non valent, v. gr. in festo S. Alexii « ut... etiam actiones imitemur ».

6. Ut in omnibus antiphonis ac responsoriis dimidiandis vel alternandis sensui magis consulatur, v. gr. Ant. « Maria dixit »: nec sequitur quid dixerit vel in Resp. dicens: et sequitur Gloria Patri.

7. Ut varietati Epistolarum et Evangeliorum in Missis dominicalibus magis consulatur, ita ut fere omnis Novi Testamenti Scriptura meditationi fidelium ab Ecclesia proponatur a praeconibus rite explicanda in sacris allocutionibus. Ita optavit Conventus Liturgicus apud Lugano habitus.

8. Nonnullis Sacerdotibus videtur optandum ut Festum Resurrectionis Domini fixetur in Dominica secunda mensis aprilis cuiusque anni; rationem afferunt: ne mysteria Redemptionis celebranda sit ante Annuntiationem, quae est mysterium Incarnationis, prout nunc in quibusdam annis evenit.

9. Ut a Breviarii recitatione animarum pastores eorumque adiutores dispensentur diebus dominicis ac de praecepto, quoties in Sacro Ministerio amplius quam per sex horas adlaborent, vel Breviarium saltem minuatur.

Item sequentes canones modificandi proponuntur prout sequitur, si ita videbitur:

can. 102, § 2 - Dantur frequenter casus bonum Ecclesiae adversantes; numerus exigatur saltem trium vel quinque membrorum;

can. 132, § 1; 136, § 1 ac 213, § 2 - Lex caelibatus omnino servetur in Ecclesia latina ad normam iuris; Concilium hanc obligationem confirmet; et obligatio clericalis seu ecclesiastici habitus clericorum suam vim retineat ac strictius firmetur tamquam clericorum munimen ad legem caelibatus facilius servandam;

can. 139, § 4 - addatur: « tum Ordinarii loci in quo munus exerceri debet »;

can. 279 - supprimatur praeceptum quoad omnia pallia;

can. 422 - iubilatio concedatur post 30 annos laudabilis servitii;

can. 470, § 3 - sufficiat exemplar ad Curiam Episcopalem transmittere cum liber unusquisque absolvitur, non vero in fine cuiusque anni;

can. 685 - addatur: « vel bonum animarum diligenter curare »;

can. 687 - ad mala vitanda, nequeant personam iuridicam coram lege civili acquirere sine Ordinarii loci beneplacito.

can. 701, § 1 - addere: « Associationes Actionis Catholicae et Congregationes Marianae ac Legio Mariae;

can. 731, § 2 - « etiam bona fide errantibus atque petentibus » corrigatur sic: « excipiuntur tamen bona fide errantes atque petentes ». Ratio est imprimis ignorantia sui cuiusque proprii ritus necnon an sint ab Ecclesia Catholica seiuncti necne; denique penuria Sacerdotum proprii ritus. Haec bene novi in munere Ordinarii inter Orientales exercendo;

can. 753, § 1 - Plurimi Sacerdotes peroptant ut lex ieiunii eucharistici fideles respiciens extendatur quoque ad Sacerdotes, seu ut spatium trium horarum vel unius horae incipiat non a Missae initio sed a celebrantis communione;

can. 755 - Ritus Baptismi abbrevietur cum administrandum sit plusquam quinque infantibus coniunctim;

can. 782 - Ritus Confirmationis abbrevietur pro moribundis, praesertim in nosocomiis;

can. 833 - addatur: salvis tamen legum liturgicarum praescriptionibus;

can. 859, § 2 - Ordinarius loci potest hoc tempus prorogare, iusta de causa, si nempe ob peculiaria territorii vel fidelium adiuncta ratio pastoralis in bonum animarum id postulet;

can. 867, § 4 - S. Communio in Prima Sexta Feria horis vespertinis etiam extra Missam, distribui valeat;

can. 883, § 1 - Attendatur quoque ad itinera aërea facientes;

can. 906 - Idem tempus determinetur ut in can. 859, § 2;

can. 937 - Nomen huius Sacramenti convenienter mutetur in Sacram Infirmorum Unctionem, ne vox « Extrema » impedimentum sit ac animarum causa ruinae spiritualis, sive ob metum naturalem, sive ob eiusdem procrastinationem ad « extrema » vitae momenta;

can. 923 - Ut Indulgentia Portiunculae extendatur ad omnes paroeciales vel conventuales ecclesias et ad omnia Oratoria ubi asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum;

can. 947 - Item ritus Benedictionis Apostolicae pro moribundis, praesertim in nosocomiis abbrevientur;

can. 956 - addatur: nisi Episcopus clericalem educationem suis sumptibus vel suae Dioeceseos candidato dederit;

can. 1042, § 3 - optandum ut hic numerentur omnia maiora impedimenta;

can. 1166 - supprimatur ieiunium hic praeceptum;

can. 1199 - Rationes pastorales consulunt ne consecratio fiat diebus dominicis aliisque de praecepto;

can. 1240, § 2 - occurrente dubio cadaveri ecclesiastica sepultura deneganda non est;

can. 1245, § 1 - etiam confessarii, in confessionario;

can. 1247, § 1 - Conferentia Nationalis Episcopalis potest festa sub praecepto abolere vel transferre in proximam dominicam celebranda;

can. 1249 - etiam in Oratoriis privatis quibuscumque;

can. 1258 - supprimatur « ob gravem rationem ab Episcopo in casu dubii probandam » et substituatur « rationabili de causa »;

can. 1265, § 2 - Ordinarius hanc licentiam concedere potest omnibus ecclesiis, aut publicis oratoriis ex iusta causa » expurgantur verba: « per modum actus »;

can. 1274, § 1 - Expurgantur verba « iusta et gravi causa ». Verba huius canonis adaptentur realitati fere in universa Ecclesia exstanti: diebus enim dominicis et de praecepto, in triduis ac novendialibus, mensibus maii, iunii et octobris expositio publica communiter fit.

Attamen, reprobrata quavis contraria consuetudine et revocato quolibet indulto seu privilegio, in quibusvis Ecclesiis seu Oratoriis, praesertim Religiosarum, expositio publica, quotidiana vel non, stricte vetatur nisi saltem octo vel decem fideles continenter adorantes adstent Sanctissimo Sacramento exposito;

can. 1296, § 3 - Optandum ut declaratio detur circa usum « nylon »;

can. 1329-1331 - Ad usum fidelium omnium praeceptive adhibendus a Concilio conficiatur liber praecipuorum dogmatum, praeceptorum moralium generalium et particularium, cum sectione precum matutinarum et noctis, ad Missam audiendam, inclusive dialogatam, ad Sacramenta Baptismi, Eucharistiae, Confessionis et Matrimonii, necnon devotionum magis communium, in tota Ecclesia, lingua tamen cuiusque populi propria praeceptive adhibendus a fidelibus, ac ab animarum pastoribus in allocutionibus dominicalibus populo explicandus. Esto ut liber fidei, moralis, et precum;

can. 1332 - vel hoc faciat alio tempore opportuniore v. gr. mense maio, singulis diebus;

can. 1325, § 2 - ut Concilium definiat spiritismi malitiam;

can. 1344, § 1 - « consueta homilia aut catechetica instructione »;

can. 1365, § 3 - addatur: Actionis Catholicae ac Socialis;

can. 1406, § 1, nn. 5° et 6° - sufficiat coram loci Ordinario eiusve delegato, non vero « et coram Capitulo vel coram consultoribus » ne idem actus repetatur;

can. 2314, § 1 et § 2 - plectantur pertinaciter docentes vel defendentes publice doctrinas haereticales seu schismaticas, at excommunicatione non speciali modo Apostolicae Sedis sed tantum Ordinario loci;

can. 2318 - Excommunicatio reservetur tantum Ordinario loci.

Sacram Purpuram deosculans Eminentiae Tuae Rev.mae addictissimus in Domino

✠ Iacobus Card. de Barros Câmara
Archiepiscopus S. Sebastiani
Fluminis Ianuarii

69

Exc.mi P. D. IOSEPHI C. DE AGUIRRE
Episcopi Sorocabani (Sorocaba)

Episcopus Sorocabanus in Brasilia peroptat ut in Concilio Oecumenico definiatur de fide *Universalis Beatae Mariae Virginis mediatio.*

✠ Iosephus C. de Aguirre
Episcopus Sorocabanus

70

Exc.mi P. D. FRANCISCI B. DO AMARAL
Episcopi Taubatensis (Taubaté)

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Haec sunt consilia, vota et animadversiones quae proponuntur:

1. *Unicus* doctrinae christianae *textus* pro Ecclesia Latina ad doctrinam christianam pueros et adultos docendos, *unicus* scl. *catechismus,* speciali Sedis Apostolicae mandato conficiendus ac imponendus, *latine*

quidem originaliter compositus, de cuius tamen *singulis versionibus* ipsa *Sedes Apostolica* curare dignabitur. Maxime enim ad unitatem fidei unitas in docendo conferre videtur.

2. *Librorum prohibitorum Index* denuo edatur, *emendatus et auctus,* cuius supplementum opportune singulis saltem *quinquennis* ederetur.

3. *Speciali ac formali* Sedis Apostolicae *mandato* singulis paroeciis praecipiatur ut *propriam* habeant *scholam paroecialem,* gradus saltem *primarii,* quae, maxime apud nos, praecipuas partes in catholica fide propaganda ac tuenda haberet.

4. Nostrorum *collegiorum* quae « *internata* » dicuntur, regimen accurato examini subiciatur, ne rigidiori disciplinae indulgentia, alumnorum animos a vita reali quotidiana dissocient potius quam adiuvent.

5. In votis est ut *Vaticana Radiophonica Statio* idem *toto orbi* catholico praestare valeat quod praestare videtur anglica BBC vel « *Voice of America* » mundo laico. Esset enim sic vere *nostra!*

6. Bonum populi, in nostris praesertim regionibus, urget ut *diebus dominicis ac festis de praecepto,* sacerdotibus omnibus plus quam tres Missas celebrare liceat. Pauciores enim hi sunt et templa angustiora ad populi copiam augescentem contineant.

7. Iisdem etiam permittatur ut in bonum etiam populi vel saltem partis eiusdem notabilis, binas Missas *quotidie* celebrare liceat, indulto generali.

8. Item *indulto generali* fas sit sacerdotibus Breviarii recitationem *omittere* illis diebus quibus *per tres saltem horas* ininterrupte sacramentales confessiones audierunt.

9. *Solemni definitione* declaretur *Beatissimam Virginem Maria esse Omnium Gratiarum Mediatricem.*

Haec cum omni humilitate et plena erga Apostolicam Sedem submissione!

✠ FRANCISCUS B. DO AMARAL
Episcopus Taubatensis

71

EXC.MI P. D. AVELARIS BRANDÃO VILELA
Archiepiscopi Teresiani (Teresina)

Teresinae, die 30 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Imprimis mihi veniam benigne concedere velis quod sero tibi circa suggestiones postulatas a Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico responsum mittam (1 C/59-650 bis).

Quae mihi videntur proponenda magna cum humilitate propono. Haec sunt:

1. In Ecclesia instituantur diaconi qui in administratione baptismatis, sacrae communionis necnon in praedicatione verbi Dei adiuvent sacerdotes.

2. Reducatur ad solum nocturnum matutinum Breviarii Romani.

3. Admittatur usus vernaculi in Missa catechumenorum necnon in administratione omnium sacramentorum et, propter penuriam sacerdotum, ut personae idoneae sive viri sive mulieres legant lingua vernacula textum Missae propriae dictae, servatis servandis.

4. Tollatur usus salivae in administratione baptismi, servata formula ritualis.

5. Statuantur pro religiosis normae rigidiores quoad relationes cum aliis religiosis et cum Dioecesi.

6. Examini profundiori subiciatur activitas laicorum in Ecclesia ut eorum apostolatus maius incrementum accipiat in propagatione fidei.

7. In novum examen trahantur statuta Congregationum sive virorum sive mulierum. Eorum habitus ad nostra etiam tempora adaptentur.

8. Maius momentum tribuatur activitatibus Institutorum saecularium.

9. Stabiliantur normae pro evangelizatione in Ecclesia iuxta experimenta novissime habita; quae efficaciores videantur ad salutem universalem proponantur.

10. Definiatur maiore cum claritate positio Ecclesiae relate ad religiones christianas et non christianas, iuxta exigentias hodiernas.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam prosequor meque profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum
✠ AVELARIS BRANDÃO VILELA
Archiepiscopus Teresianus

72

EXC.MI P. D. ANSELMI PIETRULLA

Episcopi Tubaraoënsis (Tubarão)

Tubarão, die 11 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Grato animo litteras Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico opportuno tempore recepi ac sollicitationi Eminentiae Vestrae libenter obsecundans, maxima cum reverentia suggerere quae sequuntur audeo:

Ut christifideles *actus liturgicos* facilius comprehendere ac viva participatione sequi possint, eorumdem simplificatio seu temporibus nostris desiderata accommodatio, maximae utilitatis mihi videtur, conservata tamen actuali forma pro Domibus Religiosis necnon Sollemnitatibus tum in ecclesiis cathedralibus cum paroecialibus exsequendis;

2. Ut bono fidelium sufficienti numero sacerdotum frequenter privatorum melius consulatur, perpendendum num *Ordo Diaconatus* primum in *Terris Missionum* tantum introducendus sit deinde, post longum experimentum, attentis necessitatibus localibus seu opportunitati cedendo, fortasse ad Ecclesiam universalem extendendus.

3. Ubi penuria cleri premit, facultate *Sororibus* concessa ut S. Synaxim eo modo recipiant ut unaquaque *S. Hostiam* e ciborio a Superiorissa in altare posito ac aperto *sibiipsi* sumat, haud paucae difficultates in animarum cura solverentur.

Dum haec cum Eminentia Vestra communico, omni qua par est obsequio, me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
addictissimum in Domino
✠ ANSELMUS PIETRULLA
Episcopus Tubaraoënsis

73

EXC.MI P. D. FRANCISCI PRADA CARRERA

Episcopi Uruassuensis (Uruaçu)

1. Quum in America Latina, visitatione rurali durante, saepissime, eadem die et hora 20, 50 infantes et amplius, baptismi receptionem expostulent, cum mora et ministri defatigatione quam fas est suppo-

nere, plusquam necessaria evadit facultas, eorum nomina omittendi et omnes orationes et alia praeter ipsam baptismi formam, in plurari faciendi.

2. Forsan nominum inscriptio in confirmationis administratione omitti possit et quando necessaria per parentum vel patrinorum attestationem suppleri, quum paucissimi sint qui tali attestatione indigent. Magnus labor fere inutilis.

3. Quum multae fiant uniones illicitae, id est, solo sic dicto actu civili, ex eo quod nubentes in locis dissitis commorantes difficiliter sacerdotem possint adire, aliter ac officialem civilem, magnopere expediret ut ad tantum malum vitandum aliquis vir bona fama praeditus, hinc, aliunde, ab Ordinario loci fuisset designatus, ita tamen ut ad illum praesentari possint tales nubentes ad recte adimplendum, quod circa matrimonium « coram solis testibus » contrahendum, can. 1098 statuit.

4. Iam ab aliquibus ephemeridibus fuit memorata instauratio Diaconatus, ita tamen ut Diaconus, a castitatis voto solutus, tamquam auxiliaris Parochi in dissitis locis commorare possit: eius munus erit verbum Dei fidelibus praedicare, baptismum ministrare, matrimonio assistere et cultui Dei praesidere. Sic magna ex parte, mala ex sacerdotum defectu, vitari possint.

5. Ad animarum salutem melius promovendam, forsan non solum Praelaturae nullius sed etiam Dioeceses in aliquibus regionibus, Ordini et Congregationi religiosae, modo habituali et permanenti, commendari possint. Tales regiones plures operarios haberent.

6. Ad unum tantum Nocturnum, cum Laudibus, Divini Officii recitationis limitatio, diebus dominicis et festis, his qui curam animarum, habent, rationabilis res esset atque humana.

7. Nemo hoc nescit quot religiosos clericos, in itinere vitae religiosae fatigatos, saecularizationem impetrare et quidem non raro statim post unctionem sacerdotalem, ad magnos sumptus a religiosis familiis pro illis impensos non attendentes.

Optandum foret ut saecularizationis decretum non conficeretur, nisi post pactum cum Episcopo benevolo initum, singulis mensibus vel annis, certam pecuniae summulam familiae religiosae elargiendi, ad illos sumptus compensandos.

8. Ad religiosorum defectiones cohibendas, maxime expediret ut tales egressi tantum modo munera secundaria in animarum cura exercere possint et nunquam principaliora, id est parochi, etc.

✠ FRANCISCUS PRADA CARRERA
Episcopus Uruassuensis

74

Exc.mi P. D. ALOYSII P. DE NADAL
Episcopi Uruguaianensis (Uruguaiana)

Uruguaiana, 12 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Eminentiae Tuae pergratum mihi est responsum mittere quoad litteram, in qua mihi comunicatum est de Concilio Oecumenico peragendo: N. 1 C/59-1419.

Magno cum gaudio Concilium expecto.

Preces effundam cum dioecesanis meis praesertim clericis ac religiosis, ut, res bene a Commissione Antepraeparatoria, cum inspiratione Sancti Spiritus, per intercessionem Beatae Mariae Virginis, vulgo *Conquistadora,* et Michaëlis Archangeli aeque Patroni Dioecesis Nostrae fiant.

Si aliquid ultra facere valeam pro Concilio Oecumenico peragendo, non recuso laborem.

Oboediens in laetitia

✠ Aloysius F. de Nadal
Episcopus Uruguaianensis

75

Exc.mi P. D. AUGUSTI PETRÓ
Episcopi Vaccariensis (Vacaria)

Vacaria, 5 aprile 1960

Eccellenza Reverendissima,

Ringrazio di avermi mandato la lettera Prot. N. 1 C/59-1421.

In questa lettera si domandano suggerimenti e consigli per le questioni da trattarsi nel Concilio Ecumenico.

Con permesso della dotta Commissione suggerisco che:

I. Quanto alla Santa Messa:

a) L'Epistola e il Vangelo, nei giorni festivi siano letti dal pulpito.

b) L'Offertorio sia letto in volgare ad alta voce col popolo.

c) La formula della S. Comunione potrebbe essere: « Corpus Christi, amen ».

II. Quanto al Breviario:

a) Mattutino: unico notturno con tre lezioni. Motivo: nei giorni festivi il servizio del Sacerdote è più pesante.

b) Alle ore minori: Un salmo solo per ogni ora.

III. Quanto ai Sacramenti:

1. Battesimo:

a) Fare le domande in plurale a tutti insieme.

b) Abolire totalmente il sale e la saliva.

2. Eucarestia:

a) Permettere d'impiegare la luce elettrica invece dell'olio nella lampada del Santissimo.

b) Permettere fino a 10' gradi di alcool nella fabbricazione del vino per la S. Messa. Il vino con meno di 10' gradi di alcool facilmente si corrompe.

3. Permettere l'uso del volgare nell'amministrazione dell'Estrema Unzione e della Cresima.

IV. Altre facoltà:

Concedere a tutti i Sacerdoti le facoltà del « Rituale Romanum », riservate ai Vescovi. Motivo: Impossibilità o grande difficoltà molte volte per ricorrere, sia per le distanze sia per il ritardo della posta.

V. Vendite:

La continua modificazione del valore monetario alterò completamente il « quantum » permesso nelle vendite dei beni ecclesiastici senza licenza della Santa Sede. Non abbiamo più una base certa e fissa.

Accompagniamo con le orazioni ed offriamo il nostro Apostolato per l'esito totale di questo intendimento: « ut sit unum ovile et unus Pastor ».

Pregate per noi e per questa Diocesi, ne promettiamo ricambio.

Con ossequio godiamo professarci

dev.mo e aff.mo nel Signore
di V. E. Rev.ma

✠ AUGUSTO PETRÓ
Vescovo di Vacaria

76

EXC.MI P. D. IOANNIS B. DA MOTA E ALBUQUERQUE
Archiepiscopi Victoriensis Spiritus Sancti (Vitória)

Vitoriae, die 20 maii 1960

Eminentissime Princeps,

Maximis distentus laboribus mihi difficile fuit et opportune tuas accipere litteras, et responsionem parare. Falso legi, unde usque ad hunc diem responsum distuli. Quamvis tempus utile iam transactum sit, quae, profusis precibus, tibi suggerenda censeo his litteris mittam, in signum reverentiae et amoris erga Romanum Pontificem.

1. Explanatio doctrinae prosequatur de constitutione Ecclesiae. Quod in Vaticano I factum est de Romano Pontifice, nunc perficiendum est, in Vaticano II, de episcopis, de sacerdotibus, religiosis et laicis.

2. Praecepta iustitiae socialis promulgentur ut populus christianus sciat ad quae sub gravi tenetur. Optimum momentum est ad iustitiae et caritatis leges toto mundo, nomine Christi, imponendas.

3. Aetas definiatur ultra quam Cardinales S. R. E., episcopi et parochi officium amplius exercere non valeant, ne Ecclesia, senescente sacerdote, senescere videatur et a coaevis nimis distracta.

4. Curia Romana internationalis evadat, et catholicitatem Ecclesiae ostendat. Sacerdotes ad munera ibi obeunda eligantur qui, in diversis gentibus, pietate, scientia, prudentia evangelica praestantiores sunt.

5. Nuntii Apostolici officium, prout apud nos viget consuetudo, lex clare statuat.

6. Conventus Nationalis Episcoporum, prout in Brasilia exstat, locum in Codice I. C. obtineat.

7. Benignior disciplina desideratur ut sacerdotes qui matrimonium contrahere presumpserunt, possint facilius ad viam salutis redire.

8. Sacerdotes, regulares et moniales si certo constet eos caste vivere non posse, in bonum Ecclesiae ad statum laicalem redigantur.

9. Unio sacerdotum utriusque cleri sub regimine episcopi promoveatur. Exemptio tantum retinenda est ut bonum Ecclesiae et regularis vita promoveatur. Nullo modo admittenda est religiosorum exemptio quae practice maiorem fidelium partem a ducto immediato episcopi aufert. Ubi regulares sunt numero praestantiores, ibi maximae oriuntur difficultates in dioecesi regenda.

10. Privilegia religiosorum restringenda sunt. Privilegia quibus a lege communi regulares eximuntur, utpote contra aedificationem alio-

rum sacerdotum penitus abolenda sunt: verbi gratia, dispensatio breviarii, qua gaudent missionarii dum parochi eosdem et diuturniores debent sustinere labores.

11. Privilegia regularium in bonum commune concessa, omnibus concedenda sunt, in ius commune transeant, quandoquidem bonum commune ea suadeat.

12. Restauratio liturgica, a Pio XII inchoata, strenue prosequetur. In nostris dissitissimis regionibus, ubi paroeciae quam late patent et rari sunt sacerdotes, bonum animarum normas liturgicas laxiores postulat et circumstantiis adaptatas. Nempe:

a) usus frequentior linguae vernaculae in benedictionibus, in exequiis, et sacramentorum administratione;

b) Missa, ut aiunt, catechumenorum tota recitari possit lingua vernacula. Hoc maxime apud nos urgere videtur cum plurimi adhuc existant analphabeti; et maxime videtur seducere homines rudes ac simplices intellectio et vivida partecipatio ritus ubi accidit in sessionibus spiritarum et protestantium;

c) nondum matura apparet diaconatus restauratio; sed catechistae, viri piissimi, forsitan in ordinibus minoribus constituti, plura facere possunt quae iure divino non prohibentur, videlicet obiecta pietatis et imagines benedicere, baptizare more diaconi, sacram communionem fidelibus distribuere, viaticum ferre, exequiis et matrimoniis assistere;

d) sorores in sacello, absente sacerdote, propria manu Eucharistiam sumant;

e) in magnis paroeciis, non tantum parochi sed et sacerdotes cooperatores sacrum chrisma infirmis administrent; item, in nosocomiis cappellani;

f) accuratius circumstantiae determinentur quibus stantibus liceat sacerdotibus sacramentalem generalem absolutionem frequentissimo populo impertiri;

g) liceat ordinario propter sacerdotum penuriam et ad vitae christianae incrementum, quovis die, eidem sacerdoti duas Missas permittere;

13. Dies festi, extra dominicas dies, tollantur, praeter dies Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi.

Christifideles qui saepius, ob vacationes et in villam discessus (week end), Missae sacrificio interesse non valent, teneantur intra hebdomadam, Sacro interesse.

14. Lex ieiunii et abstinentiae, prout nunc viget in Ecclesia, abrogatur. Nova, nostris temporibus congruens, disciplina poenitentiae in Ecclesia imponatur.

15. Ad nullitatem matrimonii declarandam quod attinet, casus in

dies frequentiores considerare opportet, in quibus perditissimi homines, ob vitia et fortasse pathologicas organicas constitutiones, vero matrimonio incapaces sunt; nam, quamquam impotentes non sint, coniugii ius perpetuum et exclusivum tradere nequeunt cum pueris et effeminatis se commisceant. Hi, enim, homines inhabiles declarentur.

En, Eminentissime Pater, sensus et vota mea. Preces quotidie fundam ut Divinus Paraclitus susceptos pro Concilio labores sua benedictione fecundet, opera et cogitationes dirigat in bonum fidelium et gloriam Christi.

Tibi in Christo servus devotissimus
✠ IOANNES B. DA MOTA E ALBUQUERQUE
Archiepiscopus Victoriensis Spiritus Sancti

77

EXC.MI P. D. JACSON BERENGUER PRADO
Episcopi Victoriensis de Conquista (Vitória da Conquista)

Invocato lumine Dei Paracliti, haec in proximo Concilio Oecumenico, inter alia, nostrae regioni mihi, videntur utiliter tractanda:

A) *Quoad doctrinae capita*

Populus Brasiliae desiderat ut in Concilio doctrina de Corredemptione et de Mediatione B. M. Virginis tractetur et, si possibile erit, etiam ad definitionem perveniatur.

Cetero, cultus erga Matrem Dei videtur magis viriliter et theologice ordinandus, ita ut dissidentes neque occasionem teneant catholicos de mariolatria accusandi.

B) *Quoad Sacramenta*

In Baptismo

1. Ut conficiatur formula brevior, quae, in certis casibus, ab Ordinariis locorum permitti possit.
2. Ut in formula longiore nomina parvulorum unice pronuncientur ad fores ecclesiae in prima interrogatione et in forma baptismi.
3. Ut in lingua vulgari vertantur etiam exorcismi et formulae unctionum ac benedictionum, unica forma Baptismi permanente in lingua latina.

In Missa

1. Ut partes tollantur, quae celebrantis propriae non sunt: cantica introitus, offertorii et communionis.

2. Ut preces oblationum panis et vini materiam ad sacrificium praeparatam indicent, non autem victimam quasi iam praesentem.

3. Ut epistola et Evangelium a celebrante, clara et distincta voce, legantur in lingua vernacula tantum et facie versa ad populum.

4. Ut series epistolarum et Evangeliorum, quae in dominicis leguntur, ita disponantur ordinate et progressive, ut facile explicari possint principalia capita doctrinae christianae, praesertim cum difficile hodie inveniri possit alia occasio ad catechismum adultis explicandum.

5. Non videtur inconveniens quod, Canone tantum in latina lingua permanente, caetera lingua vulgari vertantur, ita ut fideles faciliter participare ad preces liturgicas possint.

In Poenitentia

Mos frequenter itinerandi, rapiditas communicationum, quae hodie vigent, fortasse consulunt ut sacerdotes ab ordinario proprio approbati ad audiendas confessiones, possint hoc sacramentum administrare in quocumque nationis loco.

In Ordine

In regione nostra institutio Diaconatus, a Presbyteratu separati, eo pacto utilis videtur ut diaconi boni viri sint qui, sufficienter instructi, ordinarie in professione propria occupati, ea peragant, quae sacrum presbyteratus ordinem non requirant, et sic cultum et instructionem populi adiuvent in locis a paroecia dissitis, qui oratoria possideant.

In Matrimonio

Convenienter:

1. Tollerentur impedimenta gradus minoris consanguinitatis in tertio gradu lineae collateralis et affinitatis in secundo gradu lineae collateralis.

2. Dispensatio concedatur ab impedimento Ordinis iis, qui iam vitam clericalem dereliquerunt et in concubinatu vivunt, praesertim si iam prolem susceperint, dummodo resipiscantur, dispensationem petant et inhabiles ad sacri ordinis exercitium declarentur.

C) *Quoad poenas ecclesiasticas*

Excommunicatio, de qua in cann. 2314, § 1, et 2335, utiliter restringeretur pro iis, qui nomen Massonicae sectae vel Spiritismo dederunt, ita ut solum contumaciter et active Ecclesiam Catholicam oppugnantes per sententiam latam ab Ordinario loci excommunicentur.

D) *Quoad organizationem Ecclesiae*

1. Mihi videtur desideranda maior dependentia religiosorum, etiam exemptorum, ab Ordinario loci, ita ut efficacius opus apostolicum ordinari possit.

2. Ordinario maior libertas permittatur in organizatione studiorum sui seminarii, quia sic, valde utiliter, melius aptarentur ad necessitates speciales locorum.

✠ JACSON BERENGUER PRADO
Episcopus Victoriensis de Conquista

78

EXC.MI P. D. IOSEPHI VÁSQUEZ DIAZ
Episcopi tit. Usulensis
Praelati nullius Boni Iesu de Piaui (Bom Iesús do Piauí)

Boni Iesu de Piaui, die 10 martii 1960

Eminentissime Domine,

Cum hodie pervenerint ad me litterae Eminentiae Vestrae (N. I C/59-1511), circa res proponendas ad futurum Concilium Oecumenicum peto veniam pro sera responsione.

Concilium Oecumenicum erit certe magnae utilitatis Ecclesiae. Cum tempus non suppetat autem, nullas animadversiones faciam; nec in hac Praelatura sunt enim quaestiones magni momenti. Dicam tantum de relatione clericorum cum secta massonica, valde dilatata in Republica Brasiliana et non satis impugnata. Haec secta est indubitanter inimica princeps Ecclesiae his in terris, ostentas se autem ut amica.

Nihil aliud addendum habeo.

Ea qua par est reverentia me profiteor

Eminentiae Vestrae Rev.mae addictissimum
✠ IOSEPHUS VÁSQUEZ DIAZ
Episcopus tit. Usulensis
Praelatus nullius Boni Iesus de Piaui

79

EXC.MI P. D. CAESARII A. MINALI
Episcopi tit. Achyraënsis
Praelati nullius Carolinensis in Brasilia (Carolina)

Carolina, 3 aprile 1960

Eminentissimo Principe,

A dire la verità, mi sento imbarazzato all'amabile invito dell'Eminenza Vostra, per manifestare i miei suggerimenti e voti per il prossimo Concilio Ecumenico, anche perchè, sperduto in queste regioni quasi de-

serte del centro brasiliano, sono poco al corrente dei grandi problemi. Però, come figlio obbediente e desideroso di contribuire alla maggior gloria di Dio ed al bene delle anime, mi permetto i suggerimenti seguenti:

I. *Circa la Fede.* Si definisca che Maria SS.ma è la Mediatrice di tutte le grazie, perchè la Madonna collaborò non solo fisicamente ma umanamente, cioè con libertà nobile e intiera, all'incarnazione redentrice.

Sarebbe desiderabile stabilire un Catechismo unico per il popolo, tenuto conto delle attuali condizioni culturali e delle conquiste nel campo della S. Scrittura e della Teologia.

II. *Circa la Liturgia.* Il Rituale, specialmente la parte dedicata all'amministrazione dei Sacramenti, dovrebbe essere tradotto integralmente in lingua volgare per facilitare al popolo una più attiva partecipazione. Perchè il movimento liturgico riguardante la S. Messa sia reso uniforme, sarebbe opportuno fissare norme uniche in tutte le Diocesi. Il Breviario dovrebbe essere semplificato e abbreviato, specialmente nelle Lezioni dei Santi, facilitando così al clero in cura di anime l'adempimento di questo obbligo. Non sarebbe il caso di rivedere e semplificare anche il Cerimoniale dei Vescovi?

III. *Circa la disciplina ecclesiastica.* Per combattere lo spirito di indipendenza che serpeggia tra il clero, con le conseguenze che tutti conosciamo, si dovrebbe insistere di più nei Seminari sulla necessità e utilità dello spirito di umiltà e sottomissione ai Superiori, evitando così la dispersione di tante energie preziose ed il danno nelle anime. La grande scarsezza di clero, specialmente nei climi tropicali e le frequenti apostasie che oggi tutti piangiamo hanno la loro origine, quasi sempre, nella violazione del celibato ecclesiastico. Il nostro popolo facilmente perdona il sacerdote che manca al celibato, perchè, pare, che l'uomo non possa vivere senza la donna. La dispensa dal celibato aumenterebbe il nostro clero? Io non credo, anche perchè il sacerdote perderebbe la sua aureola, mancherebbe della necessaria influenza pastorale sulle anime, oltre ad acuire ancor più il problema economico. Certo è che il problema è molto grave e si dovrà affrontarlo in pieno per una soluzione che assicuri alla Chiesa un numero sufficiente di sacerdoti dotti e santi. Assistiamo ad una campagna confortante per aiutare le vocazioni e le Diocesi fanno sforzi ingenti per costruire i loro Seminari corrispondenti alle esigenze moderne, ma la percentuale degli alunni è sempre molto bassa.

IV. *Circa la giurisdizione.* Per eliminare il disagio dei Vescovi che sono obbligati a viaggiare fuori Diocesi, sarebbe desiderabile che potessero almeno confessare ovunque, senza la licenza dell'Ordinario del luogo, come già si pratica quì in Brasile, grazie ad una mutua comunicazione di

facoltà. Così, per facilitare al clero la confessione, si potrebbe stabilire che tutti i sacerdoti, debitamente approvati dal loro Ordinario, potessero confessare i sacerdoti ovunque.

Non mi resta che pregare e far pregare molto perchè il desiderio del Santo Padre di celebrare un Concilio Ecumenico, possa realizzarsi il più presto possibile per dare alla Chiesa norme sicure per il suo maggior incremento nella formazione del Clero e la salvezza delle anime.

Con questi voti, porgo all'Eminenza Vostra i più vivi ringraziamenti per il lavoro intrapreso, e colgo l'occasione propizia per umiliare i miei più devoti omaggi, domandando una speciale benedizione per me, per i miei missionari e per tutto il mio popolo.

Dev.mo in Domino
✠ Fr. CESARIO A. MINALI, O. F. M. CAP.
Vescovo tit di Achirao
Prelato nullius di Carolina in Brasile

80

EXC.MI P. D. VUNIBALDI TALLEUR

Episcopi tit. Magydensis, Praelati nullius Chapadensis (Chapada)

Rondonópolis, die 10 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Gratum mihi est confirmare receptionem Litterae Tuae diei 18 iunii 1959.

Cum omni qua par est reverentia et humilitate audeo huic Venerabili Commissioni exprimere tres petitiones:

1) ut diminuatur in administratione « burocratia », verbi gratia quod attinet obtinendas et concedendas facultates, dispensationes, permissiones etc.

2) ut in Praelaturis « Nullius » in quibus non existit clerus saecularis, provideatur relatio melior inter Praelatum et Superiores Religionis et diminuatur dependentia « moralis » Praelati (praesertim religiosi) a Superioribus Religiosis. Nostris temporibus non committitur nec concreditur Praelatura alicui Religioni, in Brasilia. Consequenter Superiores Religionis non tenentur quibuscumque obligationibus. Definiendae sunt responsabilitates et statuendae obligationes Superiorum Religionis quoad Praelaturas, in quibus solummodo aut paene solummodo laborant religiosi istius Religionis.

3) ut in Dioecesibus et Praelaturis, qui clerum saecularem non habent,

reprobetur interpretatio canonis 423 (Com. Interp. 28 ian. 1939, *A.A.S.*, XXIII, 110) quae excludit religiosos a munere consultoris dioecesani.

Omni qua par est reverentia subscribit

✠ Vunibaldus Talleur
Episcopus tit. Magydensis
Praelatus nullius Chapadensis

81

Exc.mi P. D. IACOBI A. SCHUCK
Episcopi tit. Avissensis, Praelati nullius Cristalandiensis (Cristalândia)

Cristalândia, April 6, 1960

Your Eminence,

I wish to acknowledge the receipt of your letter of March 21 (Prot. n°. 1 C/59-1518 bis), which I iust received. Your first letter of June 18, 1959 I did not receive until October, and I considered that date too late for sending an answer.

With regard to my suggestions and advice in reference to matters to be treated in the Ecumenical Council, I have none that would be of universal interest or application. Though I fully approve and support the promotion of the Council and will be present at it, I prefer to let wiser and more experienced men determine its program.

Begging your pardon for this belated answer and assuring you that the Council will have my fullest cooperation, I am.

Your obedient servant in Christ,
✠ James A. Schuck, O. F. M.
Bishop tit. of Avissa
Bishop Prelate of Cristalândia

82

Exc.mi P. D. ALFONSI SILVEIRA DE MELLO
Episcopi tit. Nasaitensis, Praelati nullius Adamanteae (Diamantino)

Diamantino, 28 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Eminentissimis litteris episcopis datis de Concilio Oecumenico liceat mihi sequentibus propositionibus respondere:

1. *In genere.* Servatis divinis, ut par est, praescriptiones ecclesiasticae

et disciplinares et liturgicae, in omnibus, quae difficultates in conversione acatholicorum pariant, abrogentur.

2. *In specie*:

a) Vernaculum in liturgia quam maxime introducatur;

b) Ritus abbrevientur quam maxime et simplificentur ad captum omnium fidelium;

c) Vestes episcopales et pontificales simplificentur omnino;

d) Permittatur celebratio Missae et sacramentorum administratio in quocumque loco decenti et quacumque hora diei;

e) Liceat Missam celebrare et communicare, ut in primis christianismi diebus, i. e. sine tot requisitis secundariis, de altari, ieiunio, paramentis, mappis, cereis, etc.;

f) Concedatur in genere omnibus sacerdotibus approbatis in adiunctis in quibus data est facultas Missae clandestinae, in bonum sacerdotum et fidelium detentorum;

g) Creentur diaconi laici qui sint pastores ubi desint presbyteri;

h) Habeatur uniformitas in toto mundo in veste clericorum extraliturgica;

i) Liceat fidelibus etiam die aliquo feriali praecepto assistentiae Missae satisfacere, praesertim qui necessario dominicis laborant;

j) Permittatur clericis et religiosis negotiatio, in bonum, tamen, tantum indigentium, invalidorum, etc.;

k) Concedatur iurisdictio ad audiendas confessiones non solum in aereis et maritimis sed in aliis quoque itineribus extra territorium suae approbationis:

l) Ut assistentia matrimoniis a non vicariis sit valida etiam in indeterminatis et extra territorium suae iurisdictionis;

m) Ut in libris a S. Officio damnatis bene indicentur errores propter quos, ne suspicio veniat damnationem esse tantum propter auctorem;

n) Ubi civilis legislatio non obstet supprimatur ut impedimentum dirimens tertius gradus consanguineitatis in linea collaterali;

c) « Romana » in denominatione Ecclesiae confusionem generat in mente protestantium qui frequenter vocabulum accipiunt pro « italiana ». Stante veritate Sedis Petri, videtur opportuna eius suppressio per inusitationem.

Magna cum veneratione, infimus servus in Christo

✠ ALFONSO SILVEIRA DE MELLO
Episcopus tit. Nasaitensis
Praelatus nullius Adamanteae

83

EXC.MI P. D. ELISEI M. COROLI

Episcopi tit. Zamensis maioris, Praelati nullius Guamensis (Guamá)

Bragantiae, die 25 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Maximo cum gaudio epistolas tuas, bis et patienter mihi scriptas, de proximo Concilio Oecumenico, I C/59-1524 unam, alteram vero 1524 bis protocollatas, recepi ac diligenter perlegi.

Bonum visum est mihi aliqua dicere de iis quae frequenter relationem habent cum officio pastorali in istis aliisque loginquis et imperviis regionibus.

Quaestiones quae mihi videntur disputandae simpliciter enumerabo:

1. Concilium congregatum alte proclamet christianam *solidarietatem* totius orbis catholici *cum populis orientalibus inhumano dominio communistarum subiectis,* necnon sollicitudinem Sanctae Matris Ecclesiae pro catholicis multa sustinentibus in odio fidei.

Bonum mihi videretur si, durante Concilio, *aliqui ex martyribus* furoris socialisticae haeresis *glorificarentur*: Hispaniae, regionum Volgae et Danubii necnon ditionis mexicanae, ubi massonica secta valde persecuta est gloriosam Ecclesiam.

2. Opportuna urgentiaque sunt aliqua decreta edenda ad confirmandam perficiendamque doctrinam fidei in Concilio Vaticano editam: *de auctoritate Episcoporum animarumque pastorum* seu Parochorum aliorumque sacerdotum ut stricte delegatorum, ideoque participantium Supremae et infallibili Summi Pastoris auctoritati in pastorali officio praedicationis.

Multi sunt enim qui *laicali modo* recipiunt verbum Dei per Episcopos et Sacerdotes praedicatum. Praedicatio vero est mandatum Divini Salvatoris pro Apostolis eorumque successoribus specialiter promulgatum cum divina promissione: « ... Ego autem vobiscum sum usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* XXVIII, 20).

Cum fide optent fideles ut verbum Dei magis per Episcopos et Sacerdotes praedicetur quam per aliquos, cum sint illi proximiores Summae Auctoritati Christi Vicarii et legitimi dispensatores mysteriorum Dei.

3. Alte memineat S. Concilium gravissimum sublimeque officium esse

Romanae Ecclesiae, Matris et ducis animarum, opportune et importune semper increpare et docere. In plurimis enim nationibus auctoritas, etiam quae catholicum titulum frequenter ostentat, nimis se admiscet in scholis catholicis, easdem *coarctat et « laicizza » omnia quae sunt ad addiscendam christianam iuventutem,* ita ut sit vere persecutor libertatis atque iuris non tantum Ecclesiae, sed et etiam parentum.

Sciant publici administratores se adstrictos esse sub gravi obligatione defendendi, adiuvandi et cooperandi cum Ecclesia in bono spirituali civium.

4. Procuret S. Concilium *auxilium practicum ad adiuvandos missionarios* in regionibus longinquioribus a sede paroeciali, cum sit perpaucus clerus, magna vero ac frequens propaganda protestantium, praesertim in iis locis ubi missionarius habitualiter abest. Urgent vero:

1) frequens praedicatio pro adultis

2) catechismus pro parvulis

3) auxilium spirituale aegrotis, praesertim moribundis

4) sanctificatio dei festi

5) devota conservatio SS. Sacramenti in iis locis ubi possibilitas adest honorandi frequenter divinam praesentiam D. N. I. C. cum canticis et precibus, Triduis, Novenariis, devotione mensis maii, etc.

6) distributio SS. Eucharistiae devotissimis fidelibus, praesertim monialibus ibi morantibus ad populum humillimum bene educandum.

Ad haec multa absolvenda possibilis et opportuna mihi videtur institutio Diaconorum (qui possint matrimonium inire), quorum officium sit:

Sacram Eucharistiam distribuere, verbo divino incumbere, infirmos visitare, atque Parochos adiuvare in omnibus quae ad temporale regimen paroeciae pertinent, modo tamen et ratione a Parocho statutis.

Vel:

Forsitan videtur magis opportunum, practicum et efficax *Sororibus Missionariis committere aliqua ex officiis supra memoratis quae ipsis magis consentanea videantur.*

5. Provideat S. Concilium ut Sacerdotes et praecipue Parochi *bene et instanter doceant suos fideles actos ad contritionem perfectam* excitandam.

Doceant etiam quod omnis christianus obligatione adstringitur ad moribundos spiritualiter adiuvandos, modo tamen apto et efficaci:

v. g. in locis ubi est difficillimum vel impossibile sacerdotem petere, assistant confidenter moribundum ut in se excitet veram et perfectam contritionem. Hoc urgentissimum videtur in istis longinquis regionibus

Americae Meridionalis, ubi, ob penuriam sacerdotum, maxima pars habitantium moritur sine sacerdotum assistentia.

Oportet autem ut *formula contritionis sit simplex et praevalenter affectiva,* non aride dogmatica et difficilis et practice inefficax rudioribus mentibus; ita ut facile et sponte excitet in cordibus veram contritionem.

Inter rusticos istius regionis, acceptabilis esset haec formula:

« O bone Iesu, gravi poena crucior cum contemplo te in cruce atrocibus clavis confixum. Me poenitet peccatorum meorum, quae tantum tormentum tibi inflixerunt in tua passione et morte. O bone Iesu, miserere mei. Numquam peccabo et sincere peccata mea confitebor in sacramentali confessione. Bone Deus et Pater mi, da veniam isti filio male parenti sed paenitenti. Nunc vero oboediam et amabo.

Virgo dolorosa, salva filium pro quo multas lacrimas fudisti. Mater mea, fiduciam habeo in tua misericordia, et firmiter volo te amare et benedicere in saeculum saeculi. Amen ».

6. Opportunissimum mihi videtur associationem catholicam instituere (*organizzazione della stampa e dei giornali cattolici*) tum internationalem tum nationalem tum regionalem, inter se communicantes, quae rapide et secure notitias praesertim catholicas publicent, necnon res gestas publicae administrationis, notitiae forenses, quaestiones litterarias et artisticas, utilitatem alicuius novi inventi, mentem ecclesiasticae auctoritatis circa aliquod motum populare; omnia autem bene interpretata ita ut habeatur iusta et vera et christiana notio rerum.

Haec omnia publicanda sunt in *libello cotidiano, in quo omnis Archidioecesis publicet* suas particulares notitias.

Idem de machinis quae dicuntur « Radiotrasmittenti ».

7. Modus inveniatur quo nec habeantur in Ecclesia sacerdotes valde pauperes nec tamen valde divites.

8. In singulis paroeciis, si fieri potest, *Collegia sacerdotalia* instituantur, ita ut sacerdotes saeculares possint in eadem domo vitam agere non stricte communem.

9. Ratio Sanctam Missam litandi *lingua vulgari* uti inopportuna et maiestati sacri Divini Misterii contraria habeatur. Modicum vero reputo ut sacerdos celebrans, in omnibus vel saltem in solemnioribus Missis, se vertat ad populum cum legit Epistolam et Evangelium lingua vulgari.

Haec omnia sincere et cum simplicitate scripsi ut tuo venerabili dicto modestissime parerem.

Maxime cupio ut S. Concilium bene incipiatur optimeque prose-

quatur ut omnibus nationibus purissima atque sapientissima appareat Romana Ecclesia, *ad laudem Dei Nostri.*

Osculo tuam purpuram ut pignus benedictionis pro me meaque peramata Prelatura.

Reverentiae tuae humilis servus
✠ ELISEUS COROLI
Episcopus tit. Zamensis Maior
Praelatus nullius Guamensis

84

EXC.MI P. D. IOSEPHI HASCHER
Episcopi tit. Aeliensis, Praelati nullius Juruensis (Juruá)

Eminence, Cruzeiro do Sul, ce 18 août 1959

En répondant a votre rescrit du 18 juin, expédié du Vatican le 7 août et arrivé ici, avec une vitesse très rare, le 16 c. je suis obligé, avant tout, de demander pardon pour ne pas écrire en latin. Ma réponse devant arriver avant le 1re septembre il faut que je m'empresse et pour vous servir un latin cicéronien, comme le vôtre, il m'aurait fallu vivre aux environs de la Ville Eternelle et non pas depuis 1920 dans la brousse africaine ou dans la forêt vierge du Brésil. Je compte donc sur l'indulgence de la Commission vénérable dont vous êtes l'éminent Président. Sa Sainteté, le Souverain Pontife Jean XXIII me pardonnerait certainement, car c'est Lui, étant encore Nonce apostolique à Paris, qui en une nuit pluvieuse du mois de mars de 1947 m'a très habilement sermonné pour que j'accepte d'être envoyé dans l'« Enfer Vert » de l'Amazone, aux fins fonds de la forêt vierge brésilienne, aux sources du Jurua, littéralement comme le dernier des Prélats du Brésil. Si j'en ai voulu parfois, par le passé, à l'ancien Nonce de Paris — car j'étais très heureux et content en Afrique de longues années comme petit Père broussard — je n'en veux plus évidemment désormais au Très Saint-Père aimé et estimé, après à peine 10 mois de règne, de tous les hommes de bonne volonté.

C'est vous dire, Eminence, que j'apprécie de tout cœur l'idée grandiose du Concile Œcuménique et ne pouvant pas y contribuer beaucoup par mes conseils j'ai commencé, dès que je l'ai appris, à prier et à faire prier surtout les enfants de nos écoles pour sa réussite à l'intention du Très Saint-Père surtout pour le retour au Bercail de Pierre de nos pauvres Frères séparés, afin de pouvoir peut-être en union avec eux endiguer encore le fléau du Communisme.

Comme ancien missionnaire j'ose cependant attirer votre attention à un point de la méthode missionnaire. Il me semble que l'Eglise en marche, ou disons plutôt pour ne pas accuser notre sainte Mère, que les missionnaires n'ont pas su toujours s'adapter aux païens. Au lieu de profiter de ce qu'il avait du vrai et du bon dans leurs croyances et essayer de construire là-dessus notre enseignement ou a souvent commencé par détruire tout ce qui existait sans se préoccuper des difficultés de ces pauvres gens pour s'adapter à nos idées. Les Pères du futur Concile, surtout les évêques missionnaires, devraient peut-être chercher des moyens pour faciliter la conversion des païens.

Parmi les questions sociales à résoudre, celle qui presse le plus — à mon humble avis — au moins en Amérique du Sud, c'est la question agraire. Ou l'Eglise avec l'aide des Gouvernements bien intentionnés arrivera à une solution juste et équitable ou les Communistes une fois au pouvoir la trouveront mais uniquement au profit de l'Etat totalitaire.

Et une 3e question très délicate. J'ai entendu dire que des prêtres, surtout des jeunes, parlent de la suppression du Célibat. Cette question pourrait se poser peut-être pour des pasteurs protestants, qui rentrent dans l'Eglise catholique et qui voudraient se vouer au ministère sacerdotal. J'espère cependant que tout en les traitant avec l'indulgence requise dans ce cas, ou saura sauvegarder et maintenir dans notre Eglise toute entière l'idéal du Célibat sacerdotal telle qu'il existe malgré les idées modernes et malsaines, qui menacent la sainteté du Sacerdoce.

En soumettant ces questions humblement à la vénérée Commission préparatoire du Concile, je vous prie, Eminence, de vouloir agréer les sentiments d'une sincère et profonde considération

de votre humble serviteur en Jésus Christ
✠ JOSEPH HASCHER C. S. Sp.
Evêque tit. d'Elie
Prélat nullius du Juruà

85

EXC.MI P. D. IOSEPHI ALVARES
Episcopi tit. Colybrasseni, Praelati nullius Labreani (Lábrea)

Eminentissime Domine,

Anno elapso recepi litteras, ab Em.mo Card. Tardini subscriptas, quibus invitabar ad suggerenda ea, quae opportuna forent pro futuro Concilio Oecumenico.

Rescribere non valui tempore statuto, quia litterae ad me pervenerunt post mensem septembris a. 1959; posteaque impeditus sum ob excursiones in interiora silvarum Praelaturae atque ob aegritudinem inde derivantem. Humiles meae propositiones sunt prout sequitur:

1) *Definitio dogmatica* Mediationis Universalis B. Mariae Virginis, in Dei gloriam et in Mariae laudem. Sic interventum marianum experiemur his in adiunctis, quando nempe mundus, protestantium errore, velut fugere e suis manibus videtur.

2) Sorores aliique christifideles Officium parvum recitare possint lingua vernacula, ad hoc ut sensum capiant, maioresque fructus spirituales percipere possint. Sicque fiat in aliis precibus. Cogita de oratione pro sponsis in Sancta Missa...

3) Protestantium sectae catervatim cunctisque mediis instructae, territoria, etiam magis impervia, missionum invadunt. Dum nos Praelati grati admodum sumus Pontificio Operi de augendo adiuvandoque clero in America Meridionali, apud Magnum Consessum Oecumenicum instamus ut opus inceptum pergat et in dies perficiatur.

Humilis Praelatus infrascriptus, cum religiosis, sororibus, populoque fideli, fervidas ad Deum preces fundemus, ut Magnus, qui apparatur Consessus Oecumenicus, optima quaeque in favorem Ecclesiae Catholicae pariat, eamque a profluvio materialismi athei penitus salvet.

✠ IOSEPHUS ALVARES
Episcopus tit. Colybrassenus
Praelatus nullius Labreanus

86

EXC.MI P. D. ARISTIDIS PIROVANO

Episcopi tit. Hadrianiensis, Praelati nullius Macapensis (Macapá)

Ex urbe Macapà, die 15 novembris 1959

Eminentissime Domine,

Cum statuto tempore, scilicet ante Kalendas septembris, tibi, mittere nequiverim, variis obstantibus difficultatibus mea voluntate fortioribus, epistolam qua responderim tuis litteris, quibus mihi vota Augusti Pontificis circa Oecumenici Concilii praeparationem significasti, ex animo veniam a te peto.

Tuis animatus verbis et de Oecumenici Concilii pro S. Ecclesia et toto Christiano populo, maximo pondere ac momento certior factus,

cum velim pro meis viribus huic maximo Consessui meam humillimam operam conferre, audeo tuae considerationi, necnon et Venerabilis Commissionis Antepraeparatoriae examini, nonnulla vota praebere, quibus, qua sapientia et prudentia es, pro tua voluntate uti poteris.

En ergo quae ab Oecumenico Concilio tractanda esse velim:

1) Possibilitatem necnon et opportunitatem dogmaticae declarationis de B. M. V. Universali Mediatione.

2) Refutationem opinionum Clericorum coelibatui contrariarum et huius disciplinae solemnem confirmationem.

3) Largiorem linguae vernaculae usum in administratione Sacramentorum et Sacramentalium, necnon et in S. Missae mobilibus partibus.

4) Divini officii ad simpliciorem formam reductionem.

5) Maiorem Ordinarii auctoritatem in iis quae ad Clerum regu larem animarum curae incumbentem pertinent.

6) Possibilitatem pro Clero saeculari animarum curae addicto vitam communem instaurandi et eam gradatim omnibus Clericis praecipiendi.

7) Possibilitatem necnon et opportunitatem Ordinem Diaconatus, minime vero coelibatus oneri obnoxium, restaurandi.

Haec vota, ex consideratione vitae et doctrinae catholicae in dissitis regionibus nostro ministerio et potestati obnoxiis subiicienda esse S. Oecumenico Concilio putamus. Ea autem prudenti considerationi et approbationi nostrorum consultorum subiecimus.

Nostram filialem devotionem et omnimodam oboedientiam Summo Pontifici feliciter Regnanti denuo profitentes, ad felicem exitum Oecumenici Concilii a Domino impetrandum, supplices orationes nostras, Sacerdotum et fidelium nostrae curae mandatorum promittimus.

Tibi autem salutem et coelestia dona adprecantes,

Eminentiae Tuae Reverendissimae

addictissimus

✠ Aristides Pirovano
Episcopus tit. Hadrianiensis
Praelatus nullius Macapensis

87

EXC.MI P. D. GREGORII ALONSO APARICIO

Episcopi tit. Poglensis, Praelati nullius Marajensis (Marajò)

Soure, die 5 aprilis 1960

Venerabilis Pontificia Commissio,

Nuper recepi epistolam diei 21 martii anni 1960.

Plurimum mirandum est, quod epistola mea — diei 27 octobris anni finiti — ad istam Venerabilem Commissionem non pervenerit. Transfero diversa argumenta:

« 1) Possumus repetere cum Sancto Paulo: " Superabundo gaudio, repletus sum consolatione ". Haec annuntiatio celebrationis Sancti Concilii replevit Praelatum et Missionarios sancta laetitia, ante spem magnorum bonorum quae advenient Ecclesiae praecipue propter certitudinem regressus multorum fratrum in via erroris degentium, etsi cum magnis concessionibus.

2) Credimus quod, ad salutem animarum et ad Praelaturas bene administrandas, quae tantummodo in promptu habent Clericos Regulares pertinentes ad Ordines vel Congregationes Religiosas quibus eae Circumscriptiones Ecclesiasticae concreditae sunt, Praelati seu Administratores Apostolici habere debeant validum ius in Religiosos Missionarios locatos in Praelatura. Cum autem surrexerint rixas inter Superiores Regulares et Praelatos praevaleat ius Praelatorum, salva facultate Superiorum Religiosorum recurrendi ad Apostolicam Sedem.

3) Ad maiorem uniformitatem, etiam in regulis ecclesiasticis, puto, quod multum convenerit, ut servetur uniformitas in legibus et determinationibus Sanctae Matris Ecclesiae in toto orbe terrarum, restringendo, quo magis, privilegia et facultates speciales.

4) Ante diversitatem habituum Congregationum Religiosarum, praecipue feminarum, dubitatur an promoveatur, cum novis vestium modis, gloria Dei, aut tribuatur cultus vanitati.

Consequenter, puto decere Statui Religioso servare uniformitatem habitus inter Congregationes quae ad ipsum apostolatum destinantur.

Hae sunt rationes quae, ut mihi videtur, sunt utiles atque impetrabiles.

Omni quo par est obsequio in Christo Iesu.

✠ GREGORIUS ALONSO APARICIO
Episcopus tit. Poglensis
Praelatus nullius Marajensis

88

Exc.mi P. D. IOANNIS F. LOEWENAU

Episcopi tit. Drivastensis, Praelati nullius Obidensis (Obidos)

Obidos, Pará, die 25 aprilis 1960

Beatissime Domine,

Sacra Pontificia Commissio Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico petiit ab Episcopis universi Orbis vota et desideria quae utiliter tractanda sint in Concilio Oecumenico.

Ego infrascriptus et sacerdotes Praelaturae utilia putamus quae sequuntur:

1. Omnes sacerdotes binare possint omnibus diebus et qualibet hora.
2. Post Missam lectam omittantur Ave Maria, Salve Regina, etc.
3. Missale Romanum sit obligatorium pro omnibus sacerdotibus etiam regularibus, quia fideles utuntur Missale et saepe nequeunt sequi Missam diei. Excipiantur Festa Principalia Ordinis vel Congregationis.
4. Abbrevietur vel simplificetur Breviarium Romanum, praesertim diebus Festivis in quibus labor sacerdotalis duplicatur.
5. Concedatur omnibus sacerdotibus facultas confirmationem administrandi infirmis graviter decumbentibus vel morituris.

Imploro auxilium Divinum pro pleno exitu Concilii Oecumenici.

✠ Ioannes F. Loewenau
Episcopus tit. Drivastensis
Praelatus nullius Obidensis

89

Exc.mi P. D. ELISEI van de WEIJER

Episcopi tit. Goritani, Praelati nullius Paracatuensis (Paracatú)

Paracatú, die 3 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Magno cum gaudio accepi notitiam Summo Pontifici Ioanni XXIII f. r. esse voluntatem convocandi Concilium Oecumenicum ad adaptandam vitam christianam in Ecclesia Christi temporibus modernis.

Qua propter vehementer exopto ut Divino Spiritu Sancto inflante

omnes Christiani conducantur per preces et vota ad cooperandum in vero spiritu unitatis, ut Concilium suum consequatur effectum.

Offerens Eminentiae tuae prospera vota ad complendum de meliori modo officium antipreparatorium, quo honorificatus fuisti, subscribo in signum obedientiae et maximae reverentiae

Eminentiae Tuae

humillimus servus in Christo
✠ ELISEUS VAN DE WEIJER
Episcopus tit. Goritanus
Praelatus nullius Paracatuensis

90

REV.MI P. D. ARCHANGELI CERQUA

Administratoris Ap. Praelaturae nullius Parintinensis (Parintins)

Romae, die 30 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Oboedientia motus, pergratae epistolae vestrae N. 1 C/59-1898 respondeo, quasdam observationes humiliter exponendo.

Utpote Ordinarius Praelaturae Missionariae, in Amazonum Civitate perditae, nullomodo de altis quaestionibus dogmatis vel sociologiae agere poterim; tantum igitur quaedam vota circa populi vel cleri disciplinam vestrae considerationi subiiciam, sicut experientia et sollicitudo pastoralis mihi suggerit.

1. Cum praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis infra hebdomadam parum servetur, opportunum erit festa de praecepto quam maxime ad Dominicam transferre.

Conservari poterunt Dies Natalis Domini et Anni Novi.

2. Cum hoc tempore, in mundo latino praesertim, difficile sit de Circumcisione loqui, incipiatur Annus Novus cum festo Nominis Iesu vel Epiphaniae. Circumcisio ad summum celebrari poterit infra hebdomadam sine praecepto.

3. Prima dies maii ubique terrarum ab operariis solemniter celebratur. Consentaneum igitur videtur praeceptum diei 19 martii ad festum S. Iosephi Operarii transferre.

4. In ritibus liturgicis amplius quam hactenus lingua vernacula adhibenda videtur, praesertim in Cathecumenorum Missa.

5. Praeceptum Paschale ad integrum annum extendatur; lex Ecclesiae itaque sic enunciari potest: « Fidelis debet semel in anno cum praeferentia in Paschate Eucharistiae sacramentum recipere ».

6. Lex ieiunii et abstinentiae redigi poterit ad normam recentiorum facultatum a S. Sede concessarum.

7. Necessarium videtur vitam communem ab omni clero exigere et novum ordinem oeconomicum pro ipsius sustentatione excogitare. Systema beneficiorum obsoletum atque nocivum videtur; melius erit generositati fidelium se committere et utcumque in paroeciis administrationem accepti et expensae collegialiter agere.

8. Pontificia Opera Missionaria lacrimabile discrimen removeant inter Missiones Congregationi de Propaganda Fidei subiectas, et Praelaturas vel Missiones Consistoriali obnoxias. Id est omnibus idem auxilium offerant.

In Domino

P. Archangelus Cerqua
Administrator Ap.
Praelaturae nullius Parintinensis

91

Exc.mi P. D. ALFONSI M. UNGARELLI

Episcopi tit. Azurensis, Praelati nullius Pinerensis (Pinheiro)

Romae, die 6 novembris 1959

Eminentissime Princeps,

Valde sero litteras accepi istius Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae petentis opiniones, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Perspectis vastissimis amplitudinibus Circumscriptionum Ecclesiasticarum Americae Latinae, necnon defectu Sacerdotum et miserrimo statu populi christiani, mihi utile videtur Catechistas praeparare qui possint aliquo modo explere vicem pastoris in pagis et vicis a residentiis paroecialibus valde dissitis.

Ideo duos libellos praebeo isti excellentissimae Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae, alterum « De cooperatione laicorum in munere pastorali », ubi de Catechistis plenissime dicitur; alterum « De convenientia emendandi can. 1098, vel potius perficiendi quae a can. 1098

statuuntur » in quo consideratur aliquid singulare circa disciplinam matrimonii quod in melius mutari potest ope catechistarum.

Sacram Purpuram osculans, addictissimum Eminentiae Vestrae servum in Christum me profiteor

✠ ALFONSUS M. UNGARELLI
Episcopus tit. Azurensis
Praelatus nullius Pinerensis

DE COOPERATIONE LAICORUM IN MUNERE PASTORALI

I. *De statu paroeciarum in quibusdam regionibus*

In Brasilia Septentrionali, necnon in pluribus aliis regionibus totius Americae Latinae, Paroeciae immensam amplitudinem habent, ita ut Parochus (etiamsi utatur — quod non semper, immo raro accidit — opera vicariorum cooperatorum) minime possit suo muneri pastorali fungi: longe maxima pars fidelium, a residentia paroeciali procul degentium, manet in perpetuum absolute aliena a Parocho et saepe saepius eorum vita spiritualis unice consistit in Baptismo ministrato a Sacerdote in Missionibus ambulantibus (vulgo: « desobrigas ») quotannis territorium paroeciale peragrantibus. Ideo Paroecia in pluribus regionibus Americae Latinae vix haberi potest tamquam *institutum iuridicum,* minime autem tamquam fidelium congregatio, qui suam peculiarem ecclesiam frequentantes, a Parocho, quasi a suo pastore, reguntur (can. 216, § 1).

II. *Consectaria*

Consectaria tristissima sunt:

1. In familiis ruri degentibus, praesenti tempore, pueri generatim nullam catechesim recipiunt.

Aliter superioribus temporibus, cum a parentibus catechesis tradebatur et pueri formabantur ad usum vitae christianae. Nostra aetate plurimi qui se iactant christianos ipsum « Pater Noster » et « Ave Maria » nesciunt recitare.

2. In dissuetudinem transiit precatio publica, quae loco Sanctae Missae olim habebatur in oratoriis dominicis et diebus festis.

3. Negliguntur prorsus omnia Sacramenta, praeter Baptismum. Multis in locis, occasione Missionis ambulantis (vulgo: « desobrigas », quia visitatio annua Sacerdotis fit ut fideles persolvant suas *obligationes religiosas;* Confessionem et Communionem saltem semel in anno) pauci conveniunt ut sua peccata confiteantur et Sacra Synaxi reficiantur: paucis-

simi ad matrimonium celebrandum. Christiani unice de Baptismo — et absque ulla festinatione! — solliciti sunt, sed saepissime ad patrinos proli consulendos (cum munus patrini permagni habeatur in America Latina, quia est causa amicitiae et tutelae) magis quam ut filii per Sacramentum regenerentur.

4. Interim, cum quidam sensus religiosus generatim in animis omnium penitus insitus sit, plurimi laete aurem praebent pastoribus protestantibus et proceribus spiritistis de religione multum et vehementer disserentibus, ideoque saepissime in haeresim incidunt.

5. *Proinde gravissimum est periculum perversionis populi christiani,* qui destitutus omni auxilio spirituali vitam agit inordinate, tamquam grex sine pastore: invadunt enim lupi rapaces.

Exemplum praebemus ut clarius status rerum percipiatur:

Praelatura Nullius Pinerensis minima est in Praelaturis Brasiliae: attamen eandem amplitudinem habet ac Gallia Subalpina (Piemonte) et Gallia Cisalpina (Lombardia) iunctae.

Paroecia Pinerensis (una ex undecim Paroeciis Praelaturae), *etsi mediocris areae,* fere adaequat amplitudinem alicuius amplioris Provinciae Italicae, e. g. Provinciae Bononiae, in qua numerantur 61 Municipia. In oppido Pinheiro resident 6.000 cives, quorum Parochus vere haberi potest ut pastor; sed ruri morantur 40.000 ruricolae (saepe in pagis et vicis residentes) qui *cum Parocho nullam rationem habere possunt,* propter vastitatem Paroeciae et defectum viarum.

Minimus est proinde numerus christifidelium quibus Parochus consulere potest ad necessariam curam animarum.

Ab uno disce omnes: exemplum praebuimus quod extendi potest omnibus Paroeciis Praelaturarum, Dioecesium et Archidioecesium Brasiliae Septemtrionalis et etiam aliarum regionum Americae Latinae.

III. *Solutio proponitur*

Attentis exiguitate Sacerdotum, necnon immani difficultate, immo impossibilitate (etiam si Sacerdotes praesto essent) ut Paroeciae multiplicentur et novae instituantur in pagis et vicis adhuc imparatis, opinamur valde utilem fore institutionem *catechistarum utriusque sexus,* qui bene formati et optime instructi, servitio Paroeciae legitime addicti, in pagis et vicis a sede Paroeciali dissitis (more pastorum protestantium et procerum spiritistarum) *possint quadamtenus curam animarum exercere.*

De licentia Ordinarii et sub dependentia Parochi ad Catechistas de quibus loquimur, spectabit:

1. *librum de statu animarum* conficere et pro viribus accurate servare;

2. *ostiatim evangelizare plebem* (sicut faciunt protestantes et spiritistae perspicaci actione capillari);

3. *docere omnes, praesertim pueros, catechismum,* necnon — si quando expedit — scholam aperire (quod ruri apud omnes magni aestimatur);

4. *instituere iuventutis* coetus seu « Oratoria », ubi fieri possit, eo consilio ut pueri ac puellae periculis ipsorum moribus insidiantibus arceantur et ad vitam christianam conformentur;

5. *dominicis et diebus festis convocare fideles* in sacram aedem, vel, aede deficiente, in alium locum ad religionem colendam;

6. *conventibus christifidelium praeesse* ut, pro Missa, pia functio celebretur in qua aliquis locus Sacrae Scripturae (praesertim Novi Testamenti tum Evangeliorum tum Epistolarum) *semper* legatur et explanetur, brevis catechesis tradatur et fideles omnes simul preces recitent atque pia cantica edant;

7. in diuturna absentia Sacerdotis *Baptismum* (privatum) *infantibus administrare* et adnotationem Baptismi collati statim in librum ordinatim referre (et opportune Parocho exemplar transmittere), remittentes coeremonias Baptismi in posterum, cum Sacerdos pagum inviserit;

8. *Invisere infirmos,* speciatim morti proximos, et prudenter ac sollicite curare ut actum contritionis perfectae eliciant;

9. in ecclesiis vel oratoriis publicis ubi SS.ma Eucharistia servatur (cum semel saltem in hebdomada Missa celebretur), *maximam curam habere de altari, de tabernaculo et de lampada coram SS.mo Sacramento;*

10. *e pyxide reverente hostias tollere et in patinam ponere ut fideles se reficiant,* si qui habeantur pietatis insignes, cupientes (venia a Parocho obtenta) quotidie Eucharisticum Panem sumere: catechistarum est, *una cum fidelibus,* « Confiteor » genibus nixi reverenter ac humiliter recitare atque diligenter consulere ut fideles ad Sacram Synaxim pie religioseque accedant et deinde in vase cum aqua parato digitos abluant;

11. *qua testes qualificati matrimoniis assistere,* iuxta quae proposuimus in libello « De Convenientia emendandi can. 1098, vel potius perficiendi quae a can. 1098 statuuntur ». *Pontificiae Commissioni Antipraeparatoriae pro Concilio Oecumenico* misso.

IV. *De Condicionibus ut Catechistae aggregentur in servitium paroeciae*

1. *Scientia sufficiens.*

Ut laici idonei reddantur ad munus pastorale exercendum oportet ante omnia ut scientiam sufficientem assequantur. Ideo per triennium *Institutum Dioecesanum pro Catechistis Cooperatoribus* frequentabunt,

in quo alumni erudientur in disciplinis necessariis ad munus exercendum, sed potissimum in *catechesi et in sacris litteris* (praesertim in Novo Testamento).

Optandum est ut alumni *Instituti Dioecesani pro Catechistis Cooperatoribus,* iam aliquam scholam ordinis secundi (Scholam Mediam, Gymnasium, Scholam Normalem Regionalem, etc.) secuti sint, sed non arcebuntur alumni mente praediti et graves, solummodo primi elementis imbuti.

Cursu triennali absoluto, alumni diplomate donabuntur.

2. *Pietas sincera.*

3. *Integritas morum,* sive Catechistae soluti vivant, sive in coniugio.

4. *A rebus civilibus* (hoc est, a factionibus) *prorsus alieni* toto tempore quo in munere pastorali cooperantur. In America Latina multa mala religio patitur quotiescumque Parochus eiusque Cooperatores se immiscent rebus civilibus.

5. *Catechistae viri* praeferri debent mulieribus in administratione Baptismi vel ut Sacras Species tangant ad parandam Sacram Synaxim fidelibus.

6. *Munus Catechistarum* semper exercebitur de mandato Ordinarii ac sub dependentia Parochi et quacumque de causa suspendi poterit.

V. *De substentatione Catechistarum in munere pastorali cooperantium*

Catechistis qui in munere pastorali operam suam continenter commodant congrua merces tribui debet.

VI. *De maxima utilitate fundationis Catechistarum cooperatorum*

Praeter urgentissimam necessitatem evangelizandi et ad vitam christianam informandi multitudines ruri degentes, institutio Catechistarum Cooperatorum plurimum valebit ad propulsandum periculum Protestantium et Spiritistarum.

VII. *De interpositione rei tractatae in Codice Iuris Canonici*

Quae supra diximus de cooperatione laicorum in munere pastorali expedit recolligere ad formam iuris quae, si placeret, posset in ipso *Codice Iuris Canonici* inseri:

Titulus XVII A

De cooperatione laicorum in munere pastorali

Can. 683 *a*

§ 1. In Paroeciis quarundam Regionum ubi propter vastitatem territorii necessario cura animarum contrahitur in arctissimam partem Paroeciae, laudabiliter Catechistae sive viri, sive mulieres, bene instructi et optime formati, servitio Paroeciae addicentur ut, de licentia Ordinarii, Parochum auxilientur, quatenus status laicalis permittit, in ipso munere pastorali.

§ 2. Catechistae de quibus in paragrapho praecedenti vocantur Catechistae Cooperatores.

Can. 684 *b*

Competit Catechistae Cooperatori, de licentia Ordinarii et sub dependentia Parochi:

1. librum de statu animarum conficere pro Regione Paroeciali sibi commissa;
2. catechismum docere;
3. cultum publicum, speciatim dominicis et diebus festis promovere, cum lectione et explanatione Veteris et Novi Testamenti, praesertim Evangeliorum et Epistolarum;
4. pro opportunitate et necessitate, privatum Baptismum administrare, SS.mam Eucharistiam communicantibus parare et tamquam testis qualificatus matrimoniis assistere, iuxta can. 1097 *a,* §§ 1 et 2.

Can. 684 *c*

§ 1. Ut Catechista Cooperator idoneus habeatur ad munus pastorale exercendum sub dependentia Parochi, debet:

1. *Scientia congruenti pollere,* scilicet saltem haud ignarus esse disciplinarum quae per triennium in *Instituto Dioecesano pro Catechistis Cooperatoribus* docentur;
2. *Bonis moribus praeditus esse* et, si coniugatus, familiam egregiam habere;
3. *Pietate, animarum zelo et prudentia ornatus esse;*
4. Pro tempore quo munus pastorale exercet, *a factionibus alienissimum se praebere* et numquam in contentionibus civilibus in deligendis magistratibus se immiscere.

§ 2. Indicare num quis idoneus sit, ad Ordinarium pertinet, qui Catechistis Cooperatoribus quotannis renovare debet licentiam ad munus pastorale exercendum.

Can. 684 *d*

In Dioecesibus in quibus desideratur cooperatio laicorum in munere pastorali, curent Ordinarii ut habeatur Institutum pro Catechistis Cooperatoribus.

De convenientia emendandi can. 1098 vel potius perficiendi quae a can. 1098 statuuntur

1. *Momentum disquisitionis*

Can. 1098, ita ut sonat, multas dubitationes et anxietates gignere potest, potissimum ex eo quod in nostris regionibus (hoc est in Brasilia Septentrionali), non raro, immo, ni fallimur, frequenter usum habere potest, *insciis ipsis nubentibus,* qui saepe saepius nolunt consectaria ferre matrimonii incaute, sed valide contracti.

2. *Verba ipsius canonis*

Can. 1098 hoc decernit:

« Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo Parochus vel Ordinarius vel Sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam canonum 1095 et 1096:

1) In mortis periculo *validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideant eam rerum conditionem esse per mensem duraturam;*

2) In utroque casu, si praesto sit alius Sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus ».

3. *Canon 1098 per se conveniret ad nostram Regionem*

In Brasilia Septemtrionali nubentes saepe canone superius transcripto uterentur, si pervulgatus ab Auctoritate Ecclesiastica eisdem nubentibus cognitus esset. Paroeciae etenim immensam amplitudinem habent (Paroecia Pinheiro, v. g., etsi mediocris areae, fere adaequat amplitudinem alicuius amplioris Provinciae Italicae, sicut Provinciae Bononiae, in qua numerantur 61 Municipia).

Adde quod in multis regionibus viae terrestres omnino desunt et itinera in equo vel (ubi et quando fieri possunt) per faselum ardua et molesta et tarda sunt.

Maxima pars incolarum nullam rationem habet Parocho, qui vix semel in anno solet invisere vicos praecipuos suae vastissimae Paroeciae. Tempore huius visitationis (vulgo: « *desobrigas* », quia visitatio fit ut chri-

stiani suas *obligationes* religiosas persolvant) congregantur fideles in propinquo commorantes ad Sacramenta recipienda.

Sed — pro dolor! — nostra aetate, multis in locis, christiani unice solliciti sunt — et absque ulla festinatione — de Baptismo: pauci conveniunt ut sua peccata confiteantur et Sacra Synaxi reficiantur (ceterum catechismum plane nesciunt); paucissimi ad matrimonium celebrandum ad normam canonum 1095 et 1096.

4. *Sed ignotus est fidelibus*

De matrimonio celebrando, absente teste qualificato, iuxta canonem 1098 nemo cogitat, quia in nostris regionibus, immo in tota Brasilia (ni fallimur), numquam fideles de huiusmodi canone edocti sunt.

5. *Consectaria ignorantiae can. 1098*

Interea augescunt in dies misere matrimonia mere civilia, concubinatus et divortia sequentibus causis:

1) Immanis difficultas ut ruricolae (seu longe maxima pars incolarum) celebrent matrimonium quovis tempore, iuxta formam iuridicam ordinarie praescriptam (can. 1094 et seq.) effecit abhinc multo tempore ut nupturientes habeant pro licito vivere in coniugii modo donec tempore visitationis Parochi seu Missionis ambulantis (vulgo: « *desobrigas* »), matrimonium celebrent « in facie Ecclesiae ».

2) Ut patet, modus agendi supra memoratus viam aperuit ad connubia non legitima.

3) Promulgatum est deinde matrimonium civile quod *facilius celebratur quam matrimonium religiosum,* quia ruri constituuntur a Gubernio civili *testes qualificati* seu *iudices,* qui et ruricolae sunt, sed facultate praediti ad matrimonium civile ratum habendum; dum desunt Ministri Ecclesiae et (sicut iam diximus) prorsus ignoratur can. 1098. Adde quod Matrimonium Civile *iura dat* civilia (etiam in materia oeconomica) quae omnes magni faciunt: Matrimonium Religiosum iura dat spiritualia, quae infeliciter a paucis aestimantur, quia plebs ignorat religionem et de salute aeterna parum cogitat.

4) Hinc efficitur ut Matrimonium Religiosum in contemptum veniat et, ad summum, Matrimonio Civili coaequetur. Quod duo luctuosa mala affert quae in dies augescunt:

a) *Matrimonium simulatum* (etiam religiosum) ad dignitatem tuendam.

Etenim apud plebem dignitas postulat (consentiente, immo suadente atque adeo cogente ipsa Auctoritate Civili) ut corruptor (qui interdum ab ipsa puella allectus est) delictum luat ducendo puellam in matrimo-

nium, etiamsi ille (vel etiam uterque) propositum deliberatum habeat numquam habitandi cum coniuge. Omnes hoc sciunt; sed *ad bonam famam* (?!?) puellae tuendam parentes exigunt matrimonium et curant nuptias celebrare vel religiosas (circumvenientes Parochum mendaciis) vel civiles: ex vulgi opinione ad dignitatem tuendam utrumlibet matrimonium sufficit.

b) *Matrimonium* (ut ita dicam) *imperfectum,* ita ut, vivente priore coniuge, facultas non amittatur celebrandi alias nuptias.

In praesenti etenim *consulto* multi nuptias celebrant tantummodo religiosas vel civiles ut, si forte a priore coniuge discedant, ius servent ad novas nuptiae celebrandas.

6. *Existimatio vulgi de matrimonio « in facie Ecclesiae »*

Fere omnes in nostris regionibus:

a) norunt Ecclesiam tantummodo agnoscere validitatem *matrimonii catholici* (sicut ruricolae dicunt) et improbare contractum mere civile absque matrimonio « in facie Ecclesiae »;

b) proinde sciunt contractum mere civile esse peccatum;

c) sed catechismum ignorant et plane nesciunt Matrimonium inter christianos esse Sacramentum.

7. *De consensu nubentium*

Ad valide matrimonium ineundum revera minime requiritur in nubentibus, scilicet in ministris Sacramenti, cognitio de matrimonio ut Sacramento et intentio conficiendi Sacramentum.

Ut nupturientes autem consensum coniugalem elicere valeant, ideoque valide matrimonium contrahant (prout notat Cappello: *De Sacramentis,* vol. V, n. 590, 4) *requiritur* et sufficit cognitio circa haec tria:

a) quod matrimonium est quaedam societas permanens;

b) quod ista societas sive unio habetur inter virum et mulierem tantum;

c) quod societas ista sive unio ordinatur ad filios procreandos. Clarissime hoc eruitur ex ipso *Codice Iuris Canonici,* in quo legitur:

Ut matrimonialis consensus haberi possit necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanente inter virum et mulierem ad filios procreandos (can. 1082, § 1).

8. *De consensu christifidelium in matrimonio civili*

Per se, etiam si partes sint in mala fide, nihil vetat in contractu mere civili, etsi religioni maxime iniurioso, ut a nupturientibus detur consensus matrimonialis, id est eliciatur *verus actus voluntatis* ad tradendum

et acceptandum quantum in se est, ius coniugale etsi obstet lex Ecclesiae (cf. Cappello: *De Sacramentis,* vol. V, n. 589).

Censemus quod fere semper id contingat, in matrimoniis civilibus in nostra regione initis, seclusis, ut patet, casibus de quibus locuti sumus in 5: 4 *b.*

9. *Potestne matrimonium civile in quibusdam casibus vim habere Sacramenti? Etiam insciis nubentibus?*

Minime dubitamus quin in nostra regione plurima matrimonia civilia vinculum sacramentale inducant.

Omnia enim habentur ex quibus haec conclusio recte et ratione inferri debet:

1) Multis in locis abest Parochus (qui sine gravi incommodo neque haberi neque adiri potest) et ex notorio moralis certitudo habetur Parochum per mensem haberi non posse. Est casus praevisus in can. 1098 (cfr. etiam Responsionem Pontificiae Commissionis Codicis die 10 novembris 1925 ad dubium propositum).

2) Nubentes matrimonium civile coram iudice celebrantes, consensum matrimonialem praebent iuxta formam a can. 1098 praescriptum in casibus extraordinariis. Ex quonam capite possumus inferre illos christianos non celebrasse verum matrimonium quod est revera Sacramentum?

10. *Difficultates solvuntur*

Obiciunt quidem:

1) Contrahentes ad valorem actus debent noscere possibilitatem utendi forma a can. 1098 praescripta et debent habere voluntatem seu desiderium illa forma utendi.

Atqui Catholici generatim ignorant formam a can. 1098 praescriptam.

Respondetur negando prorsus maiorem: quando agitur de matrimonio ad valorem actus requiritur et sufficit consensus matrimonialis: « inter personas iure habiles legitime manifestatus » (can. 1091, § 1).

2) Sed contrahentes nequeunt consensum dare, cum noverint vel putent non sufficere actum civile, sed requiri formam canonicam ab omnibus notam.

Respondetur negando omnino assertionem allatam: consensus est actus voluntatis, qui optime existere potest, licet intellectus putet legem obstare, uti aperte declarat can. 1085: « Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimoniale necessario non excludit ».

3) Contrahentes saltem Sacramentum *inscii* peragerent, dum ad conficienda Sacramenta in ministro intentio requiritur explicita faciendi quod facit Ecclesia.

Respondetur dicendo quod in ministro « non requiritur intentio *ex-*

plicita conficiendi Sacramentum, aut expresse et reflexe agendi nomine Christi, aut ponendi ritum externum *ut formaliter et absolute sacrum,* vel *producendi effectum Sacramenti.* Haec omnia *impliciter* continentur in ipsa intentione faciendi quod faciet Ecclesia » (Cappello: *De Sacramentis,* vol. I, n. 40, § 2).

Contrahentes intentionem habent faciendi quod facit Ecclesia cum consensum praebeant, ut in can. 1081, § 1.

4. Contrahentes inter se indissolubili vinculo ligarentur, nihil de indissolubilitate cogitantes, immo forsan contra eorum persuasionem et voluntatem, si quidem vinculum matrimonii imponi nequit invitis, et consensus matrimonialis est actus voluntatis humanus, id est ex animadvertentia et voluntate elicitus.

Respondemus in ius vocando can. 1084 qui ita sonat: « Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem ».

5) Praetereundum non est can. 1098 non excludere praescriptum canonem 1019 de diligenti investigatione serio facienda ante matrimonium et quod, ex can. 1103, § 3 « testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum adnotetur ».

Haec norma numquam impletur.

Respondemus: Verum est hanc normam non impleri; sed peractio huius normae non est ad valorem matrimonii.

6) Omnia connubia civilia, in illis circumstantiis inita, ab Ecclesia uti Sacramenta habenda essent, lege quidem universali. Haec enim admitti nequit.

Respondemus verum esse omnia connubia civilia, *in illis circumstantiis* inita, ab Ecclesia uti Sacramenta habenda esse: non autem ex lege universali ab Ecclesia sancita ad connubia civilia rata habenda, sed tamquam casum particularem can. 1098 qui per se nullo modo contendit auctoritatem tribuere matrimoniis civilibus.

11. *Sed magnum detrimentum affertur sanctitati matrimonii*

Ex eo quod can. 1098 in nostris regionibus amplissimum usum habeat, etiam insciis christifidelibus, multa mala, maxime bigamiam, gignere potest.

Iam diximus (cfr. 5. 4 *b*) non raro, immo frequenter accidere ut contrahentes matrimonium civile, post aliquot annos cohabitationis (cum ex consortio liberi non pauci nati sunt), matrimonium catholicum inire contendunt cum alio coniuge.

Perdifficile autem est interdicere ei qui matrimonium civile contraxit, ne nuptiale sacrum conficiat cum alio coniuge, quia ad hoc faciendum necessaria esset norma clara et certa, vigens in tota Regione, vel *saltem* in Provincia Ecclesiastica.

E contrario, deest norma communis. Immo Episcopatus Brasiliensis aperte et officiose declaravit (Carta Pastoral Coletiva, n. 441, edita die 25 octobris 1948) *ad validitatem* matrimonii contracti coram solis testibus *necessariam esse in nubentibus notitiam de* can. 1098 (quod, uti ostendimus, putamus contra legem esse). Sed et ipsa Sacra Congregatio de Sacramentis huic sententiae assensit in responsione ad quaesitum a C.N.B.B. (Conferencia Nacionalis Episcoporum Brasiliensium) propositum (nisi fallor, anno 1955).

12. *Ad dubitationes tollendas minime expedit fideles edocere de can. 1098*

Ut iam innuimus, Auctoritas Ecclesiastica in Brasilia numquam fideles monuit de can. 1098.

Cogitares omnia melius mutatum iri si christifideles notitiam haberent de hoc canone. Hoc autem denegandum est, spectatis moribus consuetudinibusque plebis, scilicet mobilitate animorum, infirma religione fidelium, conscientia saepissime non formata vel omnino falsa, assuetudine in fraude et mendaciis aequo animo et sine dubitatione a ruricolis proferendis ut suis vel levissimis commodis consulent, censemus divulgationem canonis 1098 certe in melius non mutare miserrimam conditionem matrimonii christiani, sed reapse indecoram conditionem augere.

13. *Sed omnino optandum est ut perficiatur Codex in hac materia*

Ideo suademus ut in Codice admittatur alia forma celebrationis matrimonii, praeter illam quae in duobus peculiaribus casibus can. 1098 praescribitur.

Haec alia forma sic repraesentari posset:

Can. 1097 A

§ 1. *In locis ab ecclesia Paroeciali valde remotis. Parochus vel loci Ordinarius virum bene moratum, potissimum Catechistam, constituere potest testem qualificatum, qui, certiore facto Parocho de matrimonio ineundo et licentia a Parocho recepta, matrimonio assistat cum duobus saltem testibus.*

§ 2. *Parochus vel loci Ordinarius licentiam ne concedat, nisi, expletis omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda.*

Censemus ut in pluribus Paroeciis Brasiliae et totius Americae Latinae:

a) haec immutatio finem constitueret omni perturbationi atque enormi confusioni circa connubia,

b) et in pristinum honorem restitueret matrimonium christianum.

Nota 1

Evidenter si hoc fieret, necessariae essent aliquae immutationes in quibusdam canonibus:

1. Can. 1094 esset ita emendantdus: « ... et salvis exceptionibus de quibus in can. 1097 A, 1098, 1099 ».

2. Can. 1098 esset ita emendandus: « Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo Parochus vel Ordinarius vel Sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam can. 1095, 1096 vel testem qualificatum qui matrimonium assistat ad normam can. 1097 A:

1° In mortis periculo etc. ».

Nota 2

Ut patet, can. 1098 totam vim servat in locis ubi aliter fieri non potest.

✠ ALFONSUS M. UNGARELLI
Episcopus tit. Azurensis
Praelatus nullius Pinerensis

92

EXC.MI P. D. IOANNIS B. COSTA

Episcopi tit. Scilitani, Praelati nullius Portus Veteri (Pôrto Velho)

Porto Velho, 22 luglio 1959

Eminentissimo Cardinale,

Al ritorno del viaggio nell'interno della Prelatura trovai sopra il tavolino da lavoro la Circolare Prot. N. C/59-1541 di Vostra Eminenza. Ringrazio molto della vostra bontà nel ricordarvi di questo povero vescovo missionario che vive la più parte del tempo in mezzo alle dense foreste di questi posti così lontani, dimenticati molte volte da molti, non però dalla Santa Sede che sempre si ricorda di noi.

Mi dispiace che la mia lettera arrivi fuori del tempo stabilito e più ancora per non essere in grado di proporre argomenti per il futuro

Concilio Ecumenico. Molte cose mi vengono in mente. Il mondo va male e forse non sarebbe così se noi, a cominciare da me, fossimo più fedeli alla nostra vocazione. Manca nel mondo la vera preghiera e il senso di penitenza. Forse una chiamata all'ordine a tutti (« gens electa »), farebbe bene. Molti di noi seguiamo le novità di questo mondo senza Dio e vogliamo essere moderni per poter attrarre ma alle volte siamo attratti e perciò non possiamo far niente di bene. Il Signore crocifisso non è più, da molti, conosciuto e solo la croce salverà il mondo. Non sono proposte che faccio ma solo uno sfogo al mio cuore per non essere come dovevo essere. Tutto questo è per me. Eminentissimo Cardinale perdonatemi per non poter soddisfare come vorrei alla domanda e vi prego di pregare per me. Domandate al Santo Padre una grande benedizione per me in modo particolare e poi per tutti i miei sacerdoti e fedeli della Prelatura perchè possiamo essere il vero sale della terra e la luce del mondo. Il Santo Padre è amato e conosciuto dal nostro popolo. Molto preghiamo per lui e procuriamo di aiutarLo anche con mezzi materiali per far del bene. In questo il nostro popolo merita un elogio.

Quando si parla di aiutare la Chiesa nella persona del Papa tutti dicono: siamo pronti. Deo gratias.

Di V. Eminenza il più povero dei fratelli nel corpo e nell'anima.

✠ Giovanni B. Costa
Vescovo tit. di Scilio
Prelato nullius di Porto Velho

93

Exc.mi P. D. CAMILLI FARESIN

Episcopi tit. Bubastitani
Praelati nullius Registrensis (Registro do Araguaia)

Guirantinga, die 12 augusti 1959

Rev.me ac Em.me Domine,

Pergratum mihi fuit recipere Prot. N. 1 C/59-1542; nunc autem difficile mihi est respondere, nam deest capacitas. Tamen pro viribus faciam.

Pro nihilo habenda est opinio episcopi missionarii, qui vitam degit in partibus, in quibus adhuc existunt infideles; tamen meam audeo edere sententiam.

Certe maximo erit incremento pro religione nostra Concilium Oecumenicum, ita ut maior habeatur unitas in docendo, in actione liturgica ac sacramentali, et speciatim unitas mentium et cordium omnium christifidelium.

Bonum mihi videtur in ipso Concilio commendandum esse ut clerus magis ac magis sit curae Episcopis ac Superioribus religiosis, speciatim quoad pietatem, castitatem ac caritatem; ut instantius ac clarius enucleetur doctrina sacramentalis sive pro clero, sive pro fidelibus.

Veniam peto ab Eminentia Tua ac humiliter deprecor ut memor sis mei in precibus tuis.

Humilissimus servus in C. I.

✠ Camillus Faresin
Episcopus tit. Bubastitanus
Praelatus nullius Registrensis

94

Exc.mi P. D. PETRI MASSA

Episcopi tit. Hebronensis, Praelati nullius Fluminis Nigri (Rio Negro)

Rio de Janeiro, 14 aprile 1960

Monsignore,

Presentando cordiali ossequi, accuso ricevuta del pregiato Off. Prot. N. 1 C/59-1544 bis, del 21 marzo p. p., dovendo lamentare che non mi sia infelicemente pervenuta la venerata lettera di Sua Eminenza Rev.ma il Sig. Card. Tardini, del 18 giugno 1959.

Ciò è dovuto al pessimo servizio attuale delle poste, si lamentano infatti frequentemente questi disguidi postali.

Voglia quindi, Monsignore, presentare le mie scuse per l'involontaria mancanza, appressandomi a mandare il mio debole ed umile contributo, coll'intenzione di ottemperare all'Augusta Volontà espressa dal Santo Padre e domandando mi sia permesso farlo in lingua italiana.

Coi miei cordiali ossequi mi professo

Dev.mo Servo

✠ Pietro Massa
Vescovo tit. di Ebron
Prelato nullius di Rio Negro

1. Mi permetto proporre la convenienza, vorrei dire, la necessità di ridare alla Santa Chiesa l'Ordine del Diaconato con carattere fisso e permanente, coi doveri e le obbligazioni dettate dalla Tradizione Apostolica, confermate od aumentate dal Supremo Magistero della Chiesa.

Non è necessario presentare le ragioni di questa necessità, perchè sono troppo evidenti i bisogni di un aiuto efficace e permanente ai sacerdoti, ai parroci, alle associazioni parrocchiali, ai collegi, all'Azione Cattolica, data la scarsità attuale del clero, davanti alle sempre crescenti necessità della Chiesa ed alla sentita diminuzione delle vocazioni sacerdotali.

Rinnovare la disciplina dei primi tempi cristiani, ritornando alle fonti della Tradizione Apostolica, sarà mezzo efficace per ridare più elasticità e maggior estensione all'azione cattolica nei tempi attuali.

2. Mi permetto presentare la convenienza di concedere ai Vescovi — almeno a quelli di terra di missione — facoltà speciali a favore delle *vocazioni tardive,* che si presentano e che non possono essere utilizzate, data la disciplina attuale degli studi nei Seminari, che forma in questi casi, il grande ed insormontabile ostacolo, per profittare di questi sicuri elementi, già sperimentati alla vita, liberi dalle crisi della gioventù, fermi nel proposito, fattori questi che garantiscono la loro perseveranza.

Don Bosco ne profittò largamente, e — riportandomi appena all'esperienza da lui lasciata alla sua Congregazione — i Salesiani nei primi tempi, specialmente nelle terre di missione, colsero abbondanti frutti con un aumento di clero secolare e religioso sicuro e sperimentato per la diffusione della fede e della vita cristiana nelle loro terre di missione.

Degli Ecc.mi Vescovi, profittando di questi elementi formati vicino alla loro persona tra studi stentati e nello spirito apostolico di quell'ambiente, ebbero clero copioso e sicuro e tra quei sacerdoti vennero scelti dalla Santa Sede ottimi ed apostolici Vescovi.

Riducendo — data venia — gli studi filosofici ed ecclesiastici a favore di queste vocazioni di adulti dispensandoli il più che sia possibile dall'ambiente del Seminario, in contatto colla gioventù per natura spensierata, si apriranno le possibilità del Sacerdozio a vocazioni sicure, e sperimentate, portando alla loro futura vita sacerdotale e parrocchiale il frutto prezioso della loro età ed esperienza.

Si propone umilmente che quanto in determinati casi la S. C. degli Studi e Seminari concede a qualche Vescovo, venga esteso e facilitato in generale, quando le circostanze personali e locali lo consigliano pel bene della Chiesa e per la tranquillità dei rispettivi Ordinari.

✠ PIETRO MASSA
Vescovo tit. di Ebron
Prelato nullius di Rio Negro

95

EXC.MI P. D. IACOBI C. RYAN

Episcopi tit. Margensis, Praelati nullius Santaremensis (Santarém)

Santarém, die 26 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Valde pergratum mihi est significare Eminentiae Tuae quaslibet animadversiones quae mihi videntur tractari possunt in futuro Concilio Oecumenico.

1. Nonnulli ordinarii locorum, praesertim in regionibus dissitis missionum, cum solummodo sacerdotes regulares ordinum exemptorum habeant in ditione sua, perdifficiliter agere possunt in rebus pertinentibus ad munus pastorale ratione huius exemptionis. Suadent plures gravesque rationes quae inducere debent hunc sanctum Concilium ad examinandum modum reconciliandi exemptionem sacerdotum regularium et obligationem muneris pastoralis ordinariorum locorum.

2. Plerique in locis territorii missionum, ubi adest penuria sacerdotum, religiosi religiosaeque saepe Sancta Communione privantur. Nobis videtur rem resolvi posse concedendo facultatem superioribus administrandi Sanctam Eucharistiam sibi suisque religiosis.

3. Hodiernum munus pastorale suadet utilitatem studendi reformationem elenchi epistolarum evangeliorumque dominicalium ratione difficultatum comprehensionis aliquorum ipsorum fidelibus incultis.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam prosequor meque profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum

✠ IACOBUS C. RYAN
Episcopus tit. Margensis
Praelatus nullius Santaremensis

96

EXC.MI P. D. LUDOVICI A. PALHA

Episcopi tit. Lundensis
Praelati nullius SS.mae Conceptionis de Araguaia
(Santisima Conceição do Araguaia)

Conceição do Araguaia, die 6 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Laetus et congratulans Em.mo Cardinali quod electus sit a Summo Pontifice Ioanne XXIII Praeses Commissionis Pontificiae pro Concilio Oecumenico, me profiteor humilem servum in Christo Domino.

Laboro, ut Episcopus missionarius, in remota regione Brasiliensi, in silvis fluminis *Araguaia, Status* Pará, apud Indos Silvicolas, in Praelatura Sanctissimae Conceptionis de Araguaia.

Ratione longitudinis regionis communicatio tua, missa die 18 iunii (sub n. Prot. I C/59-1548) mihi pervenit tantummodo in mense augusti, die 4.

Timeo responsionem hanc, nunc missam, ne perveniat ad Sanctam Sedem tempore praefinito in mense septembri.

Ob exiguitatem temporis excusationem peto exiguitatis responsionis.

Certiorem tamen facio Eminentissimum Cardinalem Secretarium Concilii Oecumenici me in Sancto Sacrificio, quotidie, memoriam facere, specialiter intentionum Eminentissimi Cardinalis, preces fundendo pro Concilio Oecumenico.

Enixis precibus invoco Declarationem Solemnem Veritatis iam receptae in Magisterio Communi Sanctae Ecclesiae, nempe *Universalis Mediationis* Beatissimae Virginis Mariae. Est Ipsa, Mater Omnis Gratiae, Electa Mater Eius qui est *Fons Universalis* Gratiae, Iesu Christi.

In Brasilia, quaestio de *veste sacerdotali,* in aliquibus regionibus nunc agitata, mihi videtur, nullo modo urgere in regione nostra (Araguaia), ubi vestis talaris Sacerdotum in magna reverentia tenetur a populo Christiano et etiam a silvicolis.

In nostra ditioni araguaiensi, heu nobis, influxus Protestantismi angustiam nobis praebet, ob audaciam proselitarum.

Protestantes, ducti a Ministris alienigenis, praesertim anglis et americanis (ex Septemtrionali America) malum inferunt Fidei pauperum qui in Doctrina Catholica nondum perfecte sunt formati.

Protestantes qui in nostris regionibus advenerunt sunt in haeresi fana-

tici. Argumenta Veritatis non pro eis valent. Nec volunt pacifice loqui de cognitione Veritatis Catholicae Fidei. ... Oramus ut Dei Providentia vellit tam infensam voluntatem mutare.

Eminentissime Domine suppliciter a Te peto ut benedictionem tuam mihi impertias et nostrae Praelaturae Missionariae.

Gratum et reverenter,

Servus in Christo Iesu
✠ Ludovicus A. Palha
Episcopus tit. Lundensis
Praelatus nullius Ss.mae Conceptionis de Araguaia

97

Exc.mi P. D. DIDACI PARODI

Episcopi tit. Centenariensis
Prelati nullius Sancti Antonii de Balsas (Santo António de Balsas)

Papiae, die 17 decembris 1959

Eminentissime Princeps,

Paucissimis ante diebus tantummodo, tuas, quas de proximo parando Oecumenico Concilio misisti litteras, ex Sede Praelaturae mihi transmissas, recepi.

Gratulor praeprimis hoc de pergrato proximo futuro eventu; gratiae agantur Deo necnon SS.mo D. N. Divina Providentia Papae Ioanni XXIII.

Libenter una cum christifidelibus toto in orbe terrarum exstantibus supplices Deo et Beatae Mariae Virgini preces effundam pro felici tanti instituti exitu.

Cum hisce ultimis mensibus diversas ob rationes a Praelaturae Sede abfuissem, non potui eiusdem prudentes viros ecclesiasticos alloqui de hac re. Aliqua tamen, quae maioris mihi visa sunt momenti, sincero pandam animo.

In primis ad doctrinam quod attinet:

In proximo futuro Oecumenico Concilio bonum forsan erit novum intexere sertum coronae gloriae Beatae M. V., definiendo scilicet tamquam a Deo revelatam doctrinam quae tenet B. Mariam Virginem fuisse apud Christum Mediatorem constitutam Mediatricem omnium gratiarum.

Non parum utilitatis videtur si, attentis magnis progressibus in scientiis de re biblica ultimis hisce temporis peractis, nova integra curetur

translatio ex textibus primigeniis totius Veteris et Novi Testamenti in linguam latinam. Hoc etiam ut Ecclesia magis magisque hac in re in aestimationem veniat apud coetus dissidentium, Protestantium praesertim.

In re pure disciplinari:

Nova revisio Codicis Iuris Canonicis prae se ferat maiorem practicitatem, in administrativis praesertim; hoc praeprimis relate ad potestatem, quae nunc ab Ordinario delegatur, v. g. in assistendo ad matrimonium.

Pro confessionibus audiendis: magis necesse est ut extendatur et simplificetur facultas, etiam ad can. 209 quod attinet. Pro praxi: extendatur ad Episcopos privilegium audiendi ubique terrarum confessiones etiam religiosorum utriusque sexus sicut iam statutum est pro S. R. E. Cardinalibus in can. 239, § 1, 1; insuper sacerdotibus omnibus facultas concedatur sibi suisque familiaribus eligendi in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario loci, eodem modo, ac de Cardinalibus et Episcopis statuitur in Codice Iuris Canonici. Huius tenoris facultates multum iuvarent.

Forsan relate ad celebrationem Paschatis aliquid statuere poterit Concilium quoad datam fixam. Cum, multis tentaminibus et consiliis negative habitis, nihil statutum sit, ad hoc pervenire poterit ut celebretur primo die dominico aprilis cuiusque anni.

Renovatio liturgica, iam incepta, ad finem perducatur, praesertim relate ad Divinum Officium et ad actuosam participationem fidelium in celebratione liturgica.

Maximae utilitatis est, praesertim in regionibus aequatorialibus, diminutio paramentorum, pontificalium praesertim.

In distribuenda S. Communione, formula nunc vigens abbrevietur; ita v. g. « Corpus Christi custodiat te ».

Facultates sic dictae « Formulae Maioris » magis extendantur quoad subiectum activum.

Reducatur recursus parochorum ad Ordinarium pro celebratione matrimonii, cum practice ultima responsio pertineat hac in re ad eos qui res de visu tangunt.

A Domino Deo nostro quaequae fausta tibi adprecor, dum Eminentiae tuae

me profiteor add.mum
✠ Didacus Parodi
Episcopus tit. Centenariensis
Praelatus nullius Sancti Antonii de Balsas

98

Exc.mi P. D. AEMILIANI I. LONATI

Episcopi tit. Epiphanensis in Cilicia, Praelati nullius S. Iosephi de Grajau
(São José do Grajaú)

E Civitate Grajaù die 7 aprilis 1960

Eminentissime Praeses,

Litteris tuis, diei 18 iunii 1959 — Prot. N. 1 C/59-1959 bis — nondum dedi responsionem quia adhuc non acceperam litteras tuas quibus cito respondeo; qua de causa habe me excusatum de invicta mora.

Laeto animo notitiam de Concilio Oecumenico accipio, summe autem cupio et voveo ut Deus copiose futurum Concilium Oecumenicum benedicat, opimosque fructus ad Sanctae Matris Ecclesiae victoriam, animarum bonum et Dei gloriam gignat.

Ex parte mea opiniones, consilia et nova vota ad patefacienda minime teneo, quia habito in regionibus remotis, in silvis maragnensibus ubi consuetudinem cum necessitatibus huius saeculi non habeo, et Praelatura abest a cultu atque humanitate huius temporis, dum incolae vitam paene primitivam ducunt et longissime illis leges ecclesiasticae huius aetatis sufficiunt.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

✠ Aemilianus I. Lonati
Episcopus tit. Epiphanensis in Cilicia
Praelatus nullius S. Iosephi de Grajau

99

EXC.MI P. D. IOACHIMI DE LANGE

Episcopi tit. Photicensis, Praelati nullius Tefensis (Tefé)

Die 15 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Acceptis litteris Eminentiae Vestrae, Prot. N. 1 C/59-1551, quoad communicanda vota et consilia Pontificiae Commissioni pro Concilio Oecumenico, videtur mihi ut reverenter dicam quae sequuntur:

Quoad doctrinam. Multi errores disperguntur in America Latina per Spiritismum et Sectas Protestantes hodiernas. Solutio huius quaestionis stat in obtinendo numero sufficienti sacerdotum, quia experientia probat, quod ubi adest sacerdos, ibi sectae non prosperant. Multum iam fit ad augmentandum numerum seminariorum, sed fundamentum bonae vocationis stat in familia christiana; ad has familias formandas omne opus adhibendum necessarium esse videtur.

Quoad Disciplinam Populi Christiani. Infelici modo homines principales maxime sollicitantur ad intrandum in sectam Massonicam, vel ad minus in Societatem quae dicitur « Rotary ».

Hi homines plerumque non resistunt quia formatio Catholica eorum pauca est et quia alliciuntur ratione protectionis in negotiis vel ad promotionem obtinendam.

Qui in has sectas intrant, si non directe mali, tamen quoad religionem omnino indifferentes fiunt, et nefastus laicismus in vita civili multum propagatur.

Contra hoc medium optimum esse videtur ut erigantur societates, uti « Equites Columbi » in America Septentrionali, sicque formentur societates hominum catholicorum principalium qui per principia catholica agantur contra tendentiam laicalem.

Doctrina Socialis Catholica. Operarii generatim omnes pauperes sunt, et applicatio doctrinae socialis catholicae necessaria est, quia vita, speciatim hominum ruralium, misera est quoad terrenum et habitationem sicut quoad alimenta et educationem filiorum.

Sed patroni persaepe latifundiarii sunt et operarios magis vel minus ut servos tractant.

Habetur etiam absentia responsabilitatis in administratione negotiorum publicorum gerenda — proprius provectus nimis quaeritur —, et sic prosperitas et progressus civitatis — saltem quae non sit capitalis Status — abest.

Haec omnia omnino adiuvant ad praeparandam viam Communismi.

Quoad Sacram Liturgiam. Novae Instructiones Sanctae Sedis multum adiuvant in formatione liturgica populi Christiani, sed adhuc quaenam desiderantur ut recitatio lingua vulgari Passionis D.N.I.C. et Profetiarum in Hebdomada Sancta et etiam si possibile sit, Missae Cathecumenorum.

Occasionem nactus Eminentiae Vestrae ex corde devotionis meos sensus pando meque profiteor

Eminentiae Vestrae
in Christo addictissimum

✠ Ioachimus de Lange
Episcopus tit. Photicensis
Praelatus nullius Tefensis

100

Exc.mi P. D. CLEMENTIS GEIGER

Episcopi tit. Olenensis, Praelati nullius Xinguensis
(Xingú)

Altamira, 9 octobris 1959

Beatissime Pater,

Humillime ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, certiorem facio, me Litteram Vestram fine mensis septembris accepisse, quod responsum meum tardavit.

Cum gaudio accepi notitiam de celebratione Concilii Oecumenici in proximo tempore.

Quod ad quaestiones attinet, de rebus et argumenta proponere, humiliter exponimus, ut sequitur.

Necesse esse videtur, ut simili modo quo in Concilio Vaticano de Creatore, de Revelatione et de Fide et Ratione actum fuit, in proximo Concilio amplius de Divina Providencia agatur et veritates aeternae de resurrectione carnis et de Novissimis magis elucidentur, ut spes christiana corroboretur contra heresias modernas fatalismi, spiritualismi et reincarnationis.

Necesse esse videtur, ut, propter magnam inopiam sacerdotum in multis regionibus, coadiutores laici instruantur, et caelibes et uxorati, qui bonis moribus se distinguunt, qui forsitan etiam ordines minores recipere possint, ut ad muneris officium magis stimulentur.

Magna pars populi christiani sanctum sacramentum matrimonii non aestimat vel despicit vel etiam sacramento matrimonii recepto, se separat. Aliqui contractum civile matrimonii ob lucrum materiale plus aestimant quam sacramentum matrimonii. Videtur necessaria instructio amplior sponsorum ad ineundum matrimonium.

Omnes christiani, sacramento confirmationis corroborati, gratiam cooperationis activae in Ecclesia receperunt. Videntur necessariae normae adaptatae his temporibus, ut omnes confirmati secundum circumstantias etiam pro salute animarum aliorum pro viribus operam dent.

In nostra Praelatura Missionis valde pauci sacerdotes adsunt et valde difficile mihi est, ad quaestiones respondere.

Deo adiuvante, cum toto populo christiano preces effundimus, ut Concilium Oecumenicum multos fructus afferat ad maiorem Dei gloriam et animarum salutem.

✠ Clemens Geiger
Episcopus tit. Olenensis
Praelatus nullius Xinguensis

101

Rev.mi P. D. MARTINI MICHLER

Abbatis nullius B. M. Virginis de Monserrato Fluminis Ianuarii
(N. S.ra do Monserrate do Rio de Janeiro)

Die 30 iulii 1959

Eminentissime Princeps,

Eminentiam Tuam in Domino reverenter salutans certiorem reddere intendo de acceptis litteris n. 1 C/59-1561, quibus nomine Augusti Pontificis regnantis de proximo Concilio Oecumenico agebas.

Omnia fausta laboribus exoptans quibus nunc incumbit Eminentia Tua ad huiusmodi certamen praeparandum, petitioni Tuae occurrere vellem suggerendo quae ex praxi pastorali in regione Brasiliensi, sicut in tota America Latina, obtruduntur tamquam opportuna materia deliberationum conciliarium.

Omnibus perpensis, mihi videntur magno emolumento Ecclesiae Dei provisuri Patres Synodales si ritus Sacrae Liturgiae magis ac magis participationi populi christiani patefacient. Strenue desiderandum celebrationem Sacrificii Eucharistici, administrationem Sacramentorum necnon commemorationes ad annum liturgicum pertinentes ritibus vividis et simplicibus peragi, ita ut multitudo fidelium sensum huiusmodi actionum sacrarum mente comprehendere ac toto animo insequi possit.

Hoc fine obtento, vitabitur exodus multorum qui, fere nihil intelligentes de Liturgia Sanctae Ecclesiae, sese ritibus novarum sectarum (Spiritismi et Protestantismi) committunt, quo sensui suo religioso aptius consulere possint. Pariter credendum est quod christifideles ex intimiore contactu cum ritibus sacramentorum et sacramentalium uberiores fructus sanctificationis capient, quibus clarius testimonium fidei coram mundo ferre valeant.

Gratum animum Eminentiae Tuae impendo pro benevolentia qua huiusmodi votis prospicies.

Sacram Purpuram obsequiose osculans Eminentiae Tuae in Domino addictissimus maneo

✠ Martinus Michler
Abbas nullius B. M. Virginis de Monserrato
Fluminis Ianuarii

102

Exc.mi P. D. ARMANDI LOMBARDI
Archiepiscopi tit. Caesariensis Philippi, Nuntii Ap. in Brasilia

Rio de Janeiro, 4 dicembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Facendo seguito al mio rispettoso Rapporto N. 1.991, del 22 luglio u. s., ho l'onore di rimettere alla Eminenza Vostra Reverendissima, nell'Allegato qui unito, le mie sommesse proposte circa gli argomenti che potrebbero essere trattati nel prossimo Concilio Ecumenico.

Riterrei, in tal modo, di aver dato risposta alla venerata Circolare N. 1 C/59-1655, in data 18 giugno 1959, di codesta Pontificia Commissione Antipreparatoria del Concilio Ecumenico.

L'ingente lavoro di questa Nunziatura Apostolica non mi consente, purtroppo, una più profonda elaborazione delle proposte che, *uti minus sapiens,* oso sottoporre all'esame della detta Pontificia Commisssione.

Mi valgo della circostanza per chinarmi al bacio della Sacra Porpora ed esprimere i sensi della mia profondissima venerazione, con i quali ho l'onore di confermarmi

della Eminenza Vostra Reverendissima
umilissimo devotissimo obbligatissimo
servitore
✠ Armando Lombardi
Vescovo tit. di Cesarea di Filippi
Nunzio Apostolico in Brasile

A) *In re doctrinali*

Proximi Concilii Oecumenici onus atque munus videtur esse non tam novis dogmatibus definiendis operam dare theologicasque controversias dirimere, quin potius noviter praesentare uberiusque explanare christianam doctrinam in iis praecipue quae nunc temporis magis necessaria vel utilia videntur quaeque veluti exspostulantur a praesentibus rerum adiunctis, seu in praesenti condicione humani generis et Catholicae Ecclesiae, in campo — uti dicunt — scientifico et technico, philosophico, theologico, historico, sociali, politico et pastorali.

Hisce praepositis, arbitror schema quoddam confici posse rerum et argumentorum, logice dispositorum, quae in Concilio pertractari possent, quaeque per summa capita sequentia essent.

1. In campo, uti dicunt, scientifico et technico, praesertim quod attinet ad extraordinarios mirandosque progressus in scientiis naturalibus et in novissimis conatibus navigationis « spatialis »: nova affirmatio existentiae Dei Creatoris necnon finis creationis et finis ultimi creaturae rationalis (qui finis optime cohaeret cum maximo progressu scientifico); uberior explanatio quaestionis de evolutionismo; solutio difficultatum quae ex Sacris Scripturis oriuntur quoad originem mundi et generis humani.

2. In campo philosophico et philosophico-theologico: nova affirmatio existentiae, spiritualitatis et immortalitatis animae humanae; solemnis damnatio materialismi scientifici et practici (Communismi athei); explicatio de valore vitae humanae et historiae humanae in doctrina christiana.

3. In campo stricte theologico, contra formam quandam Neopelagianismi moderni aliosque errores quae passim grassantur: puncta fundamentalia de necessitate et effectibus Redemptionis et Gratiae Christi.

4. In Mariologia: « positio » — uti dicunt — B. M. Virginis in dogmate et in pietate christiana.

5. Ad Ecclesiam Christi quod attinet:

a) in campo religioso, quoad filios separatos: materna vehemensque adhortatio ad unitatem instaurandam; conatus studiumque ut facilior reditus reddatur schismaticorum et protestantium;

b) in re oeconomica et sociali: summa capita doctrinae socialis Ecclesiae et quodnam sit munus proprium Ecclesiae in hac re;

c) in re politica: relatio Ecclesiae cum factionibus politicis quae dicuntur catholicae vel congregantes fideles catholicos; normae servandae a fidelibus catholicis activitati politicae deditis;

d) in re internationali: solemnis declaratio « positionis » super-

nationalis Ecclesiae, quae nulli humanae institutioni (« civiltà, sistema sociale, ordinamento politico ») illigatur; aequalitas iurium omnium hominum, cuiuscumque coloris vel nationis, coram Ecclesia: hinc damnatio « razzismi » necnon nationalismi exaggerati; solemnis declaratio missionis supernaturalis Ecclesiae, cuius est, in rebus huius mundi, partes gerere caritatis et pacis; vehemens adhortatio in favorem populorum magis pauperum et ingentis multitudinis eorum qui adhuc fame premuntur et pereunt; ardens conclamatio ad Gubernia ut, sepositis quaestionibus publicis, Ecclesiae Christi libertatem reddant; vehemens adhortatio ad Gubernia universi orbis ad pacem servandam.

6. Arbitror Concilium Vaticanum I iam sufficienter tractasse doctrinam de Romano Pontifice.

7. Quae de Episcopis et de clericis in genere, fortasse parata sed tractata non fuerunt in supradicto Concilio, mihi videtur examini subiicienda esse proximi Concilii.

8. Ad laicos quod attinet, conveniens videtur subtilior investigatio de eorum statu in Ecclesia et de possibilitate maioris et strictioris cooperationis laicorum in munere pastorali; vel etiam de possibilitate concedendi laicis uxoratis facultatem aliqua munera sacra exercendi, quae facultas sit necessario coniuncta vel non coniuncta receptioni alicuius ex Ordinibus Minoribus vel Maioribus.

B) *In re disciplinari et pastorali*

1. Cum gravissimum omnium malorum sit hodie ignorantia religiosa fidelium, mihi videtur necessarium esse studium omnium mediorum catholicae doctrinae tradendae, modo magis accomodato praesentibus adiunctis et — uti dicunt — « modernae formae mentis ».

2. Nova et severa instructio circa verbi divini praedicationem, quae multoties sic gravibus defectibus laborat ut nullum vel contrarium effectum consequatur.

3. Gravis monitio circa publicam immoralitatem quae facillime se spectandam omnibus praebetur in civitatibus quae christiano nomine gloriantur, quaeque fortasse apud infideles et in nationibus sub regimine communistarum non tam evidenter et procaciter omnibus patet.

4. Documentum de genuinis lineamentis pietatis christianae, ad tollendum omne quod superstitionem sapit, praesertim in cultu Sanctorum, et omne quod contrarium est sensui Ecclesiae Catholicae.

5. Cum multis in locis templa desint et sacerdotes impares sint, ampliandae sunt facultates celebrandi extra ecclesiam et sacrum iterandi etiam diebus ferialibus.

6. Novo examini subiicere privilegium *exemptionis religiosorum,* eo fine ut Episcopus facilius possit Regularibus uti in sacro ministerio.

7. Quaestionem dirimere de habitu ecclesiastico in nationibus latinae originis, cum apud clericos magna sit expectatio decisionis Concilii hac in re.

8. Reformatio aliqua legislationis matrimonialis, praesertim ad casus nullitatis minuendos et ad scandala vitanda quae oriuntur ex sententiis Tribunalium Ecclesiasticorum, quae nullitatem matrimonii declarant post multos (aliquando, post triginta vel quadraginta) annos cohabitationis multisque cum liberis. Scandalum gravius est quando de matrimonio agitur principum et potentatuum huius mundi.

9. Studium novae rationis seu novi systematis administrativi instaurandi, eo fine ut possibilis aliquando evadat suppressio taxarum pro administratione sacramentorum vel pro funeribus, ita ut haec religiosa officia aequaliter omnibus fidelibus impendantur ab Ecclesia, pia matre communi.

10. In reformatione Codicis I. C., reductio privilegiorum quae « mentalitati » et sensui iuridico moderno minime congruunt quaeque pugnant cum « sensibilitate » sociali huius saeculi.

11. Maior amplitudo et simplificatio facultatum Episcoporum: reductio diversarum fontium facultatum in unum indicem, faciliori et clariori modo redactum.

12. Nova distributio, efficacior activitas et expeditior modus agendi Sacrarum Congregationum Romanarum (« snellire e sveltire »).

C) *In re liturgica*

1. Reformatio Kalendari, non eo fine ut adoptetur sic dictum « Kalendarium Universale », iam a Societate Nationum, nunc autem a Nationibus Unitis propugnatum; sed eo fine ut singulis annis fixetur Pascha Resurrectionis in dominico die qui magis proximus est diei octavi vel noni aprilis (qui videtur esse dies Resurrectionis Domini). Sed haec res non videtur magni momenti.

2. Maior participatio fidelium in aliquibus functionibus liturgicis, iuxta normas quae a Sede Apostolica vel a Concilio Oecumenico sunt determinandae, non autem relinquendae iudicio singulorum Ordinariorum.

3. Introductio vernaculae linguae in aliquibus sacris caeremoniis, praesertim in administratione Sacramentorum (quod iam probatum est a Sancta Sede pro aliquibus locis).

4. Urgens reformatio Breviarii Romani, iuxta normas quas dicunt iam datas esse a S. P. Pio XII.

5. Reductio et simplificatio quarumdam caeremoniarum pontificalium, praesertim Consecrationis Altaris et Ecclesiae. Item, reductio vel suppressio aliquorum paramentorum pontificalium.

✠ Armandus Lombardi
Archiepiscopus tit. Caesariensis Philippi
Nuntius Ap. in Brasilia

103

Exc.mi P. D. HIERONYMI MAZZAROTTO

Episcopi tit. Arsinoitani in Arcadia, Auxiliaris Curitibensis

Curitibae, 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratam epistolam Eminentiae tuae accepi, qua mihi significabas Summum Pontificem Ioannem XXIII instituisse Commissionem antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico.

Libenti animo et omni cum sinceritate et libertate, uti Eminentia tua exoptat, praefatae Pontificiae Commissioni animadversiones et consilia, quae sequuntur, communicare velim.

1. Sacramentum Confirmationis ministrare tantum adultis qui rationis usum habent.

2. Mos Missae vespertinae communior et facilior fieri debet.

3. Diem celebrationis Paschalis determinare.

4. Usum decimarum restaurare, ut gratuita sacramentorum administratio fiat.

5. Usum linguae vernaculae instaurare etiam in administrandis sacramentis Confirmationis et Extremae Unctionis.

Idem, in exsequiis recitatis.

6. In locum explanationis Evangelii dominicalis substituere instructionem catecheticam, iuxta normas ab Ordinario statutas faciendam.

7. Permittere laicis, ab Ordinario legitime designatis, administrationem sacramenti Baptismi et instructionem catecheticam populi, ubi id perutile videtur.

Haec omnia Ecclesiae animarumque bono profutura videntur. Bona

omina pro felici futuri Concilii Oecumenici celebratione facio, ac insuper impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentia Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus
✠ Hieronymus Mazzarotto
Episcopus tit. Arsinoitanus in Arcadia
Auxiliaris Curitibensis

104

Exc.mi P. D. ANTONII FERREIRA de MACEDO
Episcopi tit. Attudensis, Auxiliaris S. Pauli in Brasilia

Sancti Pauli, in Brasilia, die 29 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteras a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, die 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-2168) datas rite accepi.

Circa res et argumenta in futuro Concilio Oecumenico tractanda opiniones et sententias una cum Eminentissimo Cardinali Vasconcellos Motta, Archiepiscopo sancti Pauli in Brasilia simulque cum eius Episcopis Auxiliaribus, per litteras, die 22 augusti 1959, ab omnibus subsignatas, patefecimus.[1]

Praeter illas opiniones et sententias, alias particulares, data venia, addere volumus.

I. *Quoad doctrinam*

Postulatur ut doctrina de B. V. Mariae Maternitate universali et spirituali (relate ad fideles), deque eius Mediatione omnium gratiarum fusius explicitetur et declaretur.

II. *Quoad disciplinam*

1. Propter penuriam sacerdotum, de iudicio et licentia Ordinarii, detur Superioribus Congregationum Religiosarum utriusque sexus, in quibusdam specialibus circumstantiis, permissio sacram Communionem distribuendi et Sanctissimam Eucharistiam ad adorationem exponendi pro sodalibus, necnon pro alumnis ac pro famulis et famulabus (de Congregatione virorum hic intelligitur « laicorum »).

---

[1] Cf. pp. 251-254.

2. Simplificetur, in *C.I.C.*, divisio et discrimen poenarum ecclesiasticarum latae sententiae reservatarum (cf. can. 2314-2414).

3. Urgeatur prohibitio, ne clerici scientias profanas in scholis publicis cum tanto damno curae animarum doceant. Sacerdos sit pro animabus et non in primis pro alio servitio.

Summa qua par est reverentia, sacram purpuram deosculans, permaneo Eminentiae Tuae

humilis servus

✠ Antonius Ferreira de Macedo
Episcopus tit. Attudensis
Auxiliaris S. Pauli in Brasilia

105

Exc.mi P. D. PHILIPPI CONDURU PACHECO
Episcopi tit. Decorianensis

Sancti Ludovici de Maragnano, 26 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Spiritus qui hodie in clero frequenter dominatur spiritus est independentiae. Sic habitum talarem multi clerici deserere volunt quod Deus avertat et in seminariis disciplina relaxata est.

Alia exponant episcopi residentiales.

Nihil amplius exponere vult

✠ Philippus Conduru Pacheco
Episcopus tit. Decorianensis

106

Exc.mi P. D. ADELMI MACHADO CAVALCANTE
Archiepiscopi tit. Leontopolitani in Pamphilia
Coadiutoris c. s. Maceiensis

Maceió, 31 de março de 1960

Eminentíssimo Senhor,

Atendendo à carta de Vossa Eminência em que solicita sugestões para e agenda da Pontifícia Comissão Ante-Preparatória do Concílio Ecumênico, envio, respeitosamente, as seguintes sugestões, em folha anexa a esta carta.

Com meus votos de luzes do Divino Espírito Santo em favor de Vossa Eminência e de todos os membros da Pontifícia Comissão Preparatória do Concílio Ecumênico,

subscrevo-me de Vossa Eminência

✠ Adelmo Cavalcante Machado
Arcebispo Coadjutor de Maceió

1. Simplificação do ceremonial das bênçãos dos santos óleos do batismo e da crisma, na quinta-feira santa.

2. Suprimir o sôpro e a saliva do ceremonial do batismo.

3. Ampliar o uso da língua latina, o mais possível, na sagrada Liturgia.

4. Dar andamento à reforma e simplificação do breviário, que já foram obieto de consulta ao episcopado.

5. Explicitar, no Código do Direito Canônico, a posição do leigo em face do apostolado, por fôrça dos direitos e deveres que lhe vêm do batismo e da crisma.

6. Tôdas as paróquias seriam amovíveis.

7. Suprimir a pena de excomunhão para o leitor, sem as atuais causas canônicas excusantes, de edições do texto da Sagrada Escritura não aprovadas por Autoridade Eclesiástica, mantida, porém, a proibição da leitura de tais edições.

8. Reduzir, ao mínimo necessário, o número das penalidades canônicas.

9. Atendimento em favor do padre apóstata, que conservou a fé e se prendeu por vínculos sociais a situações, das quais não quer se afastar, mas pede, humildemente, à Santa Sé, que o reduza ao estado leigo, liberando-o dos deveres meramente eclesiásticos, inclusive do celibato.

10. Deixarem de ser reservados à Santa Sé os benefícios canonicais das catedrais e paroquiais, se os seus beneficiários forem promovidos, pela Santa Sé, a algum título honorífico.

11. Reduzir as fórmulas da profissão de fé e do juramento antimodernístico, conservando o essencial e usando expressões que, com clareza embora implícitamente, digam tudo o que as atuais fórmulas minudentemente explicitam.

✠ Adelmo Cavalcante Machado
Arcebispo Coadjutor de Maceió

107

Exc.mi P. D. GABRIELIS P. BUENO COUTO

Episcopi tit. Leuceni, Auxiliaris Taubatensis

1. *Quoad clerum saecularem*:

a) oportet, fortasse, explicita et formali Apostolicae Sedis declaratione, Sacerdotibus cleri saecularis *munus paroeciale* proponere tamquam eorum vocationis apostolicae *finem primarium et principalem.*

Hoc semel statuto, sive candidatorum electio sive clericorum institutio planior evaderet atque iucundior. Nec alia munera aliquando ex oboedientia sacerdoti exercenda ut sunt munera curialia, castrensia aliaque quidquam huic conceptui detrahere videntur, cum ut verae muneris paroecialis « specificationes » haberi possint.

2. Ordinibus et Congregationibus religiosis virorum quae vi Regulae ad apostolatum tantum in genere tenentur, nulla opera specifice determinata, idem *munus paroeciale,* per positivum et formale Apostolicae Sedis mandatum, assignetur tanquam eorum vitae activae finis *primarius et principalis.* Reliqui deinde Ordines sive Congregationes, quae ad specificum apostolatus opus tenentur, ut huic operi totis viribus *unice* indulgeant urgeantur. Sic acies religiosorum ordinata, tamquam praecipuorum cleri saecularis collaboratorum, ad mystici Christi corporis aedificationem mirifice conferret, cum hodie tantopere vis sic dictarum « specializationum » extollatur.

3. Satis opportunum esset, ut videtur, *textum unicum pro universa Ecclesia Latina* ad doctrinam christianam pueris et adultis impertiendam, *unicum* scl. *catechismum* conficere et formali praecepto, imponere, originaliter quidem latine exaratum, de cuius tamen singulis versionibus ipsa Apostolica Sedes curaret. Unitas in docendo maiorem, ut videtur, firmitatem in credendo gigneret nec ipsa doctrina moralis sive dogmatica liberalismi religiosi periculo exponeretur.

4. Peropportunum videtur omnia Apostolicae Sedis documenta, quae in populi christiani bonum publici iuris fiunt, linguis etiam aliis quam latina edi, illis saltem quibus Annuarium Pontificium edi nunc solet. Secus vel mutila ad populum pervenient vel suspecta pro maiori vel minori reliquorum traductorum peritia.

5. Pianae Psalterii novissimae versionis usum saltem in privata vel in chorali sine cantu Breviarii recitatione lege generali imponere.

6. Stationem Radiophonicam « Vaticano » ita disponere ut easdem in orbe catholico partes agat ac in mundo laico anglica BBC vel ameri-

cana « Voice of America ». Hoc, ut videtur, mirum in modum ad christianam confraternizationem conferret. Esset *nostra* statio.

7. Alicui Ordini vel Congregationi virorum munus demandare ex professo de sacerdotum apostatarum salute curandi, iuxta speciales quas de re Sedes Apostolica normas tulerit. Via ipsis planior patefaceret ad resipiscentiae sensus.

8. Praecepto formali omnes eiusdem territorii nationalis loci Ordinarios compellere ad stationem *nationalem catholicam* radiophonicam constituendam, *unicam* pro toto territorio; idem quoad *folium quotidianum catholicum.*

9. Omnes societates fidelium laicas vel non quae operibus *externis* apostolatus addicuntur, loci Ordinarii iurisdictioni subicere *etiam quoad internum regimen,* qui tamen talem exercebunt iurisdictionem in solidum cum propriis superioribus, sicut relate ad parochos religiosos accidit. Potest enim aliquando accidere ut opera externa apostolatus aliqualiter debilitentur ob interni regiminis defectus, qui expeditius sanarentur loci Ordinario agente.

10. Canones dogmatici proferantur circa potestatis episcopalis originem, quaestionem dogmaticam dirimentes utrum nempe sit mediata vel immediata.

11. Omnibus sacerdotibus facultatem concedere sacrum B. M. V. de Monte Carmelo scapulare fidelibus imponendi in periculo mortis constitutis, formula etiam breviori adhibita, cum opus fuerit.

12. *Solèmni definitione declaretur Beatissimam Virginem Mariam esse omnium gratiarum mediatricem.*

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
in Sancta Matre Ecclesia
addictissimus servus

✠ GABRIEL P. BUENO COUTO
Episcopus tit. Leucenus
Auxiliaris Taubatensis

108

Exc.mi P. D. ADOLFI A. BOSSI

Episcopi tit. Parnasseni, Coadiutoris c. s. Praelati nullius S. Iosephi de Grajau

Graiau, 26 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Post longam peregrinationem sex mensium per dissitas et extensissimas paroecias huius Praelaturae, nunc rediens ad sedem invenio epistulam Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico. De mea responsione infra tempus determinatum non missa, humiliter veniam peto.

Eminentissime Domine, cum sim Episcopus nuper electus imparem me sentio ad animadversiones, consilia et vota communicanda huic praeclarae Pontificiae Commissioni. Me omnino subicio iis omnibus quae Sanctae Matri Ecclesiae edocere et imponere placuerit, pariterque assentior omnibus quae Exc.mi ac Rev.mi Episcopi Brasilienses huic Pontificiae Commissioni suggerant.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus
✠ Adolfus A. Bossi, O. F. M. Cap.
Episcopus tit. Parnassenus
Coadiutor c. s. Praelati nullius S. Iosephi de Graiau

109

Exc.mi P. D. ANSGARII de OLIVEIRA

Archiepiscopi tit. Rhoinensis
Administratoris s. p. Marianensis et de Pouso Alegre

Qua Administrator Apostolicus « sede plena » Archidioecesis Marianensis simulque Dioecesis de Pouso Alegre, in Brasilia, respondentes Prot. N. 1 C/59-2518 et N. C/59-1068, summa cum reverentia, humiliter et omnimoda cum submissione has proponimus suggestiones:

In re liturgica

1. Ad simpliciorem brevioremque formam reddatur ritus consecrationis ecclesiae atque altaris inamovibilis.

2. Quaedam animadversiones in sacri persbyteratus collatione sup-

primantur: v. g. « ... moneo te, ut diligenter totius Missae ordinem, atque Hostiae consecrationem, ab aliis iam doctis Sacerdotibus discas, priusquam ad celebrandam Missam accedas ».

3. In administratione Sacrae Communionis adhibeatur pristina forma: « Corpus Christi. Amen ».

5. Utatur sermone vernaculo in administrandis sacramentalibus.

6. In administrandis Sacramentis, usus linguae latinae ad formulam essentialem restringatur.

7. In Sacro litando, usus sermonis latini servetur tantummodo in illa parte Canonis quae submissa voce est recitanda.

8. In Missae celebratione, supprimantur orationes finales quae nunc a Sacerdote flexis genibus recitari solent.

9. Missae Sanctorum quae in appendice Missalis — « Pro aliquibus locis » — sunt libere celebrari possint omnibus in ecclesiis quarum Titulares sint.

10. Instituantur Diaconi laici, prout ferebatur usus in primis Ecclesiae temporibus.

11. Circa Officium Divinum, postulatur ut quaedam officia funditus modificentur, ita ut commodius et cum maiori Sacerdotum fructu recitentur. Desideratur ut edatur speciale Breviarium pro iis qui curae animarum operam navant. Breviarium regulariter unum tantum habeat nocturnum, et ab Officii Divini recitatione liberi maneant animarum pastores diebus festis et aliis in quibus per horas animabus incumbunt.

12. Desideratur Codex Sacrae Liturgiae.

In Codice Iuris Canonici

13. Codex Iuris Canonici indolem habeat magis internationalem. Plurimae eius normae quae in praxim nunquam vel fere nunquam eveniunt supprimantur. v. gr. synodus dioecesana singulis decennis praescripta (can. 356 § 1) potius celebretur adstante necessitate. Idem dicatur de synodis in singulis provinciis celebrandis vicesimo saltem quoque anno (can. 283).

14. Libri IV et V *C.I.C.* ad simpliciorem formam reddantur. Praesertim quaedam poenae abrogari possent.

15. Descendentes fidelium ritus orientalis generatim ritum suorum sequi nolunt, cum in patria immigrationis linguam et ritum ascendentium prorsus ignorent (can. 98 § 1).

16. Quoad tonsuram clericalem, aut augeatur usus in tota Ecclesia, aut penitus eradicetur.

17. Supprimantur habitus talares distinctivi quorumdam religiosorum qui ad episcopalem dignitatem promoti fuerint.

18. Religiosis Ordinariis locorum ob eorum renuntiationem ab officio, liberum maneat rediendi ad proprium Institutum.

19. Lege statuatur ut Ordinarii locorum senectute aut invaliditate laborantes, propter quod impares oneribus adimplendis evadant, generose adprecentur eorum renuntiationem, ne in Ecclesiae detrimentum in officio permaneant.

20. Abrogetur institutum paroeciarum inamovibilium.

21. Supprimatur obligatio Ordinariorum locorum mittendi superioribus religiosis litteras testimoniales (can. 544 § 2) adspirantium, ratione tantum originis eorum, quin in eadem dioecesi sex menses post completum decimum quartum annum vixerint.

22. Novum instituatur systema dotis pro religiosis.

23. Desideratur uniformitas nomenclaturae piarum associationum, simulque earum enucleentur formae apostolatus.

24. De Actione Catholica conficiatur speciale caput in *C.I.C.*

25. Petimus ut Sancta Romana Ecclesia statuat oleum olivae simpliciter esse validam materiam Sacramenti Confirmationis, cum ex ipsa natura rei, exprimeret effectus istius Sacramenti, firma tamen lege ut rite ab Episcopo consecretur Feria V Hebdomadae Maioris.

Quapropter, ex defectu olei rite consecrati, aut stante dubio de eius valida consecratione, posset, in casu gravis necessitatis, v. g. in mortis periculo, licite adhiberi in administratione Sacramenti.

Ratio: Episcopus quidem senex, qui prae mentis debilitate, prohibitus fuerat a Sancta Sede conferendi sacros ordines, nihilominus postea ritum consecrationis olei persolvit Feria V Hebdomadae Maioris, ita scrupulum et anxietates gignens in animis quorumdam Sacerdotum.

26. In mortis periculo Sacramentum Confirmationis administrari possit a quocumque sacerdote usum ordinis habente, ex licentia saltem rationabiliter praesumpta parochi.

27. Abrogetur dispositio can. 799, iuxta quem « si proprius confirmati parochus praesens non fuerit, de collata confirmatione minister ipse vel per alium quamprimum eundem certiorem faciat ».

28. Missa Vespertina in bonum sociale seu publicum, pro regula celebrari possit absque Ordinarii licentia.

29. Desideratur ut animarum pastores obligationi adstringantur applicandi Missas pro populo dumtaxat diebus dominicis.

30. Desiderandum est ut a Sancta Sede instauretur illud antiquum indultum quo sacerdos immediate ante binationem vel trinationem Missae possit cibum per modum potus sumere, saltem diebus festis de praecepto.

Ratio: Nostris in regionibus saepenumero parochus, unicus paroe-

ciae sacerdos, qui summo mane adit ecclesiam diebus festis, in ea permanet audiendo confessiones inter unam et aliam Missam, quin frui possit favore Constitutionis « Sacram Communionem » Pii Papae XII.

31. In Motu proprio « Sacram Communionem » Pii Papae XII, intra numerum 2, includatur favorabilis circumstantia, prout sequitur: « 2. Tempus ieiunii eucharistici servandi ante Missam, *scilicet momentum sumptionis Sacramenti,* et a christifidelibus ... ».

32. Qui propter difficultatem Missae assistere nequeat diebus de praecepto, ei satisfacere possit alii assistendo Missae per hebdomadam.

33. Queant christifideles Missae praecepto satisfacere in quolibet oratorio domestico a Sancta Sede legitime erecto.

34. Qui nequeat praecepto Communionis paschalis satisfacere, idem adimplere possit per annum.

35. Sanctissima Eucharistia ex iure communi habitualiter servari possit in domibus religiosorum, quin Ordinarii loci requiratur licentia.

36. Sanctissima Eucharistia possit absque pontificio indulto servari habitualiter in privatis oratoriis Ordinariorum locorum.

37. Supprimi possit can. 1017, de sponsalibus.

38. Ratione formae iuridicae, matrimonium celebratum coram Sacerdote usum ordinis in Dioecesi habente, tamquam validum semper habeatur; illicitum tamen si Sacerdos delegatione careat Ordinarii loci vel parochi.

39. Desiderandum est ut Sancta Sedes facilius sanationem in radice matrimoniorum concedat, cum Ordinarii locorum ob specialia adiuncta nec circiter determinare possint numerum casuum.

40. Ad can. 1096 intra § 1, includatur: « ... nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt, et de Episcopis ».

Ratio: Dignitas episcopalis. Nam Episcopus auxiliaris minus posset, in casu, quam vicarii cooperatores.

41. In can. 349 § 1, n. 1, verba « in can. 329 § 1, nn. 7-12; necnon n. 2, etiam quod spectat ad casus Ordinario loci reservatos », substituantur, caeteris manentibus, sequentibus: « ... in can. 329 § 1, nn. 1, 2, 7-12 ».

42. Pro obligatione de qua in can. 341 § 2, id disponeretur: « Curent Episcopi extra Europam degentes, ut singulis decenniis Urbem petant ».

43. In can. 430 § 2, deleantur verba: « excepta collatione beneficiorum ecclesiasticorum ».

44. Canoni 474, in tractu « ... can. 465 §§ 4, 5 et ... », addatur etiam § 6, sic: « ... can. 465 §§ 4, 5, 6 et ... ».

45. Canoni 956 addatur altera paragraphus, ita: « § 2. Promovendus vero ad primam tonsuram, quamvis minor, si dioecesi ubi nec originem, nec domicilium habeat, incardinari cupiat, Episcopum proprium sortitur iureiurando de quo in § 1.

46. Banna potius pro accipienda prima tonsura quam pro ordinibus sacris sint facienda (cann. 998-1000).

47. Potius pro alumnis Seminarii minoris quam maioris instituatur domus ruralis vacationum. Nam iis vacationibus in paroeciis frui deberent clerici ac simul adiuvarent parochum, praesertim in opere catechetico.

48. In can. 1435 § 1, n. 1° deleantur verba: « et Familiarum, etiam honoris tantum, Summi Pontificis tempore vacationis beneficii ».

49. De indulgentiis B. M. V. Rosario applicandis. Attenta B. M. V. Rosarii devotione tam mirifice diffusa, concedatur Ordinariis, cum facultate aliis demandandi ad normam can. 210 et aliis committendi ad normam can. 913 n. 1, potestas benedicendi unico crucis signo SS. Rosarium seu eius tertiam partem, et applicandi vi huiusmodi benedictionis, omnes indulgentias quae SS. Rosario B. M. Virginis de Rosario solent applicari.

50. In can. 2222, deleatur § 2.

51. In can. 2217 § 1, n. 3, sic abrogetur: « Poena vero *ferendae sententiae* a iudice vel superiore inflicta, dicitur deinceps « ab homine ».

52. Abrogetur censura excommunicationis latae sententiae contra clericos vel religiosos illegitime mercaturam vel negotiationem exercentes.

Theologia Moralis

53. Desiderandum est ut conficiatur conspectus historicus Theologiae Moralis inde ab incunabulis Christianismi.

✠ ANSGARIUS DE OLIVEIRA
Archiepiscopus tit. Rhoinensis
Adm. Apost. « sede plena » Archidioecesis Marianensis
et de Pouso Alegre

110

EXC.MI P. D. HELDER PESSÔA CÂMARA

Episcopi tit. Salditani, Auxiliaris S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Flumine Ianuario, die 15 augusti 1959

Em.me ac Rev.me Domine,

Honori duco quod Em.tia Tua Rev.ma, nomine « Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico » (n. 1 C/59-2390, d. 18 m. iunii a. 1959) sententiam quoque meam exquirere dignata sit. Precibus ad Patrem luminum enixe fusis, quid capiam quid sentiam hodie pandere liceat, dum bene perspectum habeo quanti consilii quantique ponderis res sit, nuntiata sancta universalis Synodus pro hodierno statu Christi Ecclesiae humanaeque consortionis.

1. Libeat unum prae omnibus suggerere: omni ope nitendum est, atque id caveat praefata « Commissio », ne latina sit una Concilii lingua. Si equidem cuiusque vernaculi sermonis usus haud parvum facessere negotium natus sit, unde arbitraretur quis melius fore ut omnes in eumdem conveniant loquendi morem, tamen pensandum est paucissimos exstare qui, extra Romanam Curiam et Urbis Universitates Studiorum, libere latine fandi scribendive facultate polleant. Apud Nostrates, ut exemplum afferam, quinque in centum Episcoporum idonei sunt qui id praestare queant, neque alibi rem aliter se habere videtur.

2. Ut in medias progrediar res, en modo quas censeo a Concilio considerandas. Primo sane aspectu, immanis videretur amplitudo propositae heic materiae. Ast haud crebro accidit ut in unum conveniant undique Episcopi atque vel ipsemet eorum frequens munerus id efficiet ut complurima ac varia constitui possint consilia, sub communi omnium intento fine. Nec praetermittendum quod diversae quaestiones internectentur, atque a nobis non pendet quod omnes et singulae simul solutiones velut efflagitent. Si quae inferius proponuntur consideratione digna inveniantur, haud difficile erit, poscente ista « Commissione » easdem res minutiosius retractare deinceps, ac simul mittere quas oportuerit notitias de methodo quae aptior comperiatur ad eas persolvendas.

Pro feliciori mundi statu

1. *In re oeconomica*:

Quaenam Ecclesiae partes in provehendo statu gentium minus excultarum.

2. *In re aesthetica*:

Ecclesia et Artes pulchri, nostri temporibus.

3. *In re scientifica*:

Ecclesia et Scientiae, hodie et in proximo.

4. *In re politica*:

Ecclesia et Respublica.

5. *In re sociali*:

Ecclesiae partes in opificum provectione.
Ecclesia et evectio gentium sub imperio colonorum.
Ecclesia et Apatridae.

6. *In re religiosa*:

Scita Tridentinae Synodi diebus nostris aptata.
Invitatio ad unitatem Ecclesiae.
Quid agendum de itineribus quae nuntiantur ad remota sidera.

3. Ne videar in adeo vasto gurgite in cassum agitare, ad minora descendam — uti exemplum, quod spectat thema « Quae Ecclesiae partes in provehendo statu gentium minus excultarum ».

Res nota est. Multa loquuntur de conflictu inter potentissimas Orientis et Occidentis Nationes. Sed magnopere attendendum est binas tertias partes humani generis, citra adversantes illas factiones, misera egestare laborare. Quibusnam potestas erit hanc longe maiorem partem ad se trahendi? — Proculdubio Chrisianitati aut Communismo.

Concilium Oecumenicum optime perquirere posset quo ope, quibus auxiliis queat Ecclesia illas gentes ab influxu Communismi eripere. Pro America nostra Latina, res non adeo difficilis videtur. Consilium Episcoporum Americae Latinae (C.E.L.A.M.) melius sane efficere potest id quod, in ordine politico, sic dicta « Operatio Pan-Americana » nequaquam adsequeretur, solis innixa votis Rectorum Nationum.

In proximo Conventu illius Consilii Episcoporum in urbe Bogotana (m. novembri h. a.), cui subiecta est una quaestio tractanda, nempe de Communismo, labor nobis et opus erit prospicere efficacem agendi formam, quo possit Ecclesia manus admovere ut ad meliorem statum nationes Americae nostrae erigantur. Mens est rationem gerendarum rerum cum moderamine tunc proponere ut ditiores populi huius hemispherii, de abundantia sua, opes conferant in bonum totius consortionis Americanae. Quod ut obtineri possit, antea aliquibus ex Episcopis

Civitatum Americae Septemtrionalis occurrent quidam ex nostris (inter quos et infrascriptus cooptatus est) de re acturi.

Porro quod pro America Latina in votis est, oportet ut et ad alias gentes Asiae et Africae simili ratione extendatur.

Sedulo tamen notetur non agi de Communismo consulto oppugnando; verum, potissimum interest ut Ecclesia hodiedum eas partes obeat quemadmodum olim paganis barbarisque populis subvenit.

Quod obiter dictum esto, infrasignatus, etiam praeter munus quo fungitur inter moderatores C.E.L.A.M., nihil antiquius habet nihil sollemnius quam, iubente Sancta Ecclesia, opem conferre atque se totum dedere ut America haec nostra in meliorem statum conscendat.

Indulgeat Em.tia Tua Rev.ma si quae inopportuna scripsit qui tamen, dum ad aram litat, quotidie enixe D.O.M. adprecatur pro felici exitu proximae Oecumenicae Synodi.

Quae dum refert, impensos sui obsequii sensus erga Em.am Tuam Rev.mam obtestatur in Domino

✠ HELDER PESSÔA CÂMARA
Episcopus tit. Salditanus
Auxiliaris S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

111

P. D. WALMOR BATÙ WICHROWSKI

Episcopi tit. Sanavensis, Auxiliaris Santosensis

Santos, die 16 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Augusti Pontificis oratui perlibenter annuentes, ut proximo Concilio Oecumenico Episcopi quidquid in illo esse studii obiectum exponant, Nos, auditis permultorum episcoporum sententiis et iudiciis, sive in exercitiis spiritualibus sive coetibus episcopalibus, ante et post nostram electionem in episcopatum, ab Excellentia Vestra veniam postulamus ut in Domino quae sequuntur porrigamus:

1. Utilitatem conspicientes domorum religionis exemptae in sensu universali etiamque patrio, non autem in Dioecesi, cum praesertim nunc in Patria nostra Brasilia quae copia sacerdotum caret et ubi pleraeque paroeciae in religiosorum manibus sunt, difficile vel fere impossibile evadit ut Dioecesim gubernet episcopus, cum a duobus pendet religiosus auctoritatibus, episcopi scilicet et provincialis.

Nobis visum est religiosum indictus cum sit a superiore ad quoddam

opus in aliqua Dioecesi et idem dicatur cum de religiosis mulieribus agatur, esse dumtaxat Episcopo obnoxium, dum alicui Dioecesi deservit.

2. Ratio non datur cur mendicantes adhuc ordines exstent. Maxima eorum pars et fortasse omnes, saltem in Brasilia, divites sunt patrimonia habentes magna saepeque maiores quam Dioeceseos reditus percipientes.

3. Valde utile erit, si idem esse aetatem dinumerandi modus et cetera matrimonii impedimenta, ita ut concordantia vigeret magna inter codicem iuris canonici ac civilis, et omnia canonica impedimenta recenserentur.

Insuper exoptamus:

4. Ut Episcopi facultatem omnibus sacerdotibus dare possint matrimonio assistendi et ut contingit in iurisdictione ad confessiones audiendas, sic etiam quivis sacerdos licentiam praesumere possit ad matrimonium celebrandum.

5. Ut Episcopi, in unoquoque casu, ad statum laicalem reducere possint sacerdotes qui humana fragilitate defecerunt sed fidem adhuc servaverunt, prospecto numero non pauco apostatarum sacerdotum. It multorum episcoporum necnon cleri nationum multarum est sensus.

6. Ut omnibus sacramentis velut iam baptismo et matrimonio concessus est ritus bilinguis, sic idem ritus concedatur necnon mortuorum exsequiis et quae in rituali romano continentur orationes. Idem dicendum est de admonitionibus ordinationis sacerdotalis ac episcopalis ut lingua vernacula fiant.

7. Ut Missae pars quae catechumenorum vocatur, lingua vernacula recitetur, ad maiorem fidelium participationem et Missa ad populum versus plane celebrari possit.

8. Ut Episcopi, ubi inopia sacerdotum viget Superiori domorum religiosarum permittere possit ut communionem distribuat.

9. Ut communio Christifidelibus hac formula distribuatur: « Corpus Christi. Amen, » sicut iam postulavit Confederatio Nationalis Brasiliensium Episcoporum.

10. Ut nulla sit circumscriptio temporis quod attinet ad Missae celebrationem atque communionem fidelium etiam extra Missam, servato eucharistico ieiunio;

11. Ut diaconatus ordo laicis etiam matrimonio coniunctis iterum instauretur.

12. Ut facultas iam parochis concessa in periculo mortis ad sacramentum confirmationis ministrandum, dari possit omni sacerdoti aegrotis adsistenti et in prima communione infantium ac iuvenum parochi confirmationem eis ministrare valeant.

13. Ut recitatio breviarii commutetur in Missarum celebrationem in festis diebus praesertim dominicis, cum maiores habeant sacerdotes labores et multi sint qui bis vel ter litant.

14. Ut omnibus sacerdotibus quibus est animarum cura facultates concedantur quas regulares habent, videlicet: benedicere unico crucis signo imagines crucifixi et alias, viam sacram erigere, etc.

15. Ut sacerdotibus facultas detur altaris portatilis, cum permissu episcopi.

16. Ut Superiores religiosorum ac religiosarum, si fieri possit ad nationem in qua laborant pertineant.

17. Ut religiosi viri ac mulieres transire possint ad alium institutum seu ordinem qui magis vocationi eorum convenit. Mulierum ac virorum hodie in congregationibus non desunt qui diversos apostolatus tractant, ut infirmorum, scholae, etc. ad eamdem communitatem pertinentes. Accidit autem quod non omnes vocationes fruuntur ut bene hoc vel alio fungantur munere et in alia congregatione magna facere possent.

18. Ut accidentales regulas quae permagna inter varias congregationes discrimina provocant, mutare vel etiam supprimere Ordinarii locorum possint, si bonum commune id postularet.

19. Ut coetus episcopalis cuiuscumque nationis cum auctoritate repraesentativa et etiam legislativa in causis bonorum communium eiusdem nationis constituatur, magni cum sit momenti unitas Ecclesiae inter nationis limites, manente semper ordinaria episcoporum iurisdictione in propria Dioecesi.

20. Ut religiosorum ac religiosarum nomina in baptismo accepta nunquam mutentur quia his nominibus Christifideles Corporis Christi incorporati manent. Quin etiam magni hodie momenti est in documentiscivilibus usus unius nominis.

21. Ut religiosi sine clausura papali visitare suos parentes valeant, statutis temporibus et praecipue in gravibus ipsorum infirmitatibus.

22. Ut monachis et monialibus cum clausura papali licentia concedatur ad aliquos externos apostolatus, sc. catecheseos, curae infirmorum, etc., quando circumstantiae, de iudicio Ordinarii id postulent.

23. Ut limites Dioeceseos semper iidem sint ac Municipiorum confinium et si isti per decreta civilis auctoritatis mutentur, illi ipso facto etiam immutentur.

24. Ut Apostolica Sedes non modo suadeat verum etiam vestium immutationem religiosarum obliget, praeprimis earum quae in regionibus solstitialibus incommoda magna et quandoque morbos afferunt.

25. Ut cum ad provectam aetatem perveniant, sacerdotes ac episcopi e suo munere arceantur quo funguntur, quia, cum praeesse Paroeciae et Dioecesi, ut convenit, non possint, detrimentum bono communi adducunt.

26. Ut quivis sacerdos abprobatus ad confessiones audiendas, confessionem etiam religiosarum audire valeat.

27. Ut religiosi in aliqua Dioecesi laborantes et reditus magnos percipientes sive in scholis sive alio modo, auxilia praebere operibus illius Dioeceseos cogantur.

28. Ut canonici capitulorum non praebendatorum de obligatione officiorum quae in communi fiunt in statutis diebus eximantur.

29. Ut quaedam munera, verbi gratia, moderatoris dioecesani Orationis Apostolatus ab Episcopo tantum pendant et non a Generali quorumdam ordinum.

30. Ut Episcopo simpliciter concedatur facultas recipiendi in suo Seminario alumnos qui iam e Seminariis religiosorum egressi sunt, adhibitis cautionibus.

31. Ut Episcopo detur ut iudicet de convenientia circa modum alumnos educandi qui in Seminario minori degunt, praesertim quod attinet ad internatus et externatus regimen, servatis instructionibus S. Congregationis de Seminario.

32. Ut in emendatione Caerimonialis Episcoporum, usus quorumdam insignium, ut annulus, pileolus, crux, etc, reservetur tantummodo functionibus liturgicis; pontificalium Missarum ritus redigantur, secundum sollemnitatum momentum.

33. Ut sacerdotibus concedatur facultas quater litandi vel bis et ter litandi in vespertinis Missis, cum de inopia cleri agatur et sic spirituale populi bonum exigat.

34. Ut lampas quae coram Sanctissimo Sacramento ponitur substituatur luce electrica, perspecta olei carentia et magno in quadam regione pretio. Idem dicatur de caerei usu in candelabris et pro lino quod in altari adhibetur ponatur ut dicunt nylon.

35. Ut liquido de limbi existentia definiatur.

36. Ut mos omnino abrogetur annulum dandi fidelibus cum Episcopus communionem distribuit, valeditudinis causa.

37. Ut, ubi pauci sint sacerdotes, quod in locis missionis ut Brasilia accidit, civilis habeatur contractus ut legitimum matrimonium, servatis de iure servandis quoad canonica impedimenta.

38. Ut in Curia Romana praelati vel sacerdotes adsint qui ad varias

nationes pertineant ut sic melius intelligantur eorum mores, traditiones, necessitates, etc.

39. Ut in Sancta Sede sit Congregatio Romana pro laicorum apostolatu.

40. Ut quamprimum Codex Iuris Liturgici conficiatur.

41. Ut in Brasilia natione quae inopia sacerdotum laborat, non sit temporis circumscriptio ad praeceptum paschale adimplendum.

42. Ut mulieres quae onanismo coniugali cooperationem dare cogantur, perspectis facilitate adulterii et usu undique misere disseminato filios devitandi, methodo ut vocant neo-malthusiana, absolvi possint, dummodo peccato non annuant.

43. Ut omnes paroeciae semper ad Dioecesim pertineant, nunquam autem in perpetuum ad religiosos ordines, cum hucusque multae exsurrexerunt difficultates quae gubernationem Dioeceseos gravavere.

44. Ut circumscriptio aetatis non ponatur illi quae post triginta annos ingredi vult in religiosam vitam.

45. Ut stipendia, in universum, sint obnoxia episcopatui uniuscuiusque provinciae ecclesiasticae.

46. Ut omnia stipendia sacramentorum, ut S. Sedem vult, omnino tollantur.

47. Ut quamvis aliqui praelati brasilienses vestem talarem immutare nolint quae hodie difficultates non paucas affert apostolatui sive in magnis civitatibus sive ruri, praesertim in calidis regionibus, ea vestis accommodetur temporibus nostris. Iamvero dicere possumus coram Domino perplures sacerdotes necnon laicos hoc desiderare et in Dioecesi nostra 85% sacerdotum eamdem sententiam habent.

48. Ut dogma de Meditatione B. M. Virginis declaretur.

49. Ut Nuntii Apostolici, quod multi desiderant Episcopi, maiore gaudeant auctoritate in nationibus, ac maioribus sint facultatibus praediti ut extemplo solvi possint quaestiones solvendae.

50. Ut Codex Iuris Canonici mox edendus expediatur, res tantum maximi momenti iuris ecclesiastici habens; nam tot interpretationes hactenus sunt, dubitationes multae et oportet ut omnia aetati nostrae opportune accommodentur.

51. Ut a Patribus Concilii omnia distincte definiantur de rebus moralibus quae hodie in disceptatione versantur, sed magni sunt momenti in pastorali munere, uti quae ad matrimonium spectant.

52. Ut curiales res expediantur, cum plurimae vigeant petitiones, dispensationes ac facultates quae vitam reddunt difficilem inter paroecias et Dioecesim et Sanctam Sedem.

53. Ut Confraternitates Sanctissimi Sacramenti et Doctrinae Chri-

stianae, saltem in Brasilia, non ut mere sodalitia religiosa putentur sicut cetera alia, cum etenim Sanctissimi Sacramenti Confraternitas necnon confraternitates multae ut societates fere tantum civiles habeantur.

54. Ut quaedam sodalitia religiosa veluti Tertii Ordines, etc. erigantur tantummodo in domis vel paroeciis quae ad religiosos ipsos pertineant et curam harum Confraternitatum habeant; cum enim tot sint quae iam in paroeciis exstent sodalitia, impossibile ex una parte fit ut parochus eis praesit, ut decet, et ex altera parte multitudo sodalitatum molestam reddit paroecialem vitam, praeprimis cum erecta sint a religiosis in Missionis tempore seu cum per paroeciam transeunt.

55. Ut rigidiores promulgentur leges circa imaginum numerum in ecclesiis, praesertim in Brasilia, ubi imaginum cultus connectitur spiritismo, fetichismo, etc. et ipsae sectae iisdemque imaginibus utuntur sanctorum nostrorum ad falsum cultum.

56. Ut quibusdam spiritualibus exercitiis commutentur dies ieiunii; nam sunt in Brasilia quatuor tantum per annum ieiunii dies abstinentiaeque perpauci et in illis diebus est pauperibus nimis onerosus piscium usus non autem divitibus quia, ut fertur, melius editur cum piscis ad epularum magnificentiam pertineat.

Hae sunt quaestiones quas considerationi Patrum Concilii ad bonum Ecclesiae tradimus.

Interea qua par est observantia me profiteor

Eminentiae Vestrae addictissimum
✠ Walmor Batú Wichrowski
Episcopus tit. Sanavensis
Auxiliaris Sanosensis

112

Exc.mi P. D. IOSEPHI MARTENETZ

Episcopi tit. Soldaiensis, Auxiliaris S. Sebastiani Fluminis Januarii

Curitiba, die 12 decembris 1959

Eminentissime Princeps,

In hac responsione ad quaesita proposita in litteris (Prot. I C/59-2416) missis a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico, gratum mihi est exponere meam opinionem de rebus in Concilio tractandis.

I. *Negotia totam Ecclesiam respicientia*

A) Maximum periculum pro societate hodierna et pro Christianismo est in late diffuso et imperante spiritu materialismi, in sic dicta « mentalitate materialista », quae propagatur tum sub specie communismi tum capitalismi, quamquam unusquisque ad consequenda bona materialia et terrena, diversam viam indicat, attamen eodem modo cum pertinacia inculcat mentibus, unicum finem huius vitae esse in gaudio et in fruitione horum bonorum usque ad saturationem. Ad obtinenda haec bona materialia et sensibilia omnia media iusta ac licita sunt, nam peccatum non existit, ideoque omne sacrificium, omnis renuntiatio fruitionis sensibilis et sensualis, inutilia immo stulta tantum esse possunt.

B) Influxus huius spiritus ansam praebet dissociationi familiarum, destructioni vitae christianae in eis, unde corruptio morum, horror sacrificii, perversus conceptus de finalitate nostrae vitae. Nam honestas morum et spiritus sacrificii solum in familiis integris et christiane viventibus efformari possunt.

C) Ad restabiliendam et corroborandam unionem et integritatem familiae christianae oportet creare tales conditiones sociales et oeconomicas, ut quies diei dominicae observari possit ac ipsa dies sanctificari. Inculcandum est etiam in animis iuvenum principium auctoritatis paternae, verus et supernaturalis finis nostrae vitae, quia tunc solum efformari possunt amor ad sacrificium, spiritus abnegationis atqui sensus, quid sit licitum et quid illicitum, nempe sensus peccati et culpae, sensus responsabilitatis coram Iudice Eterno de propriis actibus.

D) Huiusmodi egoismus, proveniens e materialismo, grassatur non solum in vita particulari hominum, verum tamen inter nationes et populos. Omnes volunt frui bonis terrenis, ullo respectu habito normis iustitiae et caritatis.

E) Conatus maximi debent fieri, ut *iuventus,* praecipue *masculina,* sincere adhaereat principiis Ecclesiae Catholicae. Hoc potest obtineri, si ipsa bene in doctrina christiana edocta fuerit. Ideo sacerdotes instructioni atque educationi in scholis aut extra, ubi fieri non potest, maximam curam et maxime opportunum tempus consacrare debent.

II. *Unio Ecclesiarum*

A) In connexione cum Concilio Oecumenico mihi videtur magni esse momenti etiam restauratio unionis ecclesiarum, nam divisio inter ecclesias, quae se dicunt christianas et profitentur, ut affirmant, doctrinam Iesu Christi et tamen sibi adversantur, praebet scandalum populis paganis, immo christifidelibus. Cum in hodiernis adiunctis talis restaura-

tio sit fere inverisimilis, excogitandus est saltem modus, ut attritus leniant et actio contra atheismum dirigatur.

B) Quod spectat Ecclesiam Orientalem, ad obtinendum praefatum scopum, opportunum videtur, ut in dicasteriis Curiae Romanae, praecipue in quibus negotia Ecclesiarum Orientalium agantur, numerus officialium pertinentium ad ritus orientales augeatur et accessus orientalibus ad haec officia facile pateat.

C) Perpensa mente specifica orientalium, qui summa reverentia ac honore suos Patriarchas tenent, necesse est, hi honoribus ac privilegiis aequiparentur S. R. E. Cardinalibus.

D) Quod attinet Ecclesiam Ucrainam seu Ruthenam, si his temporibus creatio Patriarchatus non expedit, saltem nominetur Archiepiscopus Metropolita, qui teneat iurisdictionem secundum ius orientale in omnes episcopos Ecclesiae Ucrainae in diaspora.

E) Ut facilior reddatur conversio protestantium, puto medium satis aptum esse, ut pastoribus, quamvis uxoratis, non prohibeatur simpliciter adipiscendi ordines sacros, sed e contra detur possibilitas exercendi munus sacerdotale. Submittantur e. g. per quatriennium vel quinquennium ad probationem, an christiane vivant cum uxoribus, an sufficienti doctrina polleant, et adimpletis his conditionibus, ad sacros ordines admittantur.

III. *Relationes inter Ritus*

A) Cum in partibus, ubi viget varietas rituum semper fiant tam ex una quam ex altera parte tentamina ad augendum numerum fidelium proprii ritus cum detrimento alterius, et praecipue ex parte sacerdotum, ideo iam in Seminariis inculcetur clericis, quod mens S. Ecclesiae est, ut omnes quidam sint catholici, sed parum refert cuiusnam ritus. Ideo omnes conatus ad augendum numerum fidelium proprii ritus directi debent esse non ad alliciendos fideles catholicos unius ritus ad alterum, sed ad conversionem acatholicorum. Ad haec facilius assequenda oportet, ut in actu conversionis acatholicus sive protestans sive orthodoxus libera sponte pro quovis ritu optare possit.

B) Terrae missionum inter infideles omnibus ritibus pateant.

C) Facile concedatur transitus de uno ritu ad alterum in regionibus ubi, modo non compacto, vivant personae in medio fidelium alterius ritus.

D) Ad vitanda matrimonia invalida, ut saepe fit in regionibus ubi viget diversitas rituum, statuendum est, quod matrimonium initum coram parocho loci cuiusvis ritus, vel de licentia eius, semper validum sit, onerata tamen graviter conscientia parochi celebrantis, quamprimum

certiorem facere de matrimonio celebrato parochum proprium ritus nubentium.

E) In regionibus ubi fideles unius ritus vivunt permixti cum fidelibus ritus alterius, dies festivi, ieiunia, tempora vetita debent regi communi legislatione.

F) Concedatur generalis facultas in casibus necessitatis, etiam non gravis, omnibus sacerdotibus in defectu panis ritus proprii, litare in pane alterius ritus.

IV. *Disciplina*

A) In locis ubi ecclesia vel oratorium a sacerdote solummodo semel vel bis in mense visitatur, attamen ibi praestant laborem apostolicum religiosae aut laici pii, membra alicuius Instituti, si de consensu Ordinarii ibi conservatur Sanctissimum, concedatur licentia, ut praepositus vel superiorissa possit aperire tabernaculum et pixidem ac unusquisque manu propria, aut ob reverentiam, parvulo cochleare, Sanctam Communionem saltem semel in hebdomada, sumere possit. Nam saepe saepius fit, quod hae personae Deo dicatae, coactae sint vivere ultra mensem sine Sancta Communione cum detrimento propriae vocationis.

B) Ad vitanda graviora peccata licitum fiat religiosis et laicis piis accedere ad sanctam communionem in casu necessitatis, post grave lapsum, elicito tamen prius actu perfectae contritionis, si desit confessarius, ad quem facile, sine gravi metu, peccata sua confiteri possint. Hoc modo vitabuntur saepissima sacrilegia, praecipue in communitatibus et collegiis.

C) Opportunum videtur ut unusquisque sacerdos a proprio Ordinario adprobatus ad audiendas confessiones, munus confessarii exercere possit ubicumque locorum, nisi ob graves rationes expresse prohibeatur excipere confessiones, ubi actu deget, ab Ordinario huius territorii. Nam saepe fit, quod fideles habeant necessitatem et sponte velint confiteri peccata sua sacerdoti in transitu.

D) Cum hodie, propter adiuncta vitae modernae debilitata sit tum voluntas tum capacitas maturae reflexionis, bonum erit protrahere aetatem canonicam ad ordinem presbiteratus recipiendum usque ad annos viginti quinque aut melius usque ad viginti sex. Similiter si aliquis sacerdos in caelibatu ordinatus vitam scandalosam ducat, melius esset ipsi faciliorem reddere reductionem ad statum laicalem cum facultate nubendi, ut saltem vivat honeste, quam cogere ad ea, quae ipse sine peccatis non observabit.

E) Cum hodie ubique agitur de iustitia sociali, inprimis haec iustitia debet habere locum in Ecclesia Christi. Nempe dioeceses ditiores con-

stringantur praebere adiutorium dioecesibus pauperibus. Etiam in eadem dioecesi inveniuntur paroeciae ditiores et omnino pauperes, sine patrimonio. Tunc ex proventibus paroeciarum ditiorum subveniendae sunt paroeciae pauperes. Accidit, quod aliquae dioeceses habent copiam sacerdotum, tunc iustum erit, ut suppeditent sacerdotes dioecesibus quae iis carent.

✠ Iosephus Martenetz
Episcopus tit. Soldaiensis
Auxiliaris S. Sebastiani Fluminis Januarii

113

Exc.mi P. D. EUGENII DE ARAÚJO SALES

Episcopi tit. Thibicensis, Auxiliaris Natalensis

Natal, die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ut epistolae Eminentiae tuae Reverendissimae Prot. N. I C/59-2451 responsionem mittam, pergratum mihi est reverenter has suggestiones tibi praebere:

a) In sessionibus usus officialis praecipuarum linguarum cum traductoribus simultaneis.

b) Praeparatio magna omnium christianorum circa unionem; Concursus Ecclesiae cum rectoribus orthodoxis et protestantibus ut omnes incursus vitentur, et praedicatio in exponenda doctrina maxime consistat.

c) Praevia thematorum discussio in Provinciis Ecclesiasticis et in Conferentiis Nationalibus Episcoporum.

d) Firma et audax « Actualizatio » Theologiae Pastoralis. Novae condiciones vitae inter christianos, methodorum revisionem exigunt. Traditionis amor aeternae iuventuti Evangelii iungatur.

e) *Breviarii* et *Codicis Iuris Canonici* reformatio.

f) Quaestio capitalismi et operis; reformatio positionis Ecclesiae coram operariis.

g) Novae relationes inter episcopatum et ordines seu congregationes religiosas.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

✠ Eugenius de Araújo Sales
Episcopus tit. Thibicensis
Auxiliaris Natalensis

114

Exc.mi P. D. CANDIDI J. BAMPI

Episcopi tit. Tlöensis, Auxiliaris Caxiensis

Caxias do Sul, die 10 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Magnum sane huic christianae plebi gaudium attulit de proximo futuro Concilio nuntium. Istius antepraeparatoriae Commissionis litteras, sub num. I C/59-2459, ultimis augusti diebus accepi, huius dioeceseos Synodo, cuius Commissioni praepositus eram, elaborando consecratis. Die septimo septembris, persoluto Synodo, istius venerandae Commissionis desideriis statim respondendum censui. Et haec quae sequuntur, pro animarum bono, pro incolumitate fidei et morum, et pro Sanctae Catholicae Ecclesiae gloria, coram Deo, in humilitate et simplicitate adnotabo:

De rebus Fidei

A) nimis in Seminariis relinquitur libertas opinandi circa interpretationem Sacrae Scripturae, uti v. g. ubi de peccato originali, de mandato divino Adamo dato, de ligni vetiti et serpentis tentantis realitate agitur, vel « quoad redemptionem animabus sine baptismate decedentibus in posterum applicandam, etc. ». Hoc fit cum fidelium admiratione.

B) In directione animarum ad sacerdotium et ad religiosam vitam adspirantium, facilius a Sanctis Patribus et Doctoribus de doctrina Ascetica tradita principia relinquuntur, magnumque quo par est momentum traditur subsidiariis Psychiatriae, psycanalisis et sic dictis « *testes* », cum animarum perturbatione et aliquando non sine caritatis et iustitiae laesione. Quid cogitandum de non paucis religiosis feminis, quae suam conscientiam medicis, sine ulla religione et sine ullo moralitatis christianae principio, tradunt perscrutandam?

C) In Scholis Mediis et Superioribus non raro accidit quod variae disciplinae magni momenti a saecularibus magistris, materialismo, spiritismo vel protestantismo infectis tradantur. Sic, in quadam religiosarum Schola Normali Cursus Psychologiae et Pedagogiae a magistro traditus est, qui erat ex-Seminarista protestans, cum puella catholica in matrimonio iunctus apud ministrum protestantem. Item, per annos, in alia Schola Normali cuiusdam Congregationis, magisterium exercuit mulier quaedam materialista et *divorcista*. In alia Schola, item religiosarum, Umbandista quidam exercet magisterium. In hac ipsa civitate in *Schola* « de *enferma-*

gem », in qua alumnae sunt fere omnes religiosae, medici qui docent sunt fere omnes vel materialistae, vel acatholici, de quorum etiam moralitate movetur quaestio.

D) Parvipenditur (saltem practice) Scholastica philosophia, cui moderna praefertur. Doctorum et auctorum ecclesiasticorum Ascetica doctrina minus existimatur; et naturalibus potius mediis iuvenum anima formatur. In rebus ipsis asceticis et philosophicis Excelsi Doctores, gloria Ecclesiae, vix nominantur, melius cognoscuntur et crebrius omnino citantur moderni scriptores, de quorum doctrina dubitari potest, quorumque scripta nullum trahunt ecclesiasticum « *imprimatur* ».

Uno verbo: traditionalis Ecclesiae doctrina de rebus philosophicis et asceticis non qua par est diligentia et reverentia tractatur; supernaturalis ordo cum divinis sanctitatis mediis non satis aestimatur; antiquis doctrinae Ecclesiae thesauris non raro moderna praeferuntur systemata; pii Ecclesiae ritus et usus, etiam in Rituali contenti, ut antiquati et superstitiosi iudicantur; immo et sacrae functiones et solemnes Ritualis benedictiones ut incongruae omittuntur.

Quot audiuntur gemitus de « *vocationum crisi* »! Surgit desiderium suppressionis coelibatus. Integri cursus Seminaria relinquunt. Causae inquiruntur; multae dantur. Sed forsitan non sit ultima nec minima defectus supernaturalitatis in iuvenum formatione. Vocatio est quid supernaturale. Quomodo foveri potest naturalibus tantum mediis vel naturalibus systematibus, quae vix quid subsidiarium esse possunt.

De re morali

Normae coeducationis et sexualis educationis ab Ecclesia etiam recenter datae, non observantur fideliter; Methodus educationis mixtae melior ab aliquibus religiosis educatoribus iudicatur.

Sunt Superiores ecclesiastici qui obstinato modo religiosum matrimonium non admittunt, nisi facto prius civili contractu. Exinde non pauca incommoda; inter alia, dignitas et necessitas christiani matrimonii in fidelium mentibus minuuntur.

Nervus disciplinae ecclesiasticae in dies decrescit; notio, seu natura peccati in multis mentibus oblitterata est, non tantum apud rudes operariorum intelligentias, sed apud adolescentes utriusque sexus, qui Scholas religiosorum frequentarunt vel adhuc frequentant. Ita in omissione Missae, in spectaculis obscenis et in aliis peccatorum proximis periculis, nullum vident peccatum.

Unde talis moralitatis imminutio? Non ultimam causam esse iudico nimiam confessorum, directorum et ecclesiasticae forsitan etiam auctori-

tatis liberalitatem pastorumque animarum discordantem agendi modum.

Percunctari etiam potest an hodie certa quaedam religiosorum privilegia bonum revera animarum promoveant, uti v. g. facultas absolvendi a censuris Ordinariis locorum reservatis, v. g. ab abortu. Nimia facilitas horrorem tollit peccati. Robur ecclesiasticae disciplinae ex arbitrario usu et abusu privilegiorum, minuitur.

De cultu divino

Breviarium reducatur ad formam definitivam et stabilem et ne fiant frequentes immutationes, ad evitandas querimoniae. Ad breviorem et faciliorem formam reducantur caeremoniae quaedam interminabiles, ut consecratio Ecclesiarum, etc.

Ad simpliciorem formam reducantur habitus et ritus Pontificalium, in quibus fidelis populus, valde distractus, humanam potius quam divinam contemplat Maiestatem magisque curiositas, quam fides et pietas, fovetur. Servetur solemnitas austera, quae mentem ad Deum elevet, ut tanto cum fructu factum est quoad caeremonias Hebdomadae Maioris.

De vita religiosa et regulari disciplina

Exhortentur religiosi ut paupertatem ad aedificationem pauperum fideliter observent. Audiuntur clamores indigentium. Regularis vita et religiosa disciplina, ad religiosorum bonum, perfectius instauretur, in caritate Christi. Hinc inde veri irrepserunt abusus. Sorores, vix persoluto Novitiatu, in mediis periculis mittuntur, unde saepe multum angustiantur conscientiae. Multae et verae dantur iniustitiae cum divinarum et ecclesiasticarum legum violatione. Sorores non ut filiae sed ut ancillae saepe tractantur; exinde superiorissis maledicunt.

Conscientiae sororum in multis anguntur; ex parte superiorissarum maior et magis benevola requiritur pro libertate conscientiae voluntas. Innumerabilia ex defectu libertatis committuntur sacrilegia.

Virginibus Deo sacratis multum quidem et aliquando sacrificia vere heroica petuntur; sed illis parum aliquoties nihil, nec necessarium vitae spiritualis alimentum traditur. Per hebdomadas, imo et per menses sine Eucharistica Communione manent, et per menses et annos sine pane verbi Dei.

Ut hae virgines Christi, et etiam alii fideles, melius spiritualiter serviantur, et possint in dissitis et extensissimis etiam paroeciis quotidie vel saltem frequentius Divinum suscipere Sacramentum, bonum quidem esset si Sancta Dei Ecclesia medium aliquod excogitaret, ut vel per Diaconos vel per probos et bene praeparatos viros, etiam sine Sacramento Diaconatus, hoc fieret.

Vestis talaris

Hinc inde sacerdotes aliqui ut vestis talaris supprimatur vocitant. Ex hac suppressione maius iudicamus pro animabus generatim evenire malum. Hac in dioecesi, immo et in tota hac regione, ii tantum, et sunt pauci, sacerdotem sine talari veste incedere desiderant, qui eum magis « de mundo esse » cupiunt.

Pro particularibus adiunctis, a Sede Apostolica vel ab Ordinariis locorum, particulares dentur normae. Minime vero tantorum Sanctorum sacer mutetur habitus, hac de causa, ut facilius sacerdos distrahatur; sed si necessarium fuerit, *ut facilius salus animarum* consequatur.

De coelibatu

Puto quod nec unus sit huius dioecesis sacerdos, qui coelibatum supprimi desideret. Quid enim erit de paroecia in qua uxoratus parochus filiis et filiabus oneratur? Quid si et ipse horrendis et hodie serpentibus vitiis et immundis abusibus se tradit? Manet enim et ipse semper animalis homo.

Aliae etiam quaestiunculae, occasione Dioecesanae Sinodi agitatae sunt a quibusdam sacerdotibus, quae, cum sint in commodum singularium, a Romanis potius respectivis Congregationibus tractandae esse videntur, si proponantur.

Haec sunt quae hic infirmus Christi servus adnotanta iudicavit. Nihil mihi restat nisi Patrem luminum ferventius adprecare, ut ex hoc futuro Concilio Ecclesia Sancta Dei exeat perfulgens in fide et perpulchrior in sanctitate omnium membrorum suorum.

Eminentiae Vestrae
humillimus in Christo servus

✠ CANDIDUS I. BAMPI
Episcopus tit. Tloënsis
Auxiliaris Caxiensis

115

Exc.mi P. D. IOSEPHI BEZERRA COUTINHO

Episcopi tit. Uthinensis, Auxiliaris Sobralensis

Sobraliae, die 19 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Laeto animo Eminentiae Tuae litteras accepi quibus allatum est mihi proximum Concilium Oecumenicum in praeclarissima Urbe solemniter celebratum iri.

Periucundum mihi est huic Commissioni Pontificiae Antepraeparatoriae cui Eminentia Tua praeest opiniones et vota mittere quae, postquam electos ecclesiasticos viros audivi, ad Oecumenici Concilii considerationem proponenda censeo.

Maximi momenti, mea sententia, est de quaestionibus infra tractare:

I. In primis Summo Pontifici consulendum est circa opportunitatem pertractandarum rerum quae ad Unionem Ecclesiarum et ad *Codicis Iuris Canonici* recognitionem attinent.

II. De proclamatione dogmatis Mediationis Universalis Beatissimae Virginis Mariae.

III. De Universali Primatu Romani Pontificis, aliquid desideratur in definitione dogmatica, ita ut, quantum poterit, multo dilucidior huius veritatis sensus fidelibus universis praebeatur. Ratio et opportunitas videntur suaderi ex eo quod inter Ecclesiae Latinae christifideles aliqua serpit mentalitas quae « spontaneis, ut dicitur, reactionibus », quodammodo praestantiam insinuat huius partis Ecclesiae relate ad orientales. Et magno cum unionis detrimento evenit ut haec forma contemptus animum orientalium penitus afficere videatur.

IV. De Sacramento Matrimonii. Opportunum videtur Ecclesiam magisterio suo extraordinario aliquid de hac re loqui, ex eo quod pastorales quaestiones permultae et magnae nova forma ponuntur.

V. Ad actuosam christifidelium participationem in Ecclesiae Liturgia promovendam opportunum videtur usum linguae vernaculae inducere quoad cultus partes ad fideles attinentes. In eo quod ad Missam refertur, usus linguae vernaculae proponitur in Parte Instructionis; in dialogis; in Acclamationibus et in Oratione Dominica.

VI. Adaptatio Divini Officii ad hodiernas pastorales exigentias.

VII. Maiorem valorem tribuere cultui mysteriorum Christi Domini aliquantulum debilitato in inordinato Sanctoralis augmento.

VIII. Restitutio pristini Diaconatus ordinis ita ut melius Ministerio Verbi et Eucharistiae provideatur.

IX. Confectio alicuius Catechismi textus ad necessitates sociales et pastorales adaptati, cum summario rerum scitu necessariarum pro parvulis et rudioribus.

X. Maior participatio Religiosarum feminarum quae ad activam vitam pertinent in labore apostolico et paroeciali.

XI. Suppressio taxarum Sacramentorum administrationi debitarum. Ad condignam sustentationem autem clericorum institutio proponitur alicuius thesauri ex reditibus conflati omnium in Dioecesi existentium patrimoniorum.

Faxit Omnipotens Deus ut futurum Concilium Oecumenicum his praesertim temporibus luctuosis et trepido perturbationibus, mundo auspicia concordiae transmittat cum spe omnium bonorum quae in unitate fidei christianae continentur.

Interim impensos aestimationis meae sensus Tibi obtestor, meque profiteor

Eminentiae Tuae
add.mum in Domino

✠ IOSEPHUS BEZERRA COUTINHO
Episcopus tit. Uthinensis
Auxiliaris Sobralensis

116

EXC.MI P. D. FELICIS C. DA CUNHA VASCONCELOS

Archiepiscopi tit. Verissensis, Coadiutoris c. s. Florianopolitani

Florianopolis, die 20 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratias Tibi ago de Prot. I C/59-2495, die 18 iunii dato, circa futurum Concilium Oecumenicum a Beatissimo Papa Nostro Ioanne XXIII indictum.

« Omni cum libertate et sinceritate », haec mihi utiliter in Concilio tractari posse videntur:

I. De veritate definienda « nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus ... *nihil nobis nisi per Mariam, Deo sic volente impertiri* » (Ex Encycl. *Octobri mense,* 22 septembris 1891).

II. De restaurando munere Diaconorum in spiritu et forma primaevae Ecclesiae exercendo ab his qui nolint vel nequeant ad sacrum presbyteratum promoveri.

III. Ad tollenda dubia circa tot matrimoniorum valorem, ex parte sacerdotis non legitime assistentis,, statuatur ut quicumque sacerdos *valide* matrimonio queat dummodo quaecumque a lege tum divina cum ecclesiastica requiruntur, rite sint peracta a quibus de iure. *Gravissimae* tamen poenae statuantur contra sacerdotes *illicite* assistentes.

IV. Aetas *maxima* statuatur Episcopis ut *minima* statuitur (can. 331, 2°) ultra quam Dioecesim regere non valeant, salvo omnino iure ad congruam sustentationem. Pluris enim, ut mihi videtur, aestimandus progressus vel utilitas ipsius Ecclesiae quam Episcopi etsi benemeriti. Ut hoc facilius evadat, statui posset hanc legem non urgere nisi Episcopis post eiusdem promulgationis eligendis.

Eminentiae Tuae omni cum veneratione me profiteor

humilem in Domino servum

✠ FELIX C. DA CUNHA VASCONCELLOS
Archiepiscopus tit. Verissensis
Coadiutor c. s. Florianopolitani

CHILE

1

Exc.mi P. D. FRANCISCI B. VALENZUELA RIOS

Episcopi Antofagastensis (Antofagasta)

Antofagasta, 5 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Libentissime responsum meum communicationi tuae I C/59-135, de dignatione Summi Pontificis Ioannis XXIII fel. regn. Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico creandi, cuius praefecturam, me congratulante, Tua Eminentia, digne complebit, praebeo.

De hac ipsa Communicatione conscius sum, illos qui, Deo iuvante, Patres futuri Concilii Oecumenici erunt, propria vota atque consilia necnon opiniones seu sententias, emittere debere « omni cum libertate et sinceritate ».

Quam ob rem, postquam de Spiritu Sancto supernam lucem postulavi et petita opinione ab aliis viris ecclesiasticis prudentibus, breviter, maxima cum sinceritate et humilitate, propria vota ac desideria emittere audeo.

In re dogmatica:

Ut hoc in futuro Concilio tractatum dogmaticum « De Episcopis », sicut in Concilio Vaticano « De Summo Pontifice », exponatur necnon definiatur.

In re disciplinari:

1. Ita ut in primaeva Ecclesia sic nunc hodierno in tempore, ordo Diaconorum restauretur; ita ut Diaconi pro Episcopis et Sacerdotibus tamquam ministri et coadiutores habeantur et secundum sententiam Sancti Pauli: « Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum: et sic ministrent, nullum crimen habentes... Diaconi sint unius uxoris viri: qui filiis suis bene praesint, et suis domibus » (Ad Timotheum, 3, 8-10, 12). Restauratio Ordinis Diaconorum ita concepta, mea quidam sententia Apostolicae Sedi submissa, optimum pro deficiente numero, sacerdotum supplementum esset, praesertim hac in America Latina ubi « messis quidem multa paucissimi vero operarii ». Quibus diaconibus praeter facultates Verbum Dei publice exponendi, sacramentum baptismi administrandi et panem

eucharisticum distribuendi, etiam populo impartiendi Solemnem Benedictionem Sanctissimo cum Sacramento necnon benedicendi matrimonia « servatis aliis quae de iure sint servandae » propria quidem humili sententia concedi posset.

2. Canones de inamovibilitate Episcoporum residentialium necnon parochorum reformanda esse mihi videtur, ita ut cum ipsi ad praefixam aetatem seu status senectutis pervenerint publicis muneribus renuntiare debeant. Tamen maneat semper ius Sanctae Sedis reiciendi dimissionem (cum de muneribus consistorialibus agatur) praesertim cum mentem fulgidam vel corpus validum adhuc in senecta aetate servent.

3. Ut novae dispositiones de maiori unitate in gestione communi inter Dioeceses singulae nationis et singulae regionis necnon inter Dioeceses singulae conglutinationis nationum (ut exempli gratia de America Latina praedicari posset) a Patribus Concilii diligenter studeantur.

Etiam ut Sedes Metropolitanae de maiori gaudeant vi ac iure coordinationis ita ut Sedes Suffraganeae in aliquibus, in unum agere debeant et in vacuum singulae vires non dissipentur.

4. Ut privilegium exemptionis religiosorum et religiosarum coram Ordinario loci a Patribus studeatur et modernis temporibus accomodetur, ita ut Episcopus Dioecesanus, maiorem habeat agilitatem et libertatem ut apostolatum valeat in ordinem redigere.

In re liturgica:

1. Ut in Missa Catechumenorum lingua vernacula utatur.
2. Ut prudenter brevietur recitatio breviarii, ordinatis in sacris praescripta et e contra ut praefixum tempus orationis mentalis clericis ordinatis in sacris imponatur forsan etiam sub gravi.

Haec Antofagastensis Dioecesis una cum suo Episcopo, coram Domino, Virgine Matre Maria mediante, ferventes levat deprecationes ut gratiae et benedictiones de sua manu super Concilium Oecumenicum descendant super Sanctissimum Nostrum Patrem Ioannes XXIII, fel. regn. necnon super Te, Eminentissime Princeps, et super omnes qui in Concilio et in eius praeparatione ac executione locum habeant.

Devotissimus ac humillimus Eminentiae Tuae in Domino servus,

✠ FRANCISCUS B. VALENZUELA RIOS
Episcopus Antofagastensis

2

Exc.mi P. D. ELADII VICUÑA ARÁNGUIZ

Episcopi Chillanensis (Chillán)

Chillán, 14 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Officio N. 1 C/59-357 Eminentiae Vestrae ad quaedam capita suggerenda pro studio in Concilio Oecumenico faciendo me invitanti nunc respondere pergratum mihi est.

Ut Eminentia Vestra innuebat, viris peritis ac prudentibus iam consultis, omni cum sinceritate et libertate, quae sequuntur exponere audeo:

1. Ut sacramentorum administratio vernacula lingua fieri possit enixe optatur. Actualis enim disciplina linguam latinam in sacramentali liturgia praescribens, fidelibus omnino prohibet debitam caeremoniarum intelligentiam, a sensu et significatione sacrorum rituum totaliter alienis manentibus.

Nostris namque regionibus fideles linguam latinam numquam ediscere possunt nec in elementaribus scholis vel collegiis, nec immo in Universitatibus, quapropter Ecclesiae caeremoniae inintelligibiles saepe manent magno cum detrimento animarum et christifidelium participationis in vita liturgica. Urgens necessitas patet linguam vernaculam in Rituali Sacramentorum praescribendi.

2. Rationibus nuper adhibitis activa participatio in Missae celebratione perdifficilis evadit. Ad meliorem Sacri caeremoniarum intelligentiam et superiorem communicationem inter ministrum et populum fidelem obtinendam proponitur ut prima pars Missae, id est Missa Catechumenorum, fiat quoque lingua vernacula, immo ut possit extra altare celebrari, in altili nempe vel ex ambone.

3. Commune votum est inter sacerdotes ut recitatio Divini Officii minuatur et simplificetur. Cleri enim penuria fit ut parochi caeterique sacerdotes nimium in curam animarum habeant laborem. Unaquaque dominica vel die festivitatis religiosae, immo in diebus laboris, cum speciali licentia, Sacrum bis vel ter litare debent.

Hodierna Divini Officii recitatio, in his adiunctis, valde onerosa evadit et, ob temporis angustiam, etiam celeriter fieri debet, quare nec ipsa Breviarii ratio, nempe spiritualis unio inter sacerdotem et Dominum in tranquilla ac devota oratione, attingitur.

Quapropter ut sacerdos qui Sacrum bis litare debeat adhibita fide-

libus praedicatione eo ipso sit a Divini Officii recitatione liberatus ex corde exoptatur.

Etiam desideratur ut huiusmodi recitatio fieri possit, pro lubitu sacerdotis, vernacula lingua. Omnibus enim pergratum est materna lingua Deum precare.

4. Caeterum, attentis cleri penuria in quibusdam regionibus necnon urgenti auxilio spirituali fidelibus tradendo qui a sede paroeciali longinque degent, necessitas apparet Ordinariis permanenter facultatem tribuendi ut, prudenti eorum arbitrio, suis sacerdotibus permittere possint Sacrum ter in dominicis bis vero in caeteris hebdomadae diebus litare, sine obligatione ad Sanctam Sedem recurrendi.

5. Iisdem rationibus iam expositis, videlicet cleri penuria, cura animarum in dissitis locis degentium, necessitas ex parte parochorum saepe Missam bis vel ter celebrandi, valde conveniens videtur:

a) ieiunium eucharisticum tum sacerdotis tum fidelium totaliter supprimere;

b) ritum quorumdam sacramentorum, ut Extremae Unctionis, notabiliter reducere;

c) Diaconos cum professione civili et matrimonio iunctos instituere ut possint sacerdotes in apostolicis laboribus adiuvare.

6. Etiam proponitur habitus talaris suppressio in omnibus actibus vitae communis extra Ecclesiam et, eius loco usus habitus ecclesiastici « clergyman » nuncupati quo multi sacerdotes in Europae et Americae nationibus iam utuntur. Sic procul dubio conviventiam inter sacerdotes et populum augeret talis innovatio clerusque hodiernis moribus magis adaptatus videretur.

7. Magni momenti aestimatur, ad tollendas in quibusdam adiunctis conscientiae anxietates, in favorem fidelium et ad paroeciale ministerium facilius et efficacius faciendum, implorare:

a) ut impedimenta matrimonialia gradus minoris supprimantur; sic disciplina Ecclesiae par esset legibus civilibus inter nos vigentibus;

b) ut parochis facultas tribuatur dispensandi super impedimentis consanguinitatis, quae frequentiora sunt, non tantum in casibus occultis vel urgenti gravissima causa.

8. Alia innovatio videtur necessaria in actuali disciplina erga clericos qui ad statum laicalem sunt reducti, scilicet, ut quoque a lege coelibatus ecclesiastici sint liberati ut realiter queant, absque conscientiae anxietatibus, ad nuptias convolare et normalem sicut caeteri laici vitam ducere.

9. Ad convenientiorem clericorum pro bono spirituali fidelium distributionem, utque cura religiosa animarum methodice fiat et aposto-

latus dioecesanus sit maiori vi et disciplina praeditus, opus est ut Episcopi maiori polleant auctoritate in religiosos exemptos.

Exemptio enim religiosorum nunc existens Episcopis totaliter prohibet designationem clericorum iuxta urgentiores necessitates et uniformem apostolatus ordinationem in sua dioecesi.

Potestas episcopalis in religiosos exemptos nimis delimitata est qua de causa Ecclesia ipsa coram oculis adversariorum quodam modo divisa ostenditur.

10. Etiam imploratur ut sacerdotibus cleri dioecesani omnia tribuantur particularia privilegia quibus Ordines Religiosi gaudent in bonum fidelium, ut v. gr. benedictio obiectorum pietatis indulgentiis adnexis, viae crucis erectio, etc.

11. Excessiva Vaticani pompa est inter Ecclesiae adversarios frequentissima obiectionum. Homines enim ab Ecclesia quavis causa separati pompam pro eis excessivam qua Summus Pontifex est exornatus scandalo prosequuntur.

In petitione Eminentiae Vestrae innixus ut cum omni libertate et sinceritate loquar, ausus sum difficultatem praesentare quae saepe saepius ab adversariis ostenditur. Forsitan maior austeritas opportuna esset qua etiam et ad Ecclesiam multi allicerentur.

12. Tandem, ut efficacior sit sacerdotalis apostolatus et Ecclesia ipsa magis activa ac nostri aevi successibus semper vigilans appareat, opportunum videtur aetatem pro officiis ecclesiasticis determinare ultra quam talia officia exerceri nequeant, v. gr. pro parochi vel Episcopi dioecesani officiis.

Senectus enim saepe impedit quominus fideles rite attendantur et Ecclesiae bonum vigilantius provideatur et durum est parochis vel Episcopis eorum officiis renuntiam postulare. Omnia haec perfacile vitarentur si legislatio adesset aetatem maximam ad huiusmodi officia clare determinans.

13. Tum in Sacro Cardinalium Collegio tum in Romanae Ecclesiae Congregationibus quoddam Italiae praedominium gentes advertunt. Ut Ecclesiae catholicitas magis effulgeat opus est ut ipsa quoad viros ecclesiasticos tam intime et directe Summo Pontifici et Ecclesiae directioni assistentes vere internationalis sit.

14. Etiam numerum Cardinalium augere ita ut unicuique nationi unus saltem sit Cardinalis pro 5.000.000 civium, conveniens videtur.

Dum haec omnia Eminentiae Vestrae transcribere audeo, Vestrae Eminentiae addictissimum me profiteor.

✠ ELADIUS VICUÑA ARÁNGUIZ
Episcopus Chillanensis

3

Exc.mi P. D. ALFREDI SILVA SANTIAGO

Archiepiscopi Ss. Conceptionis (Concepción)

Conceptioni, 29 septembris 1959

Eminentia Reverendissima,

Sacro Officio N. 1 C/59-392, diei 18 iunii respondens, Venerabili Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, adiunctum fasciculum remitto, quo proposita et suggesta a SS.mae Conceptionis Archiepiscopo continentur.

« Libertas et sinceritas » ab ipsa nota petita adhibetur etiam in ipsis propositionibus, attente iis intendens, et egregiis sacerdotibus maxima prudentia atque iis rebus competentia praeditis, enixe auditis.

Qua occasione Vestrae Eminentiae Reverendissimae observantiam et aestimationem in Domino patefacio.

✠ Alfredus Silva Santiago
Archiepiscopus Ss.mae Conceptionis

I. Quaedam doctrinae capita

A) *De Universali Mariae Mediatione dogmatica definitio*

Si consideramus:

a) hanc de Universali Ss.mae Virginis Mediatione veritatem, tum traditione, universali praedicatione, tum S. Liturgia atque etiam Pontificum documentis exstare;

b) hanc insuper fidei veritatem populo christiano constanter eminere, marianae devotionis fundamentum, innumeris sanctuariis toto orbe terrarum proclamari;

c) physicam Mariae Maternitatem intime Eamdem Virginem cum Redemptione collocare, ut theologi assentiunt;

d) ab huius cooperationis gradu praescindendo, soteriologicam contributionem unanimiter aestimare, cum physica Mariae Maternitas omnium socialium privilegiorum radix dicatur;

e) spiritualem Mariae Maternitatem, physicae maternitatis prolongationem dictam, tum Synopticorum, tum vel maxime S. Lucae et S. Ioannis narratione de Mariae ad Crucem actibus fundari;

f) haec mysteria, simul ac Mariae ad hypostaticum ordinem insertionem, specialem in Corpore Mystico statum conferre.

Haec Ss.mae Conceptionis Archidioecesis, universae Ecclesiae clamorem audiendo, de universali Mariae Mediatione veritatem dogmatice ab Oecumenico Concilio proclamari desiderat et personalibus Mariae privilegiis, ut Immaculatae Conceptionis et gloriosae in caelis Assumptionis, hoc sociale et ecclesiae transcendentale privilegium adiici.

B) *De communismo atheo*

Considerando: communismum atheum Encyclica *Quanta cura* S. S. Pii IX, 8 decembris 1864, et *Diuturnum illud* S. S. Leonis XIII, 20 iunii 1881, et innumeris Pontificum documentis necnon Romanarum Congregationum dictis esse condemnatum: haec Archidioecesis arbitratur:

a) Concilium sollemniter atheum communismum condemnare; etenim si religiose, socialiter et moraliter consideretur, huius doctrinae atheismus non accidentalis sed essentialis est: etenim fundamenta humanae personae negat, ordinis naturalis, socialis et iuridici principiis obstat;

b) hanc condemnationem esse religiosam et doctrinalem, in politicam vero incidere, nam haec in religiosam et moralem vitam incursus facit;

c) poenas gravissimas in catholicos communismo addictos firmare, et catholicos communistis proclives reprobare, qui, ob oeconomicos aut sociales fructus consequendos, iis communicant;

d) socialem evolutionem, christianis principiis insitam, esse necessariam et urgentem manifestare, doctrinam socialem catholicam exstare, qua politicae factiones et christiani coetus informari debent absque ulla extranea doctrina sociali, quae Ecclesiae socialem, moralem et iuridicam doctrinam subvertere videntur;

c) collaborationismum igitur condemnare, et catholicorum directam cooperationem ad communistas et procommunistas, atque etiam ad eas factiones politicas, quae se catholicas habent, communistis tamen adhibent, et systematice et transitorie, prout convenit, propriis votis favent;

f) statuere, quibus determinatis circumstantiis, a S. Sede indicatis, generalia principia de minore malo eligendo adhiberi possint.

C) *Compendium fidei*

Si consideramus:

1) Revelationis plenitudinem « formulis » non stringi, attamen compendiosa forma fundamenta exprimi posse.

2) Nunc temporis Officiale Compendium catholicorum dogmatum Conciliari auctoritate fultum non esse, nam Symbola cognita alium finem habent:

Haec Archidioecesis utilissimum putat Concilium, « Compendium Fidei », officiale textum catholicorum dogmatum redactare.

1. *Applicationes aliquae*:

a) Oecumenico dialogo inserviret: sic christiani separati directe catholicae fidei fundamenta cognoscerent, absque commentariis et scholasticorum argutiis, et concilii vel pontificiam condemnationem circumstantialiter negando, via pateretur ad mutuam cognitionem.

b) Hoc « Fidei Compendium » ad novam theologiae *orientationem* futuram. In theologicam et biblicam investigationem maxime irreptum est: attamen bizantinismus adhuc exstat et theologica systemata servantur, quae partim historicis circumstantiis et non vitali ratione actus revelati, sunt terminata. Theologici textus haeterogenei et absque vitali cohaerentia videntur: revisionem igitur clamant, nova systemata, recenti biblica renovatione petita, « actualitas » Corporis Mystici doctrinae et vitalis cultus interpretatio.

c) Praedicationi et catechesi renovationem traheret, nam unitas, tum in theologica doctrina, tum in pastorali labore, ad instar communicantium vasorum peteretur. « Actualitas concreta » viventis dogmatis, pastoralis actus redderetur.

2. *Fundamentalia*:

a) Hoc « compendium Fidei » christianae doctrinae fundamenta positive concluderet, condemnantes locutiones vitando.

b) Biblicis principiis enixe niteretur, et traditionis vitam constanter vivificaret.

c) In iis quae opinabilia aut dogmatice nova dicere videantur, nitide finiretur.

3. « *Compendii Fidei* » *contextus*:

Hoc officiali compendio haec includi videntur:

a) De Corpore Christi Mystico, et centrum unitatis fidei vitaeque christianae.

b) De Ecclesiae Hierarchia eiusque munere supernaturali.

c) De Sacramentis.

d) De Sacerdotio christiano.

e) De loco fidelium in Corpore Mystico et de sacerdotio fidelium.

f) De Doctrina christiana circa B. V. Mariam eiusque connexionem cum Christo et Ecclesia.

g) De gratia in genuina conceptione catholica.

h) De Fide.

i) De Traditione.

j) De Sacra Scriptura eiusque catholica interpretatione.

k) De cultu Dei et sanctorum.

l) De philosophia christiana.

m) De Doctrina sociali Ecclesiae.

n) De doctrina morali sive individuali, sive familiari, sive sociali et publica.

o) De redeuntibus in unitatem fidei.

p) De progressu dogmatum homogeneo eiusque regulis.

II. De cleri disciplina

1. *De ecclesiastici studii actualitate*:

a) Huic Archidioecesi videtur, Concilii maxima auctoritate, normas esse dandas pro fundamentali studiorum ecclesiasticorum renovatione, praesertim pro S. Theologia et Philosophia. Theoricam tamen et speculativam investigationem non deserendo, utile videtur alumnorum studia ad spirituale et pastorale opus proficienda. S. Theologia, spirituali vita, praedicatione, catechesi, necnon sociali, morali et pastorali fungi aestimatur.

b) Cum iis diebus innumera systemata philosophica maximum habeant incrementum, atque psychologica et medica problemata cum Religione et morali connexa v. g. psychotherapia, partus indoloris, sterilitas etc., opus fuisset Concilii auctoritate compendium editum fore, quod haec omnia, tam innumeris documentis pontificiis edita, comprimat et Ecclesiae doctrinam in iis systematice constringat, quae ut basis ad has disciplinas docendas in ecclesiasticis institutis et superioribus catholicorum collegiorum cursibus inservire videretur.

2. *De minoribus seminariis*:

Sanis paedagogicis normis relictis, spiritualia et moralia, prima aetate, acquisita degendo, vocationum penuria earumque collectio nunc temporis levaretur, vocationes inquirendo inter superiores catholicorum collegio-

rum cursus et Universitates. Quae plures, firmiores vocationes putantur, sine ingentibus oeconomicis sumptibus ad pueriles vocationes formandas et servandas. Hae, tardae vocationes nuncupantur.

Ut quaestiones de hac re testantur, 90% iuvenum et puerorum ante 13 annos de sacerdotio cogitarunt. Saepenumero, « tardae » vocationes nonnisi « retardatae » dici videntur, nam opportunum et adaequatum cultum non habuerunt.

Igitur Concilium, laudabiles hos conatus et optimos fructus harum vocationum non dignoscendo, declarare posset, non oportere vocationes solum dicto modo seligere; Minora Seminaria conservare, perficere et augere optimum videtur, selectis studiorum programmatibus, et superiorum ac professorum accurata selectione.

Labores et activitates constringendo, regionalia et interdioecesana Seminaria Minora statuerentur.

3. *De Episcoporum in Regionalibus et Interdioecesanis Seminariis cooperatione.*

Si cleri penuria ad haec seminaria recte regenda consideratur, Concilium declarare oporteret, Episcopos qui, alumnos ad haec seminaria mittunt, ad futuros sacerdotes formandos, optimis professoribus auxilium praebere debere, mutuo Episcoporum et Praelatorum nullius concursu, electis.

Quae, iustitiam, charitatem et catholicitatem servando, idoneis seminaria magistris iuvarent, et sacerdotes ab Episcopis missi alumnos proprios enixe formarent, et Episcopos assidue de alumnis informarent, necnon graves oeconomicos sumptus levarent, quibus ecclesiasticam formationem horum sedes gravare videntur.

4. *De vocationum penuria, et de centralis officii creatione, quod iuste clerum distribuat.*

Ecclesiasticarum vocationum penuria Romanos Pontifices et Episcopos constanter clamat et urget. Hoc gravissimum problema acriter crescit; innumerae spirituales, morales et sociales necessitates ob modernae vitae complexitates augentur. Problema etiam Concilium urgere patet, et tam vitale Ecclesiae ut sacerdotalem apostolatum graviter exigat. Systematice igitur, profunde et amplie haec corrigere impellimur.

Cleri penuria, non solum aliquibus nationibus nocere censetur, sed etiam ipso Mystico Corpori, quod unitas catholica fatetur.

Haec cleri penuria, vocationum inopiam insequitur, praesertim in nationibus christiane non cultis; sed anceps cleri tam dioecesani quam regularis distributio, dictam penuriam partim causare videtur.

Ad hanc indiscriminatam clericorum distributionem, maxime nationibus, v. g. in Latino-Americanis, tollendam, laudabiles conatus sunt assecuti. Necessarium igitur videtur « Centrale Officium », quod catholice, apostolice et coniunctim diversarum regionum necessitatibus studere possit; Episcopis auditis, et Pontificia auctoritate aptas solutiones adhibere polleat. Urgentes necessitates nationum clero orphanarum, et sacerdotales fructus in iis quae clero abundant, discerneret.

Hoc Centrale Officium, directe a S. Sede pendens, « motu proprio », vel « ad instantiam partis » cuiusdam nationis realitatem sacerdotalem intenderet, et commodatorum sacerdotum conditiones praescriberet, necessarias etiam normas ad meliorem fructum consequendum ferre valeret.

III. De re liturgica

De vernacula lingua in Liturgia

a) *Fundamenta*: Lingua latina fere omnibus fidelibus incomprehensibilis aestimatur. Quae populum sensim a « primario et indispensabili fonte veri spiritus christiani » ut S. Pius X liturgiam vocat, segregat, intimae populi spirituali aspirationi non satisfacit, innumeros pastorales fructus consequenter fallit.

Quamobrem, spiritualem vitam quaerentes christiani, protestantismum desiderant, quorum spirituales necessitates apto, simplici et comprehensibili cultu, implere conatur.

b) *Suggestiones*: « Fidelium Missalis » usus, ob exiguam populi religiosam formationem, selectis reservaretur; qui fideles, meliore formatione et capacitate, de Sancta Missa religiosa instructione non indigent.

Privatae Missae Liturgia integre servata, dominicis et festorum diebus, vel communitariis Missis specialis ritus statuendus quaeritur. Iis Missis orationes, cantus, lectiones vernacula lingua pro fidelibus, paterent, quae ad formationem et spiritualem fructum assequendum necessarium vigorem habeant.

De generali sacrae Liturgiae renovatione

1. *Fundamenta*: Ad Ecclesiae liturgiam active participare nunc temporis fideles vel maxime desiderant. Ecclesiae propositum ut haec participatio vere activa monstretur, non circumstantiale putatur, ut sollemniores cultus fiant, vel fidelium lassitudo vitetur, vel indifferentes intenti fiant.

Haec activa participatio fundamentalibus et doctrinalibus motivis fundatur; nam:

— Corporis Mystici Christi activa membra fideles esse debent.
— « Aequo modo » liturgicis ritibus participare debent.
— « Depositum Fidei » mediante liturgia Ecclesia distribuit.
— « Depositum Gratiae » fidelibus mediante liturgia datur.
— Socialia problemata maxime caritatis, liturgia curat.
— Liturgia fideles tum spiritualiter tum doctrinaliter formare videtur.
— Solidaritatem et fraternitatem vere fovendo, filiorum Dei familia, mediante liturgia pure uniri arbitratur.

2. *Suggerentia*: Si consideremus quam activos liturgia progressus habeat, num generalem liturgiae innovationem vere Concilium aggredi oporteret? Eandem restruere, eodem modo quo, Hebdomadis Sanctae liturgia est renovata, Eucharisticum ieiunium, vespertinae Missae, et ad confirmationem novae normae impertitae, efficaciter fideles in Ecclesiae liturgia activos reddere censetur.

Haec renovatio certa problemata consideranda habet, ut fideles, veritatis pane satientur, quem S. Liturgia continet; idiomatis, artis, popularis cantus, opportunae praedicationis, cantus gregoriani problemata, etc.

IV. De disciplina populi christiani

A) De Diaconatus antiquitus informati restitutione

a) Fundamenta: Iterum si sacerdotalem penuriam recordamur, ad efficientes cooperatores in pastorali ministerio quaerendos, proportionata media adhiberi iudicamus. Insuper, « laicorum sacerdotium » considerantes, ad hoc ut amplius fideles apostolicis laboribus participent, eis meliores opportunitates sunt tradendae. Apostolicorum etiam laborum fructus adaugeretur, si « ambiens » christianus fiat, et intimiores inter christianos et Ecclesiae ministros contactus essent.

b) Suggerentia: Num Concilium « laicorum diaconatum » creare possit, quaeritur. Quoad laicorum diaconatus iuridicam formam, haec contemplarentur:

Electio,
Formatio,
Iuridica conditio,
Ministeria,
Ad statum laicalem reductio,
Ad sacerdotium transitus.

Pro electione, maxime profunda vita religiosa tenenda esset, irreprehensibilis vitae ordo, professionalis illius nominis auctoritas, capacitas,

necnon apostolica desideria et Ecclesiae et fratrum servitium amplectendi.

Formatio cursibus intensivis roboretur, studiorum curriculis, vel fundamentalia et necessaria, ad efficax et adaequatum ministerium pastorale et liturgicum adimplendum, apprime dignoscendo, absque obligatione in Seminario residendi, et cotidianum professionis opus servando. Haec intensiva formatio actuales disciplinas diaconato necessarias includeret, et practicae pastoralis disciplinas quibuscumque regionibus aptas, et opportunas potestates ad nutum Episcopi mereretur.

Iuridica conditio inter laicos et clerum media servaretur. Spiritualia iura, et ad sacerdotium non petita capacitas, insuper oboedientia legitimis Pastoribus in ministerio degendo. Ius ad vitam coniugalem et propriae professionis ambitum servare. Divino officio, saltem modo vigenti, non stringerentur, praeter in actibus cultus ecclesiasticis vestibus non uterentur, nec caetera cleri propria servarent. Ulterius statuere oportet aetatem ut diaconatum consequantur, et num pro eis impedimentum ordinis sacris ad matrimonium subsistat.

Iis diaconis opportuna ministeria ab Episcopis conferri possent, quae eorundem ordinationi et loci necessitatibus compatibilia aestimentur, ut baptizare, matrimoniis ad normam can. 1098 sistere, aliquibus cultus actibus praeesse etc. Quoad praedicationem, haec Episcopi iudicio et doctrinali praeparationi subicietur, attamen catechesis ordinarii ministri futuri essent.

Insuper, inaestimabilia essent eorum opera iis curialibus officiis, quae sacerdotes non requirunt.

Horum diaconorum ad laicalem statum reductio in terminatis et gravibus casibus, grave problema ordinis temporalis non esset, nam propria officia et constitutam familiam haberent.

Eis tandem ad sacerdotium transitus vitaretur, praeter quae ad commune ius cohiberi possent.

B) De civica vita

a) Sollemniter et Concilii auctoritate insistere ut unitas in religiosis principiis, et Ecclesiae normis quaerenda sit a catholicis in actibus civicis, maxime in nationibus democratia repraesentativa insitis, secernendo contingentes animi divisiones politicarum factionum, quae Ecclesiae vel catholicorum repraesentationem seipsis non tribuunt, attamen a catholicis christianis sunt constituta.

b) Publica opinio in democratico regimine manifestatur et adunatur politicis coetibus, recte constitutis, qui potestates exsecutivas, legislati-

vas et municipales positive generant, quae vicissim nationis leges applicant, praesertim eas quae matrimonium, familiam, educationem et festorum sanctificationem spectant. Catholicorum conscientias gravando, Concilium imponat stricam obligationem ut civica et transcendentalia debita exserantur; nam religio, iustitia socialis et fundamentalis caritas sic exigere videntur. Inter has graves obligationes maxime est notanda inscriptio in registris electoralibus, emissio voti, ut recta conscientia christiana docet, quo modo apti ad civilia iura recte adimplenda catholici reddantur.

C) *De actione sociali et politica*

a) Non simplex periculum, sed etiam haud dubium factum, est opificum ab Ecclesia discessio. Aliquibus nationibus tum sacerdotes tum laici diversa intendunt, et laudabiles fines perquirendo, ad opifices enixe unitos, et syndicalizatos adeunt, ad hoc ut ad Christum redire valeant. Sed nova systemata desunt, quae antiquas et inoperantes methodos relinquant, hoc grave problema integre aggrediatur, et angulares Ecclesiae doctrinae vere reales efficiatur. Hoc transcendentale problema a Concilio adoriri cupimus. Nam si Pium X audiamus, hoc opificum discessus « maximum scandalum » horum temporum arbitratur. Diversi sunt Ecclesiae labores, quibus semper exigua cleri pars manifestatur. Attamen in apostolicis operibus, Ecclesia rectum ordinem contemplare iudicatur, et certa actuum praelatio, quae ad urgentiora apostolicum ministerium coercendi urget. In iis, opifices vere christianos reddere urget. Hoc Corporis Mystici horribile ulcus, quibus methodis, quo apostolatu quibus novis modis, quibus sacrificiis sanare possit inquirimus. Urgens et diversus opificum apostolatus Concilii auctoritate invalesceret; perentoriis, praecisis, requisitoriis normis, cuiusdam regionis particularia servando, ita ut omnes compellantur ad opifices Christo lucrifaciendos.

b) Cum laudabiliter communismus oppugnetur, dispersis et disiunctis methodis, novae politicae-sociales ideae catholicorum unitatem acriter confregrunt. Haec catholicorum disiunctio, activitatum et virium dispersionem, et manifestam vel subdolam pugnam inter catholicas factiones generavit, altissimos fines consecutos delendo... Ad universam concordiam, Concilii auctoritate, revocatio, fundamentales ideas efficaciter uniret, animi vires coadunaret, dispersiones vitaret, et actuales coetus christiano spiritu praeditos, roboraret et ad profunde pontificia documenta studenda et rectius interpretanda, normas praeberet.

D) *De christiana educatione*

a) *Fundamenta*: Iuventutis christiana educatio Ecclesiam urget, et innumera pontificia documenta de hac re scripta habemus. Sed christianae educationis problema distincte et concrete diversis regionibus excogitatur. Aliquibus locis catholica schola non existit; aliis, christiana doctrina in schola communi vel Status docetur; aliis, catholica schola, independens et ab Ecclesia gubernata datur. In iis nationibus quae a communi schola religiosa doctrina impertitur, et in iis quibus etiam scholae specifice catholicae sunt, duo problemata ponderari debent: saepenumero inefficax est religiosa disciplina in communibus scholis, nam onerosa programmata studiorum, catholicam doctrinam extense explanare non desinunt, vel magistri acatholici aut sine congrua praeparatione religiosam materiam nesciunt; in catholicis scholis illud saepe fit, ut catholica disciplina ob innumeras causas profundius et coniunctim studenda desideratum finem non consequatur.

b) *Suggestiones*: Concilium de christiana iuventutis educatione leges ferat oportet, diversas Pontificum normas reiterando, et alias addendo, et differentias superius notatas non disserendo. Insuper, pro diversis systematibus necessarias cautiones servando, et methodos ab Ecclesia probatas ad docendum. Episcoporum auctoritas amplior reddatur, et in educatione a collegiis catholicis impertita, maiores interventus eis sinantur, non tantum in religione docenda, sed etiam in omni educationis complexu.

Instituta tam ecclesiastica quam religiosa reformentur, ita ut qui ad docendum sint electi, debita praeparatione technica et paedagogica polleant, et legitimos titulos a Statu petitos adquirant. Iis, sacerdotum et religiosorum in docendo praestigium cresceret, et ad haec problemata vive et profunde comphendenda apti invenirentur, et cum auctoritate et competenter complexa problemata educationis aggrederentur.

Ut haec institutio in collegiis compleatur, instructionis et religiosae formationis opera creare oporteret, ad cuiuscumque regionis necessitatem, sub Episcoporum auctoritate et fideles aliquo modo obligando.

V. De iure laicorum

a) *Fundamenta*: Ex quo *Codex Iuris Canonici* anno 1917 editum est, laicorum in Ecclesia missio, obligationes et iura cognoscibilia patent. Si S. S. Pium XII audiamus: « Ce serait méconnaitre la nature réelle de l'Eglise et son caractère social que de distinguer en elle un élément purement actif, les autorités ecclésiastiques, et d'autre part, un élément purement passif, les laïcs. Tous les membres de l'Eglise, son

appelés à collaborer à l'édification et au perfectionnement du Corps mystique du Christ ». (Discurso en el II Congreso Mundial para el Apostolado de los laicos, 5 oct. 1957 y « Mystici Corporis Christi »).

b) *Suggestiones*: De laicorum in Ecclesia missione profunde et systematice Concilium agere oporteret, et de « Laicorum sacerdotio » tractare ut S. Hieronymus S. Petri (*I Petr.* II, 9) verba interpretatur: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis, ut virtutes adnuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum ».

Ad futuram Codicis Canonici et actualem informationem in iis quae ad personas attinet, hoc studium inserviret. Praeterea, « Ius laicorum » informaret, quod de laicorum obligationibus et iuribus leges ferret, Ecclesiae statum considerando, et a *Codice Iuris Canonici* praescripta, innumera pontificia documenta post Codicem edita, et actuales et complexas Ecclesiae necessitates non obliviscendo. Hoc Ius Laicorum contineret:

— Iuridicum laicorum in Ecclesia Statum.
— Actuales canonicas dispositiones.
— Obligationes in civilibus actibus.
— Obligationes in socialibus actibus.
— Obligationes in generali apostolatu.
— Obligationes quoad Actionem Catholicam.
— Iura, ut activa Ecclesiae membra.
— Principia de « Institutis saecularibus ».
— Vitam christianam, etc.

VI. De Actione Catholica

a) Novum « Actioni Catholicae » impulsum a Concilio promovendum existimamus, et ad actuales necessitates, et ideas Actionis Catholicae statutibus contentas prae oculis tenendo, dynamicum vigorem iniciat oportet.

b) Super Religiosa Instituta maiore auctoritate Episcopi pollere deberent, ita ut eorum actualem ordinem hierarchicum non destruant, sed aliqua de actuali exceptione mutando, ita ut tum ad apostolatum in genere, tum et maxime ad multiplices Actionis Catholicae Activitates, sacerdotes melius distribuerentur. Haec aptior distributio partim cleri penuriam minueret, et maiorem unitatem et efficaciam apostolicae actioni intenderet.

✠ Alfredus Silva Santiago
Archiepiscopus Ss.mae Conceptionis

4

EXC.MI P. D. IOANNIS F. FRESNO LARRAIN
Episcopi Copiapoënsis (Copiapó)

Copiapó, die 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ioannes Franciscus Fresno Larrain, Episcopus Dioecesis Copiapoënsis, auditis viris ecclesiasticis peritis ac prudentibus, has observationes doctrinales et disciplinares proponit Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico:

a) Ut in omnibus et singulis disciplinis Sacrae Theologiae accipiat incrementum tractatus doctrinae Mystici Corporis.

b) Persona ac Missio Apostolica Episcoporum, maximam praestantiam necnon actualitatem, uti dicunt, habeant in Ecclesia, ut videant (fideles) divinam electionem: « non vos me elegistis, sed ego elegi vos » (*Ioan.*, 15, 16).

c) Consuli debet modum obviandi difficultatibus creatis a Religionibus Clericalibus exemptis in regimine et gubernio Dioecesium Residentialium.

d) Provideatur proportionalis et aequitativa distributio Clericorum, tam in qualibet Dioecesi et Provincia Ecclesiastica, quam inter dissitas regiones Americae, Africae, Asiae, etc.

e) Perutile erit stabilire « Dioeceses Protectoras » earum quae sacerdotibus carent.

f) Ne impedimenta apponantur Clericis qui nomen et iuvamen dederint pro inserviendis locis, ubi desunt exigui sacerdotes.

g) Lingua vernacula adhibeatur in administratione Sacramentorum, in benedictionibus Ritualis ac saltem, in Missa Catechumenorum.

h) Possint Episcopi Residentiales concedere facultates, dispensationes, privilegia, etc., quin recurrere debeant ad Sanctam Apostolicam Sedem (debita reverentia et subiectione).

i) Perplures sunt Clerici, tam regulares quam saeculares, desiderantes reductionem in recitatione Horarum Canonicarum ac petentes ut festa plurima ritus duplicis fiant ritus simplicis.

k) Supprimere taxas oblatas a fidelibus occasione ministrationis Sacramentorum, Sacramentalium, aliorumve actuum Cultus, Rescriptorum, etc.; consulendo alium modum iuvandi ad honestam sustentationem clericorum.

l) Deplorantes tot peccata commissa diebus dominicis ac festis, quia multi non satisfaciunt leges de audiendo Sacro, omnibus orbis locis;

providere quomodo huic legi ecclesiasticae adimpleant fideles audientes Sacrum, alio hebdomadis die, aliave obligatione vel praecepto.

m) De abolitione legis abstinentiae et ieiunii studeatur.

Ex toto corde, in Corde Iesu Eminentiae Tuae

add.mus

✠ IOANNES F. FRESNO LARRAIN
Episcopus Copiapoënsis

5

EXC.MI P. D. PETRI AGUILERA NARBONA
Episcopi Iquiquensis (Iquique)

Arica, die 30 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gaudeo supramodum de institutione a Summo Pontifice Ioanne XXIII feliciter regnante, Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico sub Eminentiae Vestrae moderatione.

Desiderio Augusti Pontificis vestraeque communicationi respondendo, in adnexo folio quaedam themata posui, quae mihi maioris momenti ut in Concilio Oecumenico tractarentur, visa sunt.

Dominum precor ut dignetur labores Commissionis benedicere.

Ab Eminentia Vestra ut ad Sacrae Purpurae osculum admittar, suppliciter peto.

✠ PETRUS AGUILERA NARBONA
Episcopus Iquiquensis

De Episcopis, ita ut conclusio practica sit principium quod apostolatus externus fidelium, sub omni respectu, potestati episcopi subesse debet?

De Laicismo, ita ut reprobetur, et confusio temporalis cum spirituali et separatio temporalis a spirituali, et promoveatur distinctio spiritualis a temporale et animatio temporalis a spirituali.

Condemnatio nationalismi et communismi.

Clara delimitatio privilegii exemptionis Religiosorum.

✠ PETRUS AGUILERA NARBONA
Episcopus Iquiquensis

6

Exc.mi P. D. ALFREDI CIFUENTES GÓMEZ
Archiepiscopi Serenensis (La Serena)

La Serena, die 26 augusti 1959

Eminentiae Vestrae Reverendissimae has litteras, ut responsum detur scripto 1 C/59-728, reverenter reddo, atque ut Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico votis obsecundare valeam, quaedam quae, modica mea sententia, in Concilio etiam tractare oportet, proponenda duxi.

1. *Circa Doctrina.* Dogmatica definitio de SS. Virgine Mediatrice omnium gratiarum.

2. *Circa disciplinam canonicam*:

A) Recessus a suo officio Exc.morum Episcoporum quorum conditio, tum ratione aetatis, tum aliarum circumstantiarum, consociari nequit cum recta gubernatione ecclesiastica, et formam legalem ad ipsorum dignam sustentationem decernere forte oporteret.

B) Maior auctoritas Episcoporum in Ordines ac Congregationes Religiosas, praesertim exemptas.

C) Magis aequa distributio, intra fines uniuscuiusque nationis, cleri saecularis, ita ut dioeceses quae copia sacerdotum gaudent aliis dioecesibus subsidium ferant.

D) Eodem modo exoptandum est ut familiarum religiosarum tum virorum tum feminarum cooperatio ad dioecesanum apostolatum maior et efficacior in dies fiat; America enim Latina inopia premitur operariorum quibus Europa redundat; his igitur regionibus et novis domibus religiosis et apostolicis operariis generose opitulari maxime necessarium videtur.

Eminentiae V. addictissimus in Dominio
✠ Alfredus Cifuentes Gómez
Archiepiscopus Serenensis

7

EXC.MI P. D. AUGUSTI O. SALINAS FUENZALIDA
Episcopi Linarensis (Linares)

Linares, die 5 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Honori summo mihi habui accipere Litteras die 18 iunii 1959 datas, quibus nomine Praesidis Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico Eminentia Vestra favet mihi significare vota Ss.mi Domini Nostri Ioannis Papae XXIII fel. regn. in primis desiderantis « cognoscere opiniones seu sententias atque colligere consilia et vota Exc.morum Episcoporum atque Praelatorum, qui in Concilium Oecumenicum ex iure vocantur ».

Ad normam invitationis tam honorificae quam gravis, invocato Spiritus Sancti lumine ac supplicans modestum hunc excusari concursum, mihi gratum est Vestrae Eminentiae communicare aliquas « animadversiones, consilia et vota », quae mihi suggessit « pastoralis sollicitudo zelusque animarum », adhibito praevio « consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium ».

Primum, Em.me Domine, est manifestatum tam fervide Augusti Pontificis votum de unione mundi sat divisi promovenda, quod inflammare valebit intimas nostras mentes, quae ardenti eodemque incendebatur desiderio impetrandi caelestialem ultimae Magistri orationis favorem: « Ut sint unum ».

Nihil quidem de studio contactus cum Ecclesiis separatis instituendi nobis esse proponendum videtur, nisi quod omnino spectat ad augendas preces nostras una cum clero fidelibusque semper elevatas, ut unio impletura sit.

Abhinc aliquot annos, Eminentia Rev.ma, mens nostra affligitur spectaculo dissensionis inter catholicos in dies fortasse ingravescentis, saltem in nostra Natione Chiliensi.

Conatus omnes ad unionem producendam reiciuntur et inter ipsos sacerdotes discordia se insinuat, quin etiam proh dolor! apostolorum inter successores.

Non solum agitur de divisione oriente ex generum differentia, quae inter aetate provectos et multis annis minores sine dubio exsistit. Habetur non modo aliqua inter mentis duos modos invicem oppositos collisio, quam novae conditiones et mundi circumstantiae praesertim utroque bello universali exstincto provocaverunt.

Persuasum nobis est dissidium esse attribuendum graviori causae, quae tamen discrepantium est principiorum et dissonae doctrinae professio, a qua ducuntur ceterae consequentiae.

Probabiliter nihil novi affirmamus mentionem de illis factis facientes, sed his modus agendi licitus nobis erit, ut argumentis confirmetur propositio, quam postea deinceps cum reverentia atque pietate enuntiare nobis erit permissum.

Condemnatae syllabo sententiae de vita sociali et praesertim de relationibus inter Ecclesiam Statumque admittuntur ac asseveratio iurium Ecclesiae est thesis, quam in praesenti tempore impugnant atque derogare concupiscunt innovatores actuales.

Catholici, ut aiunt, non iam debent procurare, ut catholicam religionem profiteatur Status; non iam quaerere oportet quonam modo Status ferat opem Ecclesiae in exercendo educationis, beneficientiae, salvationis labore; non pertinet hoc tempore ad Statum subvenire catholicis operibus nec conservare cappellanos in hospitalibus, carceribus, corporibus armatis. Haec omnia sunt reducenda ad fraternae influxum caritatis quasi radiantis, quae transformabit, ut dicunt, societatem.

Viam liberalismi philosophici ingredientes novatores perferuntur, quod fieri non potest aliter, ad concedendas communismo impio facilitates omnis generis, ut crescat, diffundatur, propagetur, denegantes Statui omnino facultatem praeveniendi nefarios incursus eius, ne vulneretur, ut insolenti cum obstinatione ferunt, communis vita democratica. Hoc modo sovieticae materialismus sectae penetrat sine difficultate in publicorum gremium magistrorum et per eosdem accedit ad Status numerosas scholas, operariorum syndicatos, culturae institutiones, etc. ac propagatur absque obstaculo in typis impressis communismi bene compositis abundeque divulgatis publicationibus.

Ita sic incidimus in gravium seriem errorum, qui sustentantur a catholicis fastidium suum erga « catholicismum traditionalem » exhibentibus.

Sic attingemus vel funestissimum errorem eorum, qui abhorreant a traditione.

Certo non ignoramus quod diversa significatione potest intelligi traditio, atqui errores impugnatos scimus vexare traditionem ipsam ecclesiasticam.

Quanto dolore novimus novorum casus sacerdotum, qui recusabant Suam Sanctitatem Pium XII praetextu illo, quod erat valde senex et proinde ab antiqua non se avertebat traditione. Maiore quanto dolore percepimus in plena conferentia Episcopali Chiliensi exclamantem quemdam

novum Exc.mum Episcopum: « Usque quando sequemur principium idipsum: Nihil innovetur, nisi quod traditum est »!

Hunc clerum comprehendimus multis valoribus aestimatione dignis esse praeditum generatimque sincero zelo apostolico. Nobis non occultum est nequaquam, quod Ecclesia in accidentalibus se adaptat temporum formis legitimis. Intentio nostra non spectat ad oppositionem erga quamlibet reformationem in quantum innovationem. Minime vero! Evidens autem est, quod mensura in illo est habenda, dum principia fidei nostrae dogmatica permanent immutabilia.

Cum non pauca horum ab innovatoribus negari vel ignorari inveniantur principiorum, exoptamus summo cum fervore claram Supremi Magisterii Ecclesiae manifestationem, quae veram indicet viam atque omnes in veritate nosmetipsos apta sit unire vinculis fraternae caritatis amabilibus.

Altera, Em.me Domine, quam debita reverentia insinuare audeam, quaestio est procurandi, ut liturgia possit producere in fidelibus effectus ipsi assignatos. De argumento novo est certum non agi, non magis exclusive in nostra America Latina, sed tempore praesenti acute sine dubio evasit et fortius redundat in nostras terras novas.

Factum exsistit quod exitus in secta protestantium propaganda in primis est attribuendus facilitati, quam offerunt populo ut intellegat caeremonias ac ipsarum in activam veniat partem .

Nihil tamen est pensandum Ecclesiam Catholicam instituisse unionem Episcopi fideliumque mutuam in Sancta Missa, in admirabili colloquio necnon paulo post in Sacro Sacrificio!

Non credo veritatem egredi, Eminentia Rev.ma, in affirmando plus centesimos nonagenos (90%) fideles nationis nostrae Americae Hibericae nihil capere de verbis quae pronuntiantur in nostris caeremoniis liturgicis.

Impressionem profundam generat notio animo nostro fingens omnem illum populum, qui assistit Sanctae Missae, conceptum habere sublimis Mysterii vagum tantum. Dilabitur ergo christianis cunctus liturgiae sacrae admirabilis thesaurus.

Ceterum mathematici calculi de Sancta Missa catholicorum de praecepto audienda ultra centesimos octogenos (80%) necnon in casibus non paucis ultra centesimos nonagenos (90%) indicant esse absentiam.

Pars exigua observat diei Dominici praeceptum; quam pauci etiam ipsorum cognoscunt significationem eius atque participes sunt!

Velim insistere, Em.me Domine, in eadem quaestione, quae in nostris nationibus confusionem hispanici et indigenae sanguinis atque Indorum numerum saepius amplum conservantibus, habet proprietates sat dissimi-

les Veteris Europae gaudentis generibus ex tempore remoto barbaro excultis per christianam religionem ut fornacem in quindecim saeculis, quae culturam generalem multo superiorem formarunt. In nationibus omnibus vel permultis Europae occidentalis lingua latina docetur in institutis mediis et etiam in elementariis scholis. Contrarium succedit male in nostris institutis educativis, ex quibus elegans Latii lingua est expulsa laicismo furioso.

Circumstantiae enumeratae sunt causae, quae absolutam producunt incompetentiam interpretandi liturgiam nostram ex parte civium, ut supra diximus, plurimorum.

Hoc admirabile et sapientissimum atque etiam psychologicum medium docendi, quod universas personae potentias allicit ac simul fidem vivificat et divinam gratiam communicat, in maiore casuum parte efficitur inutile et sine fructu. Quomodo intuitu tam vehementis mali poterimus permanere passive?

Interea haeretici, ut repetamus, vacuum nostris in communitatibus relictum penetrant, fideles nostros auferentes et praedicantes Evangelium plerumque sat deforme sed semper tamen Evangelium. Dum legimus in Sancta Missa modo pro populo occulto Evangelium, divulgant illi ipsum ubicumque in viis et in campis, per mandatarios ex populo eodem nostro simplici extractos, utentes vocibus quas omnes clare capiunt.

Petitiones multiplices usum linguae vernaculae permittendi ex parte auditae sunt, cum practici possunt cognosci exitus remedii eiusdem generis.

Quod attinet ad nostras Americae Latinae respublicas, hae experientiae demonstrant populum animo grato recipere usum linguae propriae in celebrandis caeremoniis liturgicis.

Citari potest ut exemplum sat expressum psalmorum in lingua hispanica cantus, qui rapidissime diffusus est.

Cultissimi laicorum circuli qui adhibent Missale in versione hispanica, sibi cursum novum ostendi in suae fidei progressu praesagiunt.

In ecclesiis ubi Sancta Missa ita celebratur, ut fideles assistentes possint significationem eius comprehendere atque sociari ad concessas normas, observatur pariter acceptatio melior et maior concursus.

Per hasce deliberationes, Em.me Domine, summi futurum esse credo momenti insertare argumentis, quae in futuro Concilio enucleari poterunt, votum de vernaculae linguae usu in administrandis Sacramentis necnon in Sancta Missa celebranda. Has preces elevo ad Vestram Eminentiam humiliter ac reverenter.

Denique habetur tertia vel ultima, quam nos ut vocati a Vestra Emi-

nentia proponere velimus, suggestio de argumento ordinis longe disparis capitibus antecedentibus, quod refert ad cultum Matris Nostrae Caelorum, Beatae Mariae Virginis.

Definito a Sua Sanctitate Pio Papa XII, recolendae et sanctae memoriae, dogmate Deiparae Virg. Mariae corpore et anima ad caelestem gloriam assumptae, nunc sua sponte ex illo fluere videtur, si talis est, ut credimus, animi sensus Summi Pontificis regnantis et Episcoporum universi orbis catholici et quoque omnium fidelium, dogmatica definitio sententiae quae affirmat: « B. Virgo, in coelos assumpta, ita pro nobis intercedit, ut sine eius suffragio nulla nobis gratia dispensetur ».

Haec sententia nimirum praesenti tempore est considerata theologice certa et hac in re opus non est adducere argumenta Scripturae, de ratione theologica, de auctoritate, in quibus fundata est.

Proinde Vestrae Eminentiae tantummodo expono hoc votum populi catholici supremo applausu accepturi proclamationem tam consolantem solacio, quod Nostra Mater Sanctissima a momento suae assumptionis in caelum suam exercuit missionem non solum convenientiae cum missione qua fungebatur in terra, sed etiam coherentiae cum illa ipsa secundum celeberrimam sententiam Sancti Pauli Apostoli dicentis: « Sine paenitentia sunt dona et vocatio Dei » (*Rom.* XI, 29).

Dignetur Vestra Eminentia excusare quodcumque in hisce litteris fuerit paulo alienum atque se persuasum habere zelum domus Dei nos movisse tantum.

Sacram Eminentiae Vestrae Purpuram reverenter deosculatur

Eminentiae Vestrae Rev.mae
mod.mus, dev.mus obs.mus

✠ AUGUSTUS O. SALINAS FUENZALIDA
Episcopus Linarensis

8

EXC.MI P. D. MAXIMIANI VALDES SUBERCASEAUX
Episcopi Osornensis (Osorno)

Osorno, die 20 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litterae quibus significare mihi dignatus est desiderium Augusti Pontificis fel. reg. ut Episcopi singuli ante Commissionem Antepraeparatoriam, consilia atque vota proponant, libenter respondeo, atque sin-

cere nonnulla exprimere pergo, quae mihi tractanda videntur utilia pro Ecclesia, nostrae praesertim regionis.

De Re Dogmatica.

In decursu temporis videtur oriri necessitas exponendi magis expliciter doctrinam De Episcopis. Dum Codex id iuridice singulariter tractet, dogmatice tamen desunt notiones quibus illustretur mens clericorum necnon fidelium circa tanti momenti doctrinam. Sunt etenim declarationes Sanctae Ecclesiae quasi fundamenta fidei ac ratio agendi pro disciplina ecclesiastica, itaque materia sufficiens tractatus particularis qui De Episcopis nominare queat.

De Re Canonica.

In praesentibus circumstantiis Ecclesiae Americae Meridionalis, ubi magna pars apostolici laboris sacerdotibus regularibus concredita est, auctoritas Episcoporum nonnumquam insufficiens apparet in disciplina ecclesiastica. Privilegia quae Ordines et Congregationes acquisierunt merito frequenter perdifficile reddunt dioecesanam illam unitatem, praecipue quidem in distributione apostolatus et in methodis pastoralibus atque in ordinatione apostolatus laicorum quae desiderabilia immo et necessaria videntur ad resistendum singulis inimicis qui adversus Ecclesiam iugiter pugnant. Unitas itaque cleri ex qua tantum unitas laicatus catholici oritur, eget maiori auctoritate in Episcopo quod canonice declarari debet.

De Re Liturgica.

1. Difficultas maxima fidelium Americae Meridionalis in participatione Missae Sacrificii oritur ex difficultate captandi sensuum rituum, eo quod lingua latina omnino inusitata et incomprehensibilis est.

Lectio Scripturae Sacrae, recitatio psalmorum, hymnorum ac simbolorum manet, semperque manebit, extranea nisi sacerdos coram populo cumque populo, tamquam re familiari, lingua vulgari utatur.

Itaque, aestimo usum linguae vulgaris maximi momenti in Missa Catechumenorum esse, ut fideles in actione liturgica eucharistica, activa, plena comprehensione, participes efficiantur; quod etiam ipsis maiorem utilitatem in fide et caritate, ut desideratur, trahet.

2. Quoad ministrationem sacramenti Confirmationis attinet, puto magni momenti esse confirmandos scienter gratiam apostolatus recipere. Etenim, sacramentum cum sit, non tantum perfectio Baptismi sed etiam quasi activitas spiritualis christiano confecta, necesse fore apparet maio-

ris praeparationis egere quam illius quae communiter pro pueris proponitur.

Itaque, maiorem aetatem exigere poterit, necnon latam doctrinam circa Confirmationem, tamque professionem fidei quam votum amplectendi militiam christianam quae in apostolatu exercetur.

3. Celebratio Liturgiae Missae Pontificalis fit fere impossibilis in maxima parte nostrarum Paroeciarum. Fideles permulti qui in longinquis regionibus, in pauperibus pagis, in oppidis et novis urbibus ubi nec copia cleri nec utensilia sufficienter habentur pro Missa Pontificali, fere nunquam Episcopum in paramentis pontificalibus vident, quia complexio rituum, utensilia et nimius paramentorum numerus atque copia cleri, impossibilem reddunt celebrationem Missae Pontificalis.

Qua de causa, mihi videtur, novum ritum Missae Pontificalis Minoris Cantatae inserendum esse in liturgia pro ecclesiis paroecialibus et minoribus, atque ritum pontificalem maiorem pro ecclesiis cathedralibus et sanctuariis maioribus relinquere.

Eminentiae Tuae addictissimus

✠ Maximianus Valdes Subercaseaux
Episcopus Osornensis

9

Exc.mi P. D. ALBERTI RENCORET DONOSO

Episcopi Portus Montt (Puerto Montt)

Portus Montt, 20 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Uti responsum attentae communicationis, diei 21 martii nuper transacti, quam e Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico accepi, humiliter sequentes materias pertractandas exponere audeo:

In ordine dogmatico: Explanatio doctrinae theologicae Episcopatus ac missionis laici in Ecclesia.

In ordine disciplinae: Facultas amovendi Parochos ad nutum Episcopi.

In ordine pastorali: Studium ac explanatio aptioris methodi ad activam participationem fidelium in vita liturgica Ecclesiae.

His expositis Eminentiam Vestram omni quo par est obsequio prosequor meque profiteor in Domino addictum

✠ ALBERTUS RENCORET DONOSO
Episcopus Portus Montt

10

EXC.MI P. D. VLADIMIRI BORIĆ
Episcopi de Punta Arenas (Punta Arenas)

Beatissime Pater,

En quaedam, de quibus meo humili iudicio in proximo Concilio Oecumenico, a quo quamplura exspectat beneficia totus catholicus orbis, ad maiorem Dei gloriam, et animarum salutem agere poterimus:

1. De introductione usus baptismatis collectivi, sicut primis Ecclesiae temporibus in usu fuit, ita ut statis diebus sollemnis caeremonia peragatur, intra quam, omissa iteratione precum atque interrogationum quae singulariter singulis nunc recitantur, locus detur instructioni de eiusdem Sacramenti momento, effectibus ac caeremoniarum sensu, et simul populi participationi.

2. De modo urgendi debitam ad Sanctum Matrimonii Sacramentum praeparationem, etiam, si res ferat, per statutae durationis instructionem et subsequens examen circa coniugum et parentum officia et iura.

3. De opportunitate novae legis circa cessationem ab operibus servilibus die festo, nam distinctio operum in servilia et liberalia minus apta, nostris temporibus, videtur ad finem legis assequendum.

4. De momento conventuum nationalium ordinariorum relate ad conventus provinciales.

5. De officio civium bonum commune procurandi, partium commodis etiam offensis.

Ad pedes Sanctitatis Tuae humillime provolutus

✠ VLADIMIRUS BORIC
Episcopus de Punta Arenas

11

Exc.mi P. D. ALEXANDRI DURÀN MOREIRA
Episcopi S. Caroli Ancudiae (San Carlos de Ancud)

Ancudiae, die 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est respontionem dare Prot. N. 1 C/59-1176 Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico, Emminentiae Tuae, circa ea argumenta quae, iuxta meum iudicium, in futuro Concilio tractari poterunt.

1. *De re dogmatica*:

a) Tractatus dogmaticus *de Episcopis,* cum studio de Ecclesia Particulari, cuius caput est Episcopus, sub unione et oboedientia Romani Pontificis.

b) Damnatio sollemnis doctrinae communismi.

c) Erectio Ordinis Diaconatus separati a S. Presbyteratus ordine. Hic Ordo Diaconatus haberet tantum ecclesiasticam functionem. Ratio: Ob poenuriam Sacerdotum, praesertim in nostra America Hispanica.

2. *De re canonica*:

a) Revisio Codicis Iuris Canonici in quibus auctoritas Episcopi limitatur ob exemptionem Religiosorum. Videtur necessaria modificatio huius exemptionis ita tamen ut, absque detrimento spiritus ac vitae religiosae, et servata uniuscuiusque Ordinis seu Congregationis finalitas Institutoris, possit Episcopus providere necessitatibus apostolatus in sua dioecesi.

b) Revisio Codicis Iuris Canonici relative ad officia et beneficia: desideratur ut omnia officia et beneficia sint amovibilia.

3. *De re liturgica*:

a) Videtur necessaria concessio recitandi lingua vernacula primam partem S. Sacrificii Missae usque ad Credo inclusive. Ratio: Christifideles non habent culturam sufficientem ut intelligant linguam latinam, in natione Chilensi; et videtur etiam, in America hispanica. Idem desideratur in administratione Baptismi, Confirmationis et Extremae Unctionis, ob rationem allatam et alias.

b) Desideratur ut hora conveniens pro celebratione S. Sacrificii Missae sit et mane et vespere, servatis servandis.

c) Videtur necessaria reformatio Breviarii Romani circa eius structuram, ita ut apta sit pro recitatione privata. Et desideratur etiam ut eius recitatio sit brevior pro diebus dominicis et festis de praecepto, ratione habita praesertim pro parochis, qui illis diebus bis aut ter Sacrum litant pro bono fidelium, cum itinera nimis longa peragere debeant et suos subditos attendere.

d) Desideratur etiam reductio et simplicitas habitus episcopalis.

De curriculo S. Theologiae in seminariis

Videtur necessarium ut studium s. Theologiae, una cum vera et profunda agnitione doctrinae traditionalis Ecclesiae, necessaria ut errores hodierni debellantur, tradat etiam iuvenibus aptitudinem ut possint se gerere iuxta necessitates apostolatus hodierni Ecclesiae.

Haec mihi videntur praecipua capita quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

addictissimus et obsequiosissimus
Eminentiae Tuae Rev.mae
In Iesu Christo

✠ ALEXANDER DURÁN MOREIRA
Episcopus S. Caroli Ancudiae

12

EXC.MI P. D. RAIMUNDI MUNITA EYZAGUIRRE
Episcopi S. Philippi (San Felipe)

14 septembre 1959

Eminentissime Domine,

Tota Ecclesia magna cum laetitia nuntium proximi Concilii Oecumenici, factum a nostro Beatissimo Sancto Patre Ioanne XXIII gloriose regnante, accepit.

Constitutio Delegationis Antepraeparatoriae atque Praefectura Vestrae Eminentiae Rev.mae, successum Concilii Catholici Episcoporum praesagiunt.

Praeterea Patrem coelorum rogo, ut, si Voluntas eius fuerit, mihi adesse cum meis excellentissimis fratribus in Episcopatu permittat, ut, omnes pleni divino Spiritu, multo magis adiuvare ad definitiones dogma-

ticas, reformationes ac disciplinae restitutiones, quae sine dubio in Ecclesiae aedificationem redundabunt, possimus.

Ut respondeam ad interrogationes factas a Sua Eminentia in litteris suis 18 iunii, reverenter puncta sequentia proponere audeo:

1. Theologia Episcopatus. Auctoritas Episcopi atque officium eius in omnibus operibus Ecclesiae.

2. Maior interventio Episcopi in Institutis exemptis. Minor istorum independentia. Maior cooperatio, coordinatio ac subordinatio Religiosorum atque Religiosarum exemptarum ad Episcopatum bonumque Ecclesiae.

3. Utilitas statuendi aetatem ad recessum honestum Episcoporum et Parochorum.

4. Studium profundius communismi atque eius condemnatio.

5. Maior simplicitas in facie (vita « externa ») Ecclesiae.

6. Examinatio possibilitatis introducendi unum annum praeparationis spiritualis, ut tirocinium religiosum, pro Seminaristis, qui ex Philosophia ad Theologiam transeunt.

7. Usus linguae vulgaris: in Missa catechumenorum; in administratione omnium sacramentorum; denique in recitatione Breviarii pro feminis Religiosis vitae contemplativae.

8. Reformatio, simplificatio atque breviatio Breviarii Romani.

9. Ordinatio vitae Sacerdotum miserorum, qui propter unionem coniungalem civilem a vera vocatione sua defecerunt, ut non modo illi, sed etiam eorum mulieres salvae esse possint. Legitimatio eorum filiorum.

10. Restauratio officii Diaconatus in Ecclesia pro hominibus vel solutis vel matrimonio ligatis.

Cum certiorem faciam Eminentiam Vestram de his ideis, tantummodo intendo ut hae simplices propositiones ad meliorem successum Sancti Concilii, ad salutem animarum gloriamque Dei et ad Ecclesiae augmentum adiuvent.

Osculatur Sacram Purpuram Vestrae Eminentiae Reverendissimae suus filius addictus in Christo Iesu

✠ Raimundus Munita Eyzaguirre
Episcopus S. Philippi

13

EXC.MI P. D. EMMANUELIS LARRAÍN ERRÁZURIZ

Episcopi Talcensis (Talca)

Talcae, d. 5 septembris 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Libentissime litteras Eminentiae Vestrae quibus Episcoporum de rebus in proximo Concilio Oecumenico pertractandis vota rogantur accepi.

Ad doctrinam catholicam quod attinet peropportuna videretur amplior de natura, ambitu ac momento potestatis episcopalis explanatio; quamvis etenim de hac re non pauca apud theologos et Romanorum Pontificum documenta inveniantur, sollemnitas magisterii conciliaris non despiciendum splendorem huic argumento certe afferret, sicut Vaticani Concilii exitus de Summi Pontificis potestate docentis demonstravit.

In his doctrinae capitibus explanandis et munus apostolicum uniuscuiusque episcopi in sua dioecesi et relationes tum clericorum, sive dioecesis sive religiosorum, tum laicorum ad eum aliquo modo statuere oporteret. Cum vero de laicorum in Ecclesia agendi ratione praeclara exstent Pii Pp. XII felicis recordationis documenta labor et facilior et securior evasit.

Attento vero universalis Ecclesiae Magisterio definitionem dogmaticam de natura et effectu contritionis perfectae proponi posset.

De rebus liturgicis ea omnia quae ad reformationem Missalis Romani, ad scilicet ampliorem usum Evangelicarum lectionum necnon Epistolarum, pertinent sicut etiam de legibus pro vernacula lingua in liturgia usurpanda tractari possent.

Cuncta fausta interea Eminentiae Vestrae Deo adprecatus, devotissimus servus maneo,

✠ EMMANUEL LARRAÍN ERRÁZURIZ
Episcopus Talcensis

14

Exc.mi P. D. IOSEPHI E. SANTOS ASCARZA
Episcopi Valdiviensis (Valdivia)

Valdiviae, 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

In simplicitate cordis mei, ea sinceritate et libertate, quam Eminentia Vestra in epistola 18 iunii 1959, postulat, mentem meam, consilio habito prudentium virorum ecclesiasticorum, humiliter pando.

1. Quaedam doctrinae capita:

De Episcopis. De origine Dominica stabilienda, secundum schemata prius in Concilio Vaticano parata, de eorumque potestate in dioecesibus ipsis commissis, necnon de natura vinculi existentis inter ipsos et Nuntios Apostolicos, et de Conferentiis Episcoporum sive provincialibus, sive nationalibus, sive, tandem, internationalibus (CELAM).

De quibusdam modernis erroribus, praesertim circa hominis et societatis civilis originem et evolutionem, circa libertatem personalem, matrimonium et familiam; circa proprietatem de eiusque usu et abusu, inspectis hodiernis conditionibus; circa Ecclesiae iura in educatione et de partibus tum parentibus, tum Ecclesiae et Statui spectantibus.

De unione cum ecclesiis dissidentibus, deque disciplina ex eventuali unione oriunda.

De Ecclesiae Christi notis, et praesertim de catholicitate et de modo practico agendi, ita ut ex ipsa ecclesiastica organizatione haec nota clarior reddatur.

2. De disciplina cleri et populi christiani.

De paupertate a Christo suis apostolis commendata, attentis hodiernis adiunctis. De habito ecclesiastico, inspecta evolutione societatis civilis et modernis mediis locomotionis. De simplificatione habitus episcopalis, magis consonantis simplicitati hominis hodierni et, praesertim, de suppressione eorum quae hodiernos homines magis longe faciunt ab Ecclesia, quam ad ipsam attrahunt. De diebus de praecepto, de laboribus sic dictis servilibus et de positiva praestatione in die Domini.

De maiore actione laicorum in rebus ecclesiae ita ut in lucem ponatur eorum responsabilitas tum in administratione rerum oeconomicarum, tum in afferendis mediis materialibus ut spirituale opus Ecclesiae facilior et efficacior evadat.

3. De Iuris Canonici revisione circa ea quae obsoleta esse poterunt, si ratio habeatur de maiore participatione laicorum in apostolatu, prae-

sertim in opere sic dictae Actionis Catholicae, quae, aliquarum confraternitatum (Doctrinae Christianae, SS. Eucharistiae) partes sumpsit. Item de Missae binatione et trinatione, praesertim diebus ferialibus, de ieiunio eucharistico, de iuribus stolae, etc.

4. De re liturgica et pastorali, ratione habita inopiae sacerdotum: cultus divinus, non solum esset participatio fidelium ad vitam divinam et ad Deum colendum, sed etiam conferet ad instructionem v. gr. in Missa, si saltem pars, sic dicta catechumenorum, lingua vernacula legeretur et pariter sacramenta, sacramentalia, benedictiones, etc. quae Rituali Romano continentur.

De participatione magis activa fidelium, congruenter instructorum, in ministerio sacerdotali, saltem praedicatione et administratione sacramentorum, v. gr. baptismi, distributione SS. Eucharistiae, salvo in regionibus ubi sacerdotes raro peregrinantur ob extensionem paroeciarum.

Hac occasione Eminentiam Vestram animae sensus ex corde profiteor et ad osculum Sacrae Purpurae humiliter me prosterno

✠ IOSEPHUS E. SANTOS ASCARZA
Episcopus Valdiviensis

15

EXC.MI P. D. OPILII ROSSI

Archiepiscopi tit. Ancyrani, Nuntii Ap. in Chile

Santiago, 19 aprile 1960

Eminenza Reverendissima,

Già ebbi l'onore di accusare ricevuta del venerato Dispaccio N. 1 C/59-1656 del 10 luglio u. s., con il quale Vostra Eminenza Reverendissima, nell'informarmi che stava inviando agli Eccellentissimi Vescovi e Prelati, che saranno i Padri del futuro Concilio Ecumenico, una Lettera Circolare invitandoli a manifestare liberamente le loro opinioni, desideri e voti, mi esortava a farle conoscere il mio pensiero sugli argomenti indicati.

Chiedo venia se non ho corrisposto più sollecitamente al desiderio di Vostra Eminenza. Aspettavo di conoscere le risposte di questi Eccellentissimi Ordinari per orientarmi meglio, ma essi, ad eccezione di due, le hanno inviate direttamente a cotesta Pontificia Commissione.

Nei fogli annessi, ho accennato ad alcuni punti. Vostra Eminenza giudicherà se meriteranno di essere tenuti presenti.

In primo luogo ho manifestato il sommesso parere che la riserva dei benefici dei membri d'onore della Famiglia Pontificia abbia un ambito meno esteso. Quando uno di tali benefici si rende vacante, le cose si complicano troppo pel fatto che non solo esso è riservato, ma anche quello del successore e poi del successore del successore e così di seguito. Data la scarsezza del clero, tale procedimento riesce assai oneroso e di fatto i Vescovi spesso non ne tengono conto, probabilmente perchè ignorano tale prassi. La riserva dovrebbe limitarsi, a mio modesto parere, al beneficio del Familiare d'onore pontificio e per di più dovrebbe valere solo per i benefici dei Prelati Domestici e Protonotari.

Ho poi accennato alla convenienza che il sacramento della Cresima venga amministrato in età non troppo tenera (in Equatore viene conferito regolarmente ai neonati), affinchè venga maggiormente valorizzato ed apprezzato e serva come ammissione pubblica alla milizia cristiana e all'apostolato. Ritardandolo, però, troppo, molti trascurerebbero di riceverlo. Il momento più conveniente potrebbe essere forse al termine delle scuole elementari.

A istanza di qualche sacerdote esperimentato, ho ricordato la necessità che i Vescovi non abbandonino alla loro misera sorte i sacerdoti infedeli. A parte il dovere di carità che deve muovere il Presule a salvare queste anime, vi è il grave fatto che nella maggioranza dei casi tali infelici diventano i peggiori nemici della Chiesa e la più grande rovina delle anime.

Ho creduto poi di fare qualche rilievo d'ordine liturgico. Le funzioni pontificali riescono troppo lunghe per la gente che si stanca facilmente e dispone di poco tempo. La cerimonia, per esempio, della vestizione al trono occupa molto tempo e lascia il popolo indifferente. Meglio, a mio modesto parere, e di fatto già si sta facendo, che il Vescovo celebrante entri in Chiesa già rivestito dei sacri paramenti e immediatamente inizi la Messa Pontificale. Ne scapiterebbe forse un pò la pompa esteriore della cerimonia, ma l'attenzione dei fedeli verrebbe concentrata di più verso il sacrificio della S. Messa. Forse si potrebbe anche vedere se non convenga ridurre tante genuflessioni al Vescovo, riservando questo atto piuttosto alla Ss.ma Eucarestia e alla Croce. I liturgisti potranno eventualmente vedere se sia veramente necessario che il celebrante debba leggere per suo conto l'epistola e il vangelo che poi sente cantare dal suddiacono e dal diacono rispettivamente.

Una forma ridotta di Messa Pontificale con meno Ministri, sarebbe desiderabile — credo che già sia in uso in Germania — per le chiese ove non è possibile avere tutto il personale richiesto. Qui, in America

Latina, certi vescovi, ben raramente lo possono celebrare, per la grande penuria di sacerdoti.

Mi sono anche permesso di toccare il delicato punto della lingua della S. Messa. Credo che qualche concessione si potrebbe fare, come quella di permettere che il celebrante legga direttamente in lingua volgare il testo dell'epistola e del Vangelo. Il ministero del sacerdote, infatti, è quello di annunciare la parola di Dio e si suppone che debba farlo in una forma intelligibile. Riesce poco decoroso che, come si usa fare ora nelle Messe dialogate, il celebrante debba leggere le parti mobili della Messa segretamente, ed un laico, e più spesso una donna le comunichi ai fedeli distraendo la loro attenzione dall'azione dell'altare. Nè riesce soddisfacente che il sacerdote debba leggere questi brani sacri prima in latino e poi nella traduzione. Il latino è per gli stessi intelletuali del tutto inintelligibile qui in America del Sud; cosicchè il popolo si trova sempre di fronte a una barriera che lo separa dal penetrare nella sacra liturgia. Ancora troppo pochi sono quelli che usano il Messalino.

Superfluo aggiungere che anche per questo punto come per i rimanenti non intendo minimamente imporre questa opinione.

Avrei voluto anche accennare alla convenienza per le Comunità religiose clericali, che non dispongono di professori preparati, di aiutarsi fra di loro per gli studi di Filosofia e Teologia, ma credo che a questo riguardo vi siano già disposizioni della S. Sede. Come Nunzio Apostolico in Equatore dovetti rilevare la forma del tutto inadeguata con cui vari Istituti religiosi organizzavano gli studi ecclesiastici. Ultimamente parecchi di essi avevano cominciato ad inviare i loro alunni alle scuole di altre comunità più efficienti.

Ringrazio Vostra Eminenza di aver voluto che anche l'umile sottoscritto faccia giungere le sue osservazioni, e mi valgo della presente opportunità per baciare la Sacra Porpora e per confermarmi

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
umilissimo, obbl.mo dev.mo servitore

✠ OPILIO ROSSI
Arcivescovo tit di Ancyra
Nunzio Apostolico nel Chile

1. Reservatio beneficiorum Familiarium Summi Pontificis (can. 435 § 1, n. 1-4) cum ad Cubicularios intimos S. S. extendatur, nimis onerosa, mihi videtur, pro regionibus quae penuria cleri afficiuntur, ubi generatim urget beneficia curata providere.

2. Quoad collationem sacrae Confirmationis, mihi placet sententia illorum, qui aestimant, si id fieri poterit facile, aetatem supra annos discretionis pro hoc sacramento exigendam esse et maiorem praeparationem, ita ut Confirmatio sit tamquam propositum amplectendi militiam christianam, quae in apostolatu exercetur. Tamen non ultra duodecimum annum recipi deberetur.

3. Si sacerdos aliquis, quod Deus avertat, statum ecclesiasticum deseruerit, Episcopus eum ne derelinquat sed uti pater eum requirat, pro eo oret et orare facit et semper promptus sit ad eum adiuvandum et ad viam salutis ei pandendam.

4. Peropportunum mihi videtur ut functiones pontificales aliquatenus simplificentur ne nimium protrahantur et fideles ab ipsis animum avertant. Verbi gratia convenienter pontifex hora Missae pontificalis posset ingredi Ecclesiam iam indumentis sacris indutus et Missam statim incipere. Ritus enim vestitionis nimium temporis postulat.

5. Missa pontificalis ad faldistorium minus decorosa videtur. Episcopus convenienter semper throno uti deberet etiam si extraneus vel auxiliaris, nisi vacante sede propter obitum Episcopi residentialis.

6. Caligae et sandalia forsitan reformari poterunt ita ut eorum usus magis simplex evadat.

7. Ob penuriam sacerdotum, praesertim in America Latina, saepe impossibile fit celebratio Missae pontificalis. Quapropter ritus simplicior instaurari poterit his in adiunctis cum duobus tantum ministris adsistentibus.

8. Quidam Ordinarius Chilensis partem Missae, quae dicitur catechumenorum, celebrandam esse lingua vulgari proposuit.

Non sum particeps huius sententiae, sed forsitan poterit Sancta Sedes permittere ut Epistola et Evangelium a celebrante directe lingua vulgari legantur.

✠ Opilius Rossi
Archiepiscopus tit. Ancyranus
Nuntius Ap. in Chile

16

EXC.MI P. D. CAROLI G. HARTL

Episcopi tit. Stratonicensis in Caria, Vicarii Ap. Araucaniaënsis
(Araucania)

Villarica, die 30 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Libenter eis obsequenti, quae Tua Eminentia in litteris tuis die 18 iunii huius currentis anni datis mihi ut Beatissimi Domini Nostri Ioannis Papae XXIII optionem expressit, auditis consiliis complurium sacerdotum huius Vicariatus magna peritia ac prudentia praeditorum, mihi gratum est Tuae Eminentiae haec desiderata et has opiniones proponere.

De materiis ad theologiam dogmaticam spectantibus

1. *De inspiratione S. Scripturae.* Clarius distinguendum esse puto inter inspirationem, quae revera pertinet ad totum textum ab hagiographo conscriptum, et revelationem quae spectat ad res fidei et morum et nostram salutem: « Ut perfectus hit homo Dei » (II *Tim.* 3, 17). Ideo e gr. genealogiae in quinto capite libri Genesis sunt sub inspiratione quidem scriptae, sed revelatum est id solum, quod ad fidem pertinet, id est omnes homines ab Adam et Eva originem ducere. Reliqua Spiritus Sanctus non intendit et sacer scriptor narrat secundum modum illo tempore consuetum. Chronologiam illam non posse veram esse scientia palaeontologica evidenter demonstrat.

2. *Petitur ut declaretur intima essentia Ecclesiae*, quae est corpus Christi mysticum.

Rationes:

a) Constitutio hierarchica Ecclesiae, a Concilio Vaticano definita, indicat quemdam aspectum Ecclesiae, sed non totam suam essentiam.

b) Definitiones et explicationes usitatae ponunt essentiam Ecclesiae in circumstantiis concomitantibus essentiam.

c) Iam pro Concilio Vaticano praeparatum erat schema definitionis Ecclesiae ut Corporis Christi Mystici.

d) In mente moderna idea communitatis gaudet summa appretiatione; ergo conveniens est, ut magisterium Ecclesiae explicite et aperte dicat, ubi illud desiderium cordis humani perfectius impleatur, sc. in societate supernaturali, quae vivit in intimo nexu cum Deo qua Corpore Christi Mystico.

e) In conversatione cum acatholicis summi momenti est posse loqui cum certitudine et solido fundamento de hac essentia Ecclesiae.

3. *Petitur declaratio dogmatis Mariae ut Mediatricis omnium gratiarum.*

Rationes:

a) Tum S. Scriptura tum Traditio in eo conveniunt, quod Maria concurrit in adventu Salvatoris (per verbum suum datum in annuntiatione), in opere redemptionis in cruce peractae (per praesentiam sub cruce et verba Iesu ad ipsam directa) et in dispensatione gratiarum redemptionis (insinuata per eadem verba Christi, praeterea per praesentiam Mariae in adventu Spiritus Sancti).

b) Haec veritas non contradicit, immo supponit et confirmat veritatem, quod Christus est unicus redemptionis auctor et mediator supremus ante Patrem.

c) Attestamur consensum omnium fidelium hic degentium circa talem veritatem.

De materiis ad theologiam pastoralem spectantibus

I. votum

Praemissa:

Fons plurimorum malorum his in terris est penuria sacerdotum. Est enim causa:

a) Extensionis immanis paroeciarum.

b) Inopiae ecclesiarum, id est: deficiunt loci ubi cultus Deo offeratur a fidelibus.

c) Inactivitatis fidelium diebus dominicis et festis, quia absentibus sacerdotibus nullum cultum publicum Deo offerunt.

d) Ignorantiae et desidiae fidelium quia pauciores sunt qui auctoritate instruant et praesideant.

f) Maioris exitus conventiculorum heterodoxorum ad cultum destinatorum,quia in illis quivis magister et sacerdos exsistit et auctoritate praedicat oratque.

Conclusio:

Peto humiliter *ut provideatur Ecclesiae Catholicae augmentum numeri ministrorum sacrorum verbi et sacramentorum. Mihi videtur, praeter alia consilia, hoc fieri posse quo Ordines minores et maiores usque ad diaconatum inclusive* impertiantur etiam iis, qui sacerdotalem vocationem et gratiam caelibatus non habent.

Rationes:

a) Hoc consilium traditioni pristinae Ecclesiae haud contrarium, immo consentaneum est.

b) Diaconi tales, auctoritate praediti sacra, orationum, lectionum sacrarum cultui praeesse, praedicare, baptizare, vias sacerdotum uti praecursores praeparare possunt.

c) Laicorum apostolatus cooperatio, etsi necessarium immo optimum, apostolatum sacrum talium ministrorum numquam supplet aequaliter. Auctoritas sacra eis deest.

d) In multis locis, ubi nunc linguae fidelium tacent, laus Deo caneretur, Eucharistia sumeretur, baptismi administrarentur oportunius, saluti animarum provideretur efficacius.

II. votum

Praemissa:

Causa ignorantiae in rebus religiosis, his in terris est multiplex. Praeter alia argumenta haec adducimus:

a) Sacra Biblia nostris catholicis liber ignotus est: nec tenent librum nec legunt nec audiunt lectiones. Sed protestantes « evangelici » ample diffundunt libros S. Bibliae inter omnes populi gentes.

b) In Missis nostris fideles praeter paucas pericopas Evangeliorum et homilias de iisdem nihil audiunt e S. Scriptura. Sic fit, ut Missa Catechumenorum, quae ad fidelium instructionem et orationem instituta antiquitus est, nihil fere aut parum ad tollendam ignorantiam confert.

Conclusio:

Peto humiliter Patres Concilii futuri ut videant:

a) *Quomodo Missa Catechumenorum meliori fidelium institutioni inserviat* (lingua vulgari in lectionibus et orationibus et psalmis, si populus adest).

b) *Quomodo maiore varietate pericoparum cognitio Verbi Dei augeatur.* Nam tam in Vetere quam in Novo Testamento haeretici confundunt ignorantiam multorum catholicorum.

c) *Quomodo editiones integrae S. Bibliae a protestantibus late divulgatae cum texto authentico plene concordantes nostris catholicis permittantur.* Mihi videtur haec res magnae utilitatis, dummodo de authenticitate constet ad normam can. 1385.

Rationes:

1) Hae conclusiones videntur traditioni pristinae Ecclesiae plane consentaneae.

2) Novis modis vetera colentes melius fundamentum unionis cum haereticis ad catholicam fidem regredientibus paramus.

3) Ampla diffusione Bibliarum optime editarum utimur ad « captivam ducendam captivitatem » haereticorum in sinum Ecclesiae remigrantium, atque ad nostros melius instituendos in rebus S. Scripturae.

III. votum

Praemissa:

Mores populi christiani sensim a Christi via dilabuntur, ita ut leges Ecclesiae non intelligantur et pastores animarum extranei multis appareant. Causae sunt:

a) Permixtio in dies maior fidelium cum haereticis et paganis in rebus profanis, in commerciis, diversionibus, theatris, periodicis ephemeridibus, relationibus familiaribus etc.

b) Praepotentia numerica et oeconomica infidelium et haereticorum; pompa et astutia propagandae.

c) Abortus, divortium, adulterium, fornicatio, onanismus matrimonialis publice laudantur: Conscientia christiana corrumpitur.

d) Populus christianus ignorat rationes et species poenarum medicinalium (censurarum) quibus haec et alia delicta puniuntur. Sic fit ut paucissimis delinquentibus medicinae, plurimis scandala fiant.

e) Talibus vitiis complicati, cuius numerus legio est, a vita gratiae, sacramentorum, orationis, oboedientiae pastorum alienantur, vestem sacerdotalem fugiunt ut signum contradictionis; itaque minime inveniuntur oves errantes et difficillimum evadit munus sacerdotis quaerendi et reducendi eas.

Conclusio:

Peto humiliter Patres Concilii ut videant:

a) *Quomodo poenae medicinales verae medicinae efficiantur*: Mihi videtur necessarium esse, ut censurae ad simpliciores normas redigantur, quae a sacerdotibus facile explicari et a fidelibus bene memoria retineri possint.

b) *Quomodo maiore rigore puritas disciplinae augeatur*: Mihi videtur opportunum esse, verbi gratia, ut patrini Baptismi et Confirmationis non admittantur praecepto paschali non satisfacientes (ad normam can. 859 et 861).

IV. votum

Valde optandum est ut clericis extra ecclesiae ambitum liceat vulgarem atque communem habitum instar laicorum gestare, sublato praecepto de quo can. 136 *C.I.C.,* dum signo aliquo sacerdotes qua tales dignoscantur. Pariter haud minus desiderandum est ut clerici ad Tonsurae coronam ferendam in posterum non teneantur. Commendatur etiam petitio ut loco vestis talaris induti sint sacerdotes vestitu breviore, nigro quidem et decoro ut in America septentrionali et Anglia.
Profundae meae devotionis erga Eminentiam Tuam sensus profitens permaneo

humilis in Christo servus
✠ CAROLUS G. HARTL
Episcopus tit. Stratonicensis in Caria
Vicarius Ap. Araucaniaënsis

17

REV.MI P. D. MARII M. ZANELLA

Administratoris Ap. Vicariatus Ap. Aysénensis (Aysén)

E Civitate Aysenense, 8 augusti 1959

Eminentissime Pater,

Dum Tibi valde congratulor, eo quod Sanctissimus Dominus Noster Praesidem Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico Te nominavit, mihi, tamquam novissimo atque indignissimo consulto circa res et argumenta, quae in futuro Concilio tractari poterunt, gratum est Tibi notificare:

1) Ad fidelium negligentiam solitudinemque vitandam in sanctae Missae auditione et in cetera sacramenta suscipienda, psalmi orationesque omnes in vulgari lingua recitentur. Protestantes atque dissidentes magis ac magis inter adeptos suos consensum mihi colligere videntur, propter maiorem intelligentiam eorum liturgiae. Et hoc in locis missionum praesertim valet, ubi minister catholicus debita frequentia fideles suos invisendi atque liturgice praeparandi possibilitate caret.

2) Ut maiores rationes intentionesque obtineantur inter catholicos et dissidentes atque protestantes fratres, qui nobis in praedicando atque diffundendo uno eodemque evangelio nobis opponuntur, magna cum perturbatione fidelium, votum facio atque deprecor.

3) Utinam compluribus sacerdotibus, qui extra claustra morantur

atque in saeculari statu reducti fuerunt, possibilitas cum sancta Matre Ecclesia se reconciliandi concedatur, videlicet ut sacramenta saltem recipere possint.

Salutat Te addictissimus in Domino filius

MARIUS M. ZANELLA
Administrator Ap. Vicariatus Ap. Aysénensis

18

EXC.MI P. D. PII A. FARIÑA FARIÑA
Episcopi tit. Citharizeni

Sancti Iacobi in Chile, Kal. sept. 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Diuturna experientia in Dioecesana Curia Sancti Iacobi in Chile acquisita, necessitatem me docuit aut saltem convenientiam ut aliqua praescripta Codicis Iuris Canonici mutentur vel amplientur ut melius utilitati fidelium ac generali disciplinae consulatur.

Quapropter, Eminentiae Vestrae voluntati libenter oboediens, aliqua humiliter suggerere ausus sum, quae in adnexis foliis continentur; ut, si Eminentiae Vestrae placet, in futuro Concilio Oecumenico discussioni proponantur.

Sacram Eminentiae Vestrae purpuram humiliter osculatur vester in Christo servus

✠ PIUS A. FARIÑA FARIÑA
Episcopus tit. Citharizenus

DE PERSONIS

De modo acquirendi domicilium

Quatenus personae naturales earumque familiae eumdem residentiae locum diuturne impraesentiarum retinere non solent, magis congruum videtur, rebus ut nunc se habentibus, ut tempus quo domicilium acquiritur sit commoratio ad quinquennium protracta, non ad decennium prout in can. 92 § 1 statuitur; salvo praescripto ipsius canonis quoad primum modum acquirendi domicilium.

De aliquibus prohibitionibus clericis impositis

Prohibitio a fideiubendo clericis imposita in can. 137 magis urgeri expedit, ita ut fidei iussio non eis liceat nisi de expressa Ordinarii loci licentia in singulis casibus.

Canonicas poenas contra infractores praescripti can. 142 in nova legislatione imponere oportet quae a Decreto S. Congregationis Concilii sunt statutae (22 martii 1959. *A.A.S.,* XLII, pp. 330-331).

De potestate ordinaria et delegata

In fine can. 209 addere expedit: « etiam pro eo qui matrimonio assistit sine competente delegatione quae vi can. 1094 requiritur » (*C.I.C.,* 26 martii 1952. *A.A.S.,* XLIV, p. 497).

De examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus

Quia Dioecesana Synodus difficile haberi potest in multis dioecesibus decimo quoque anno; fortasse paragraphum primam can. 385 § 1 modificari oportet, ita ut tam examinatores synodales quam parochi consultores directe ab Ordinario loci nominentur. Quod ita in praedicto canone exprimi poterit: « In quavis dioecesi habeantur examinatores synodales et parochi consultores ab Ordinario loci, audito Capitulo Cathedrali, designati et nominati ». Quod magis consonum videtur praescripto canone 386 § 2.

De baptismo adultorum

Quatenus numquam aut fere numquam servatur quod de ieiunio commendatur in canone 753 § 1, fortasse supprimi liceat paragraphus primo huius canonis. Eo magis quo opportuniores et benigniores normae nunc vigent de ieiunio etiam eucharistico servando.

De Ministro confirmationis

Ad mentem Decreti diei 14 septembris 1945, § 2 canonis 782 addere oportebit: « vel, in periculo mortis, quilibet parochus pro suis subditis aut etiam extraneis in suae paroeciae territorio commorantibus ».

De sacerdote Missae Sacrificium celebrante

Canonem 808 modo congruo aptare expedit dispositionibus et normis nunc vigentibus de ieiunio eucharistico a sacerdotibus servando pro Missis horis vespertinis celebrandis; quae praxis, experientia teste, in fidelium bonum maxime redundat.

De tempore Missae celebrandae

Item, in canone 821 § 1 recentes dispositiones includere congruit de Missis horis vespertinis suetis conditionibus celebrandis.

De clausura monialium

Ut melius casibus consuletur verae necessitatis aut magni momenti utilitatis, oportet ut in nova legislatione Ordinarii locorum praediti sint facultate permittendi breves monialium egressus e clausura in iis adiunctis quae in Instructione *Inter caetera* a S. Congregatione Religiosorum memorantur (*A.A.S.*, 1956, p. 516). Cuius facultatis mentio fieri poterit in canone 601, inclusa quae sub numero 22 in praedicta Instructione continetur, quando, scilicet, urget obligatio iura vel officia civilia exercendi.

De tempore pro Sacra Communione distribuenda

Innovatione attenta quae nunc feliciter viget (Const. Ap. *Christus Dominus*), § 2 can. 867 supprimere vel modificare oportet.

De matrimonialium impedimentorum dispensatione

Inter facultates ordinariae iurisdictionis Ordinarii loci eas includere expedit quae in hodierna disciplina conceduntur vigore Facultatum Quinquennalium quoad dispensationem impedimentorum iuris ecclesiastici, sive impedientium sive dirimentium, iis exceptis de quibus mentio fit in can. 1043 § 1; quae facultates, cum semper quinto quoque anno renovantur, practice tamquam habituales sunt habendae.

De initi matrimonii adnotatione

Attentis difficultatibus quae in praxi occurrunt, oportet ut adnotatio matrimonii initi fiat in paroecia ubi investigationes praeviae factae fuerunt; in qua, scilicet, testimonia baptismi atque alia contrahentium documenta inveniuntur; atque ita statuere in can. 1103 § 1, atque idipsum urgere in § 3 huius canonis.

De matrimonii indissolubilitate fulcienda

Ut matrimonii indissolubilitas magis magisque fulciatur atque ad vitanda frequentia divortia cum dissolutione vinculi civilis intuitu novarum nuptiarum, expedit ut pro iis nationibus ubi matrimonium quod civile vocant una viget cum matrimonio coram Catholica Ecclesia contracto, statuatur lex quae, sub excommunicationis poena latae sententiae Or-

dinario loci reservatae, prohibeat iudicialem actionem dolosam instaurare aut prosequi ad nullitatem contractus civilis obtinendam, cum vero matrimonio religioso coëxistentis. Quam censuram incurrerent: *a*) coniux vel coniuges etiamsi passive aut negative se habeant in nullitatis processu; *b*) testes falsum asserentes; *c*) advocati causam dolosam propugnantes; *d*) etiam qui civile matrimonium contrahere audeant, religioso matrimonio alterutrius contrahentium subsistente. Itemque testes pro tali gestione adhibiti. Ita in Republica Chilensi statutum est, vi decreti 403 Concilii Plenarii Chilensis Primi.

De lege abstinentiae

Mitigatione attenta quae nunc viget in lege ieiunii, aequum videtur ut etiam lex abtinentiae parce mitigetur, ita ut ab ea sint exempti qui septuagesimum annum inchoarunt, atque ita in canone 1254 § 2 statuere, haec addendo: « ad inceptum septuagesimum ».

De custodia Sanctissimae Eucharistiae

Cum frequens usus invaluerit, fortasse convenit ut in fine canonis 1271 addatur: « aut etiam, de loci Ordinarii licentia, lampas electrica adhiberi potest ».

De beneficiorum collatione

Quia non pauci adsunt parochi titulo Cubicularii Secreti insigniti, frequenter casus evenit petitionis faciendae ad Sanctam Sedem ut novus parochus nominetur; et non raro etiam recurrendum est ut designatio ab Ordinario facta sanetur propter defectum approbationis requisitae. Quapropter, in fine canonis 1435 § 1 num. 1, ubi beneficia numerantur Sanctae Sedi reservata, supprimere oportet « et Familiarium etiam honoris tantum Summi Pontificis ».

De parochorum inamovibilium remotione

Aliquando accidit ut delictum a parocho cum gravi fidelium scandalo commissum sufficienter Ordinario constet, quin tamen iuridice comprobari queat. Quare expedire videtur ut canoni 2147, post num. 4 addatur: « 5) quod si delictum a parocho commissum certe Ordinario constat, quod iuridice comprobari nequit et grave inde scandalum subsecutum fuerit, tunc Ordinarius, ex informata conscientia, illum temporaliter removere seu ab officio suspendere poterit, ad normam canonum 2186 et 2187 ».

De delictis contra fidem

Attenta speciali rei gravitate oportet ut in nova legislatione, inter delicta contra fidem (cann. 2314-2315-2316-2318 § 1), nominatim et singillatim damnatio communismi fiat ad normam Decreti S. Congregationis S. Officii, diei 1 iulii 1949 (*A.A.S.*, XLI, p. 334).

✠ Pius A. Fariña Fariña
Episcopus tit. Citharizenus

19

Exc.mi P. D. ARTURI MERY BECKDORF
Archiepiscopi tit. Phasiani, Coadiutoris Ss. Conceptionis

Concepción, 25 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergrata mihi fuit vestra nota n. 1 C/59-2565, die 18 iunii scripta, qua Pontificem Maximum Ioannem XXIII, feliciter regnantem Antepraeparatoriam Commissionem pro futuro Concilio Oecumenico instituisse communicat, cuique V. E. Rev.ma, praeest, iisdem Augusti Pontificis significat desideria cognoscendi consilia et vota Exc.morum Episcoporum atque Praelatorum qui in Concilio Oecumenico ex iure vocantur.

Quibus, modeste sic mihi respondere videtur:

A) *Doctrinae capita*

Sanctissimae Virginis Mediationem Universalem dogmatice declarare.

B) *Disciplina cleri*

1. Liturgicos Libros reformare, v. g. Pontificale Romanum et Caeremoniale Episcoporum.

2. Normae seu regulae pro sacerdotali vita tam spiritualiter quam apostolice degenda, ita ut dynamismus necnon exaggeratus naturalismus vitari possint.

3. Praeparatio ad Sacerdotium: ante Philosophiae curriculum ad instar Novitiatum annum statuere atque ante Theologiam duobus vel tribus annis magisterio et catechesi vacare possint, etc. quo maiorem praeparationem consequi valeant futuri sacerdotes et propriam sacram responsabilitatem melius cognoscant.

4. Regularium Exemptio: maiorem auctoritatem Episcopo concedere, v. gr. ad Superiores Locales designandos presertim iis domibus quae ad iurisdictionem pertinent.

5. Domorum Religiosarum Superiorissae facultatem concedere, qua Sacram Communionem statutis casibus distribuere possit: praesertim iis dissitis locis, quos sacerdos regulariter visitare non valet.

6. Diaconatum quemdam creare, quo selecti saeculares sacerdotes ministerio iuvare possint, dissitis locis, v. g. Baptismum et Ss.mam Eucharistiam ministrare et Matrimonio assistere valeant.

C) *Disciplina populi*

1. Quaedam Matrimonii impedimenta supprimere, v. gr. minoris gradus de quibus in can. 1042.

2. Vernacula lingua adhiberi possit, praesertim in aliqua parte S. Missae, in Sacramentis et Sacramentalibus ministrandis, praeter ea quae servare videntur.

3. Servanda ab Ordinariis in iis institutionibus quae christianis principiis gaudent, sine directa subordinatione ad Ecclesiasticam Auctoritatem.

4. Declaratio seu normae circa Communismum eiusque cooperationem.

Vestrae Eminentiae Reverendissimae, add.mus et devotissimus in Christo

✠ Arturus Mery Beckdorf
Archiepiscopus tit. Phasianus
Coadiutor Ss. Conceptionis

20

✠ Exc.mi P. D. BERNARDINI PIÑERA CARVALLO

Episcopi tit. Prusiensis, Auxiliaris Talcensis

Talca, septiembre 17 de 1959

Eminencia Reverendísima:

Tengo el agrado de remitirle un pequeño Memorandum con sugerencias para el próximo Concilio Ecuménico, conforme a lo solicitado por Su Eminencia.

Ruego a Su Eminencia perdonar el atraso con que lo hago, que ha sido debido a causas ajenas a mi voluntad.

He procurado responder a la gentileza y a la confianza de Su Eminencia, con la mayor franqueza y sencillez.

Rogando a Su Eminencia un recuerdo en sus oraciones, saluda respectuosamente y besa la Sagrada Púrpura de Su Eminencia, su humilde servidor en Cristo

✠ Bernardino Piñera Carvallo
Auxiliar del Obispo de Talca
Obispo Titular de Prusiade

1. In quantum id fieri possit, summam Episcopo committere auctoritatem intra Dioecesim suam qua attinet ad actionem apostolicam et pastoralem; atque hortari ad nationalia et regionalia constituenda delineamenta pastoralem communem spectantia, quae, ab organismis technicis parata, sub approbatione Episcopatus et Sanctae Sedis omnibus obligationem imponant, utriusque sexus religiosis non exceptis.

2. Aperte atque strenue apostolicam actionem ad opifices et rurigenas dirigere, etiamque ad populos extra Europam degentes, praesertim ut efficacius existiment Ecclesiam, sicut et aliorum, suam vere esse Matrem.

3. Problemata Christianismi orientalis, protestantismi et sectarum, laicismi, actionis missionariae inter infideles, et communismi adire vividiori criterio psycologico ac sociologico, quin dogmatica et moralia criteria negligantur.

4. Magis ac magis in reformationibus liturgicis progredi.

5. Quantum fieri potest, Ecclesiae caeremoniale, ornamenta gradusque honorificos, ipsasque functiones religiosas in simplicitatem redigere, ut, dignitate servata, Ecclesia modum sibi constituat actuali modestiorem.

6. De facto, Curiam Romanam internationalem statuere, ad eam arcessendo, proportione servata gentium quoad numerum et momentum, sacerdotes religiososque orientales ac occidentales omnium populorum in omnibus terrae continentibus degentes.

7. Ad suprema Curiae Romanae officia viros actione pastorali et apostolica probatos attollere, itemque optimos inter eos qui munere professionali ad haec idoneo, vitae suae decursu instituuntur.

✠ Bernardinus Piñera Carvallo
Episcopus tit. Prusiensis
Auxiliaris Talcensis

COLUMBIA

1

Exc.mi P. D. IOSEPHI A IESU MARTÍNEZ VARGAS
Episcopi Armeniensis (Armenia)

Armeniae, die 20 octobris 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum est mihi significare Eminentiae Tuae Reverendissimae me Documentum sub Prot. N. 1 C/59-148, 18 iunii 1959, istius Pontificiae Commissionis pro Concilio Oecumenico, recepisse atque attente considerasse.

Reverenter animadvertere debeo me — Visitationis ad Limina causa — in meam Dioecesim hebdomada prima octobris tantum regressum fuisse: rogo igitur Eminentiam Tuam Reverendissimam mihi veniam dare si praesens responsio non opportune advenire potuit.

In primis opinionem, ut ita dicam, « popularem » circa proximum Concilium Oecumenicum exponam: omnes scilicet sacerdotes et fideles prudentes et zelo animarum solliciti — me etiam consentiente — celebrationem praedicti Concilii ut firmam et maximam ostensionem sive vitalis roboris nostrae Matris Ecclesiae, sive eiusdem, erga errantes in fide, magnanimitatis existimant. Simulque celebratio omnibus videtur tamquam felix occasio ad multa negotia dilucidanda, exhaustis sententiis Patrum adstantium: non solum ea quae in themario officiali contineantur verum etiam quaestiones diversae pastorales, sociales et religiosae quae in labore apostolico hodiernis temporibus abundant.

Iam vero, circa « *doctrinae capita* » quae in futuro Concilio tractari poterunt, praetermissis iis quae circa protestantes et schismaticos graecos commissiones particulares studere debent, nihil alicuius momenti atque consideratione dignum impraesentiarum, sincere, offerre possum.

Si gressus fiat ad « *disciplinam cleri et populi christiani* » haec cum libertate et simplicitate enuntiare conabor:

1. Nisi me fallit, magnae utilitati esset, praesertim in dioecesibus penuria cleri saecularis laborantibus, ut Ordinarii loci quadam facultate speciali gauderent exigendi auxilium pro laboribus pastoralibus, ex parte sacerdotum religiosorum: quod quidem urgentius videtur si de religiosis exemptis agatur.

2. Intelligo quantum Ecclesiae interesset Diaconatus ut stabilis forma apostolatus. Fortasse huiusmodi status uberius proficeret si eumdem amplecti possent non tantum viri laici, virtute praestantes etsi uxorati,

sed etiam sacerdotes illi quibus obligatio ecclesiastici caelibatus, ex diversis rationibus, intolerabilis, ut aiunt, reddatur. Praediti sacerdotes « uxorati » et ad Diaconatum redacti, variis ministeriis fungi poterunt, exceptis absolute celebratione Sanctae Missae et administratione sacramenti Poenitentiae.

3. Divini Officii textus adhuc reducendus videtur: sed huiusmodi breviatio subrogari potest imponendo clericis in sacris orationem mentalem ut obligatoriam (sub peccato, nescio). Quae quidem oratio mentalis, ut omnibus facilis evadat, consistere posset saltem in quotidiana, attenta atque devota lectione Sacrae Scripturae per dimidiam horam.

Absque meditatione enim inutilis est in vinea Domini operarius, S. S. Patribus testantibus. Etiamsi quis summis naturae dotibus ac ornamentis praeditus foret, si orandi fervor defecerit, erit « velut aes sonans et cymbalum tinniens ». Nunc autem, unanimi consensu admittitur nostris temporibus orandi fervorem et orationis mentalis praxim mirum in modum reapse deficere, apud clerum sive religiosum sive saecularem.

Alia ratio afferri potest, lugenda sed realis: pars scilicet notabilis clericorum linguam latinam aegre callet, ideoque lectio Breviarii pro multis est mechanica prorsus: praeterea, lectio S. Scripturae etiam in clero magis magisque infrequens devenitur.

4. Circa habitum clericalem nihil innovandum videtur: Ordinarii cuiusque ditionis in Conferentiis Episcopalibus vel Conciliis nationalibus determinent quomodo can. 136 uniformiter applicandus sit.

5. Quia expertus sum variis in dioecesibus ita esse; quia praeterea testimonio sunt perplures excellentissimi Ordinarii: quod can. 366 § 2, circa liberam remotionem Vicarii Generalis statuit, de facto fere numquam applicari potest quin vituperia et implicationes graves exurgant. Unde Ordinarii omnia *in statu quo* indefinite relinquere solent quamvis remotiones necessariae vel convenientes appareant. Itaque officium relative vitalitium fit sicque reputatur.

Quid ergo videtur si can. 426 § 2, pro consultoribus dioecesanis, etiam ad Vicarios Generales extendatur? Exacto, scilicet triennio, Episcopus vel alium substituat, vel eumdem ad aliud triennium confirmet, quod idem servetur singulis trienniis.

6. Circa can. 1248 mutationem sequentem propono: Festis de praecepto diebus Missa audienda est et diebus dominicis abstinendum est etiam ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus.

Prohibitio igitur operum servilium in festis intra hebdomadam oc-

currentibus supprimenda videtur. Ratio in eo est quod consuetudinibus hodiernae industriae opifices et patroni passim obsequuntur. Leges civiles plurium nationum christianarum et ius laboris, vacationem favent diebus dominicis: e contrario, festa durante hebdomada, operarii facile transgrediuntur herique impudenter contemnunt, vituperando Ecclesiam de duplici mercede quam lex civilis pro casu imponit. Perplura inde peccata certe vitantur.

7. Cum praeceptum Ecclesiae de Communione paschali duplicem obligationem includat: communicandi scilicet primarie semel in anno et secundarie saltem in Paschate; cumque praeceptum de annua confessione satisfieri possit quocumque anni tempore instituatur confessio, melius videtur ut dicta praecepta obligent annuam confessionem et communionem, sublata determinatione temporis.

Cuncta fausta a Deo adprecatus, omni, quo par est obsequio permaneo

Eminentiae Tuae Reverendissimae
in Domino addictissimus
✠ IOSEPH A IESU MARTÍNEZ VARGAS
Episcopus Armeniensis

2

EXC.MI P. D. ALOYSII CONCHA CORDOBA
Archiepiscopi Bogotensis (Bogotà)

Bogotae, die 28 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteras Eminentiae Tuae die 18 iunii 1959 datas sub numero 1 C/59-236 ad me tardius pervenerunt. Gratissimum mihi fuit ex praefatis litteris discere Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. regn. in Festo Pentecostes huius anni constituisse Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico, cui Commissioni Summus Pontifex Eminentiam Tuam praefecit.

Eminentia Tua in praefatis litteris scribit Augustum Pontificem maxime desiderare sententias et opiniones cognoscere eorum Praesulum qui iure Concilio interesse debent. Verum etsi attente consideraverim quid a me Eminentiae Tuae et Commissioni Antepreparatoriae Concilii perpendendum proponerem, nihil eiusmodi occurrit. Persuasum ceterum mihi est fore ut finis a Summo Pontifice Concilio praestitutus praestantium

virorum qui, Eminentia Tua Praeside, Commissionem Antepraeparatoriam constituunt peritia secure attingatur.

Procul dubio omnes qui Ecclesiam Christi diligunt ut exitum praecipuum Concilii futuri sperant unionem ecclesiarum quae ab Apostolica Sede discesserunt, neque minoris pretii omnes autumant Codicis Canonici tempori praesenti accommodationem.

Faxit Deus ut sua Providentia et Spiritu Sancto afflante omnia prospere dirigantur.

Eminentiae Tuae Reverendissimae cum omni reverentiae sensu maneo

Addictissimus in Domino

✠ ALOYSIUS CONCHA CORDOBA
Archiepiscopus Bogotensis

3

EXC.MI P. D. FRANCISCI GALLEGO PÉREZ
Episcopi Caliensis (Cali)

Cali, die 11 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Obsequenter communico humillimas animadversiones ac vota quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possunt:

1. Derogatio can. 1096, § 1, ita ut Ordinarius possit delegationem indeterminatam concedere sacerdotibus qui missionem peragunt in suburbiis (vulgo *barrios*) ex paroeciis nimis extensis. Haec delegatio excluderet periculum nullitatis matrimoniorum ex defectu formae.

2. Suppressio in can. 1043: « et ex affinitate in linea recta ». Cum ex gravissimis causis S. Congr. de Disciplina Sacramentorum concedat dispensationem huius impedimenti, videtur opportunum facultatem dare Ordinariis ut in periculo mortis eamdem dispensationem concedant.

3. Simplificatio Breviarii Romani.

4. Ad efficaciam can. 125 optandum est ut excogitentur remedia contra clericos omittentes adimpletionem istarum obligationum.

5. Ad reductionem clerici ad statum laicalem, facultas detur Ordinariis ad conficiendum processum via administrativa, ad normam canonis 2303.

6. Ad consulendam iustitiam distributivam et caritatem inter sacerdotes et parochos eiusdem dioecesis, facultas detur Ordinariis ut tributa super beneficia paroecialia vel super alios reditus, v. g. super stipendia

cappellaniarum et magisterii, in favorem sacerdotum pauperum imponere possint.

7. Ad consulendum ordinem publicum ecclesiasticum, videtur necessarium limitare exemptionem religiosorum, ita ut leges disciplinares dioecesanae, v. g. quoad assistentiam theatris, circis, etc. obligent ipsos religiosos.

Quoad exercitium mendicationis de quo can. 621 § 1, haec facultas circumscribatur unae civitati ubi domus formata constituitur.

8. Amplificetur tempus funerandi: exclusa missa exequiali, permittatur funerare solemniter quolibet die et hora, etiam in festis duplicibus I et II classis.

9. Reductio caeremoniarum baptismi parvulorum in magnis concursibus, ad instar privilegii Const. *Altitudo* P. Pauli III 1 iunii 1537.

10. Ad labores pastorales sublevandos, speciatim magnam ob penuriam cleri, Diaconatus Ordo viris piis ac idoneis conferri possit. Hoc modo administratio Sacrae Communionis, Viaticum Infirmorum, Sanctum Baptismum, cura administrativa paroeciae, catechismum et coetera huiusmodi, adimpleta ab ipsis, permagnum solamen parochis afferet.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus
✠ FRANCISCUS GALLEGO PÉREZ
Episcopus Caliensis

4

EXC.MI P. D. IOSEPHI I. LÓPEZ UMAÑA
Archiepiscopi Carthaginensis in Columbia (Cartagena)

EXC.MI P. D. GERMANI VILLA GAVIRIA
Episcopi Barranquillensis (Barranquilla)

Nova Carthagine, die 14 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Infrascripti, Archiepiscopus Neocarthaginensis in Columbia et Episcopus suffraganeus Barranquillensis, Eminentiae Tuae Rev.mae libenter responsum damus litteris Prot. N. 1 C/59-317 et 1 C/59-199 diei 18

iunii 1959, circa res et argumenta quae in Concilio Oecumenico tractari poterunt.

I. *Capita doctrinae*

1. Definitio dogmatis mediationis Beatae Mariae Virginis.
2. Damnatio et legislatio circa errores communistarum.
3. Oportet exponere explicitam doctrinam circa originem divinam auctoritatis eiusque iura et officia, ad mentem Litterarum Encyclic. Pontificum, speciatim Leonis XIII (*Diuturnum illud*).

II. *In ordine disciplinae*

1. Causae matrimoniales nullitatis matrimonii acatholicorum tractari possint a Tribunalibus dioecesanis in prima instantia can. 1962 et Const. *Provida Mater* art. 35, § 3.
2. Missae celebratio in die, quacumque hora, servato ieiunio eucharistico, in bonum commune et in bonum privatum (v. g. ad *fovendam* devotionem celebrantis) ad mentem Ordinarii.
3. Binatio in diebus ferialibus, ad mentem Ordinarii.
4. Communio fidelium quacumque hora in die, intra vel extra Missam, ad mentem Ordinarii, servato ieiunio eucharistico.
5. Uniformis legislatio circa numerum festorum de praecepto in diebus non dominicis.
6. Facultas delegandi Sacerdotes ad erectionem stationum « Viae Crucis » (can. 349 § 1).
7. Facultas delegandi Sacerdotes ad administrandam confirmationem, iustis de causis, ad mentem Ordinarii.
8. Revisio Libri Pontificalis et Ritualis.
9. Codificatio Decretorum S. R. C., ad modum *C.I.C.*
10. Usus linguae vernaculae in administratione Baptismi, Matrimonii et Extremae Unctionis.

Eminentiae Tuae addictissimi filii

✠ IOSEPH I. LÓPEZ UMAÑA
Archiepiscopus Carthaginensis in Columbia

✠ GERMANUS VILLA GAVIRIA
Episcopus Barranquillensis

5

EXC.MI P. D. PAULI CORREA LEÒN

Episcopi Cucutensis (Cúcuta)

Cucutae, die 10 aprilis 1960

Reverendissime Domine,

Tuis litteris « 1 C/59-417 bis » responsurus, manifesto imprimis venerandis quaesitis Em.mi ac Rev.mi D.ni Cardinalis Tardini me non respondisse, quia quo tempore ea ad me perveniebant, ad hanc dioecesim Cucutensem promovebar, qua de causa nec tempus nec fere materia pro respondendo sufficiebant.

Nunc denuo a Reverentia Tua Ill.ma invitatus haec consilia circa argumenta in futuro Conciilo tractanda, quibus decet reverentia et humilitate animi manifestare audeo:

Ad doctrinam quod attinet, compleatur Constitutio Dogmatica Vaticana de Ecclesia Christi cum tractatione de institutione, natura ac potestate muneris Episcopalis sub Auctoritate Romani Pontificis. Haec tractanda propono intuitu non infirmandi nec doctrinaliter nec practice iurisdictionem primatialem Romani Pontificis, quod festinanter toto corde damnarem, sed roborandi coram Clericis, Religiosis et laicis Episcoporum auctoritatem sive iurisdictionalem sive magisterialem et pastoralem, simulque viam sternendi Fratribus ad paternam Domum repetendam fortasse dispositis sed vano timore detentis.

Ad disciplinam quod spectat, consequenter ad ea quae doctrinaliter definire libuerit, Ordinariorum localium potestas firmetur et quantum Sanctissimo placuerit amplietur circa quaedam quae pastorali servitio perutilia fore videntur, puta quoad activitatem et opera apostolica Religiosorum (salva eorundem exemptione in vita religiosa), quoad Episcoporum conventus eorumque decisiones, quoad impedimenta matrimonialia (quorum diminutionem praxis pastoralis suadere videtur, v. gr., impedimenta gradus minoris supprimendo), quoad facultatem permittendi pluries in die Sacri celebrationem, quoad contractus de bonis ecclesiasticis temporalibus, aliaque huiusmodi quae a VV. Fratribus totius mundi aptius indicabuntur.

Haec dum propono, Sanctissimi Patris obsequentissimum filium ac Reverentiae Tuae Ill.mae add.mum me profiteor,

✠ PAULUS CORREA LEÒN
Episcopus Cucutensis

6

Exc.mi P. D. IOSEPHI I. FLÓREZ HERNÁNDEZ
Episcopi Duitamensis (Duitama)

Diutamae, 20 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Summo studio, litteris Eminentiae Vestrae Reverendissimae N. 1 C/59-462, 18 iunii transacti, hisce rescribam.

Propterea quod, extra Dioecesis caput, pastoralis visitationis causa, deversatus sum, necnon parandi informationes ad visitationem ad Limina urgeat necessitas, impedior omnino quominus suprascriptae epistulae respondeam, quando quidem nullo tempore et facilitate gaudeo ad consultationem perficiendam, quae cogenda commendatur, tam exiguo temporis spatio tantaque occupationum copia.

Desiderium cogitandi atque agendi una cum Venerabilibus Fratribus Bogotensis Provinciae, cuius est haec Dioecesis Duitamensis suffraganea, me coegit ad suggerendum meo Excellentissimo Metropolitano conventum provincialem Praelatorum, et ad nominandum, ut meas vices gerat, si me absente praedictus conventus fieret, Excellentissimum Dominum Angelum Mariam Ocampo, Episcopum Tunquensis Dioecesis finitimae et matris huius Duitamensis.

Spem non deseram ut, post meum iter quod per menses augustum (per dimidium), septembrem et octobrem protrahetur, semel cognita mente Provinciae ac localibus rebus cum Consultoribus Dioecesanis pertractatis, illam Pontificiam Commissionem, licet extra tempus, adire possim.

Affectissimus in Christo

✠ Ioseph I. Flórez Hernández
Episcopus Duitamensis

7

EXC.MI P. D. GERARDI MARTÍNEZ MADRIGAL
Episcopi Garzonensis (Garzón)

Garzón, abril 30, 1960

Eminentísimo Señor,

Reverentemente me permito sugerir algunas cosas que podrían ser tratadas en el Concilio Ecuménico.

Sobre liturgia

Jueves Santo: Sería conveniente permitir de manera definitiva la misa matutina ya que en muchas parroquias hay varios miles de comuniones que serí imposible distribuir en una sola misa.

Cumplimiento Pasqual: Sería muy conveniente que se pudiese cumplir con el precepto de la comunión anual sin señalar tiempo determinado para ello.

Via Crucis: Sería muy conveniente que los Ordinarios pudiesen delegar a cualquier sacerdote para erigirlo.

Oficio divino: Sería conveniente que siquiera para el tiempo de Semana Santa que hay trabajo tan abrumador, los maitines fuesen de un sólo nocturno.

Sacramentos

Bautismo: Suprimir el aviso de que trata el cánon 778. En estas regiones en las cuales hay parroquias tan extensas, es casi imposible; y no se ve la razón de hacerlo, ya que la partida no debe quedar asentada en dos parroquias.

Confirmaciones

También convendría suprimir lo de la nota marginal en el libro de bautismos, ya que en la práctica se vuele imposible cuando en las visitas pastorales se confirman miles de niños.

Matrimonios: Ojalà se pudiese suprimir las proclamas ya que en la práctica se han hecho innecesarias.

Ojalà se pudiesen suprimir los impedimentos de afinidad en línea colateral, y de paretesco espiritual.

En general

Urge la revisión y adaptación del Código de Derecho Canónico.

Pido humildemente excusas por haberme demorado en dar contestación, debido a que consideraba de poca importancia mis insinuaciones.

Sobra manifestar mis anhelos por buen éxito del Sdo. Concilio.

✠ GERARDO MARTÍNEZ MADRIGAL
Obispo de Garzon

8

EXC.MI P. D. ALFREDI RUBIO DÍAZ
Episcopi Girardotensis (Girardot)

EXC.MI P. D. HYACINTHI VÁSQUEZ OCHOA
Episcopi Espinalensis (Espinal)

E Civitate Girardot, die 20 augusti a. 1959

Eminentissime Domine,

Accepimus Tuas litteras (Prot. N. 1 C/59-542) in quibus Nobis significare dignatus es Summum Pontificem instituisse V. Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico, eamque desiderare, ex voluntate Augusti Pontificis, cognoscere opiniones Exc.morum Episcoporum circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Nos certiorem V. Commissionem facere volumus et Clerum et Religiosas et fideles vehementer exoptare Beatissimam Virginem Mariam Mediatricem Omnium Gratiarum ut dogma fidei a Patribus Concilii proclamari.

Quoad alia argumenta censemus, re quidem mature considerata, V. Commissionem Pontificiam, cui Tua Eminentia rerum experientia doctus sapienter praeest, aptissimam quamque esse ad seligenda negotia maioris momenti hodiernis temporibus pro Ecclesia Catholica. Nos autem speramus fore ut agenda in Concilio Oecumenico opportune mittantur quae studiose praeparare possimus.

Interim Spiritum Sanctum pro felici tum laborum V. Commissionis tum Concilii Oecumenici exitu enixe precamur.

Nobis pergratum est oblatam occasionem amplecti ut sensus sincerae existimationis Nostrae Tibi profiteamur qua sumus ex animo.

✠ ALFREDUS RUBIO DÍAZ
Episcopus Girardotensis

✠ HYACINTHUS VÁSQUEZ OCHOA
Episcopus Espinalensis

9

EXC.MI P. D. RUBEN ISAZA RESTREPO
Episcopi Ibaguensis (Ibagué)

Ibagué, die tertia maii 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litterae Eminentiae Tuae, diei 18 iunii 1959, ad me non pervenerunt; recentiores litterae diei 21 martii 1960, sub numero 1 C/59-612 bis, tardius pervenerunt.

Eminentia Tua in praefatis litteris scribit Augustum Pontificem maxime desiderare sententias et opiniones cognoscere eorum Praesulum qui iure Concilio interesse debent. Verum etsi attente consideraverim quid a me Eminentiae Tuae et Commissioni Antepraeparatoriae Concilii perpendendum proponerem, nihil eiusmodi occurrit. Persuasum mihi ceterum mihi est fore ut finis a Summo Pontifice Concilio praestitutus praestantium virorum qui Eminentia Tua Praeside Commissionem antepraeparatoriam constituunt peritia secure attingatur.

Eminentiae Tuae Reverendissimae addictissimus in Domino,

✠ RUBEN ISAZA RESTREPO
Episcopus Ibaguensis

10

Exc.mi P. D. ANTONII I. JARAMILLO TOBÓN
Episcopi Jericoënsis (Jericó)

Proemium

Humiliter ac libenter, responsioni ad litteras 18 iunii 1959, Prot. 1 C/59-647 haec, quae mihi, consulto « consilio virorum ecclesiasticorum prudentium », visa fuerint in proximo Concilio Oecumenico pertractanda, summatim propono. Ea tantum apparebunt, quae meo sensu videntur utilia propositu, attentis personalibus experientiis, hac in dioecesi, sub concretis proprietatibus, scilicet ruricula regio adhuc dogmaticis scholae problematibus carens.

Doctrinae capita

Christiani generatim solidaritate et responsabilitate in Corpore Christi Mystico carent, vitamque semivivam ducunt christianam, sive mere ritualem ac traditionalem, propterea:

1. Ut christifideles unionem in Corpore Christi Mystico realiter experiantur oportet ut aperte declaretur ac definiatur illam unionem mysticam cosmicum atque ontologicum habere fundamentum, scilicet factum historicum Incarnationis Verbi.

2. Ostendatur ut doctrina traditionalis dioecesim cum suo Episcopo capite simpliciter esse completum Corpus Christi Mysticum: siquidem ut constat ex Ecclesia Primaeva, Episcopum ipsemet esse Christum, et caput, et unitatem, et incarnationem suae Ecclesiae; inde consequentia: si quis mentis et voluntatis excludit unionem, eo ipso excludit propriam gratiam ex defectu capitis.

3. Definiatur qualis sit concrete socialis doctrina Ecclesiae in Corpore Christi Mystico ad fideles quod attinet individualiter sumptos, quod si Ecclesia est societas, et salvatio uniuscuiusque non fit nisi in Ecclesia et ab Ecclesia, sequitur ut salvatio sit socialis operatio, unde nemo potest sese salvare nisi socialiter, scilicet, nisi enixe in ceterorum salvationem operetur.

4. Ut aperte luceat quomodo socialis Ecclesiae doctrina relate ad sic dictam « Socialem Quaestionem », et ad communismum ubique grassantem confutandum, habenda est enim ut unica et universalis solutio, si ut consequentia necessaria procedat ex integrali doctrina vitalitatis Corporis Christi Mystici.

5. Ut possibilis definitionis intuitu tradatur Mediatio etiamque Re-

galitas Universalis B. M. Virginis; simulque declaretur quare Dei Genetrix essentiali ac necessario munere fungatur sive in Corpore Christi Mystico, sive in salvatione personali uniuscuiusque hominis, hac supposita praesenti oeconomia.

De re canonica

Disciplina cleri saecularis

6. Siquidem actio multiplex et technica apostolatus redditur inefficax ex defectu individualis sanctitatis sacerdotum, et ex defectu unionis ministerialis in caritate, magnopere conferret ut non solum « vita communis » (de qua in can. 134) foveatur, immo etiam pro clero saeculari aut praescribatur aut saltem enixe urgeatur.

7. Constat sacerdotalis vitae integritatem quam maxime ex obedientiae et reverentiae fidelitate promissioni Episcopo solemniter manifestatae pendere, unde concluditur:

Ut non solum omnibus in unaquaque dioecesi, pateat vita communis cleri, se etiam intime lateat « vita communitaria » Presbyterii seu Sacerdotalis « equipo » in Episcopi voluntate unica.

8. Ut iuvenes levitae responsabilitatis habitum laborandi ad mentem Christi authenticam adipiscantur, an requiratur ut post acceptum Presbyteratum ordinem, per tempus aliquod de regula statutum, vitam tum seriae asceticae, tum visionis supernaturalis hodiernorum problematum pastoralium exerceant.

9. Disparitas ex parte Seminarii Moderatorum in iudicio circa probationis tempus de castitate peragendum inniti videtur defectu clarioris. concretae atque unanimis interpretationis legum fundamentalium ad rem, Sedis Apostolicae. Proinde nobis videtur tanti momenti problema in Concilium tractandum.

10. Ignorantia religiosa generatim catholici laborant; huius rei causa non nisi quia sacerdotes in munere essentiali prout apostoli, scilicet praedicandi, deficiunt: Christum aut mutilatum aut falsum pluries edocent, non autem semper, viventem Christum et totalem. Tanti muneris Sacerdotio essentialis deficientia, oriri videtur ex eo quod haec quae sequuntur non sedulo perpenduntur:

A) praedicationis ministerium est *divinum*:

a) ratione *principii* « Audite verbum Domini » (*Is.* 28, 14) « Evangelium Dei evangelizavi vobis » (*Cor.* II, 11, 7);

b) ratione *finis*: tendit, ducitque ad Deum;

c) ratione *efficacitatis*: « Operarium inconfusibilem, recte trac-

tantem verbum veritatis » (*Tim.* 2, 15). « Vivus est enim sermo Dei et efficax » (*Hebr.* 4, 12).

B) Adest *gravis obligatio* praedicandi:

a) ex *iure divino*: « Sicut misit me Pater et ego mitto vos » (*Ioan.* 20, 21)). Evangelizare pauperibus misit me » (*Luc.* 4, 18).

b) ex *Iure Ecclesiastico*: Conc. Trid. Ses. V Decr. de Reformatione cap. II « Eadem Sancta Synodus... teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum Sanctum Iesu Christi Evangelium ... »;

C) adesse debet etiam praeparatio:

Nam: munus praedicandi Christi Evangelium supponit: praedicatorem aliquam synthesim vitalem dogmaticam simulque assiduam Sacrae Scripturae studiositatem possidere; habitum in oratione Dei exercere; ac intimam persuasionem in vitae exemplo constanter praebere.

11. Statuatur ut canon Iuris Canonici vel Concilii Oecumenici ad Ecclesiae roborandam unitatem, quod instructiones pastorales ad civile gubernium remque politicam spectantes, ne sint ab aliquo aliquibusve isolatis episcopis prolatae, sed ab omnibus uniuscuiusque nationis coadunatis.

12. Siquidem, dilatationis temporis causa ex recursu ad Sanctam Sedem (can. 1532 § 1) contractus multoties redduntur valde onerosi aut difficillimi, ampliores concedantur episcopis facultates.

13. Magis concrete quales sint negotiationes clericis vetitae determinentur.

14. Recusatio Actionem Catholicam instruendi ex parte beneficiariorum curam tenentium animarum, causa sit sufficiens remotionis, statuatur.

15. Si, tamen, « vita communis », uti supra n. 6, nimis reddatur onerosa, saltem ne Sacerdotes a sensu paupertatis evangelicae declinent, sive « Mutuum Auxilium » sive praestationes sociales, sive gratuitam pensionem, senescentibus aut aegrotantibus clericis de iure in unaquaquae dioecesi provideantur.

16. Omnes paroeciae simpliciter non constituunt beneficia, studeatur quomodo possint dotari, ne defectu dotationis, in recolendas eleemosynas activitas stricte ministerialis serio impediatur, neque fideles ex crebra contributione, fortasse scandalizentur.

17. In unaquaque natione dioeceses omnes, ut scandalum fidelium vitetur, communes taxas arancelarias habeant in omnibus, quibus Sancta Sedes permittit.

18. Sacerdotes, ut sensus catholicitatis appareat, a suo Ordinario adprobati possint facultates ministeriales in universa Ecclesia exercere.

19. Liceat Episcopis, urgentioribus degradationis casibus evidentibus, dissitis regionibus clero carentibus, ut, tribus tantum adstantibus gravibus sacerdotibus, praeter modum in iure statutum, in conscientia procedere.

De religiosis

20. Spiritus religiosorum latius pateat; nam: inter cetera, ne alta sint nimis onera ita ut in eorum collegia ingressus pauperum impediatur, ex quo scandalum venit, neque sese commodent ad concionandum in paroeciis tantum, ubi fusius remunerantur.

21. Relationes, in aedificationem fidelium, religiosum clerum inter et saecularem intime extruantur.

22. Officium parvum B. M. V. religiosarum simulque divinum monialium lingua vernacula de regula recitetur.

De sacramentis

23. Impedimentum aetatis comprobatum et nondum dispensatum, causarum summario (can. 1990) ad matrimonii nullitatem declarandam, addatur.

24. Ambiguitas aliquorum iuris canonici terminorum, v. g. « legitimum » relate ad can. 1015, § 3 et 1075, praecise ac distincte decernatur.

25. Sollicitationis causarum processus modificetur ne forte sacramentale sigillum graviter laedatur.

26. Adnotationes formulae Baptismatis, Confirmationis, Matrimonii ac Funerum, universaliter sint communia.

De re morali

27. An Ecclesiae mandata sint quatuor vel quinque; si autem quinque, an melius sit personalis solutio decimarum.

De disciplina populi christiani

28. Multiplicis generis abusus praesertim ex ebrietate, sive contra dignitatem sive contra exercitium matrimonii videntur magnum problema sociale creare; oporteret, proinde, ut ad rem Ecclesiae doctrina perpendatur etiamque media ad haec problemata sublevanda studeantur.

29. Ut realitas Corporis Christi Mystici in universo mundo elu-

cescat tamquam argumentum vivum firmissimum, Foederatio nationum omnium christianarum conetur.

30. Ut iustitiae socialis natura liquidius appareat et in concretas diversasque applicationes codex proponatur.

De re liturgica

31. Ut fideles vitam facilius habeant christianam in liturgia sacra, oportet ut ipse legum codex liturgicarum magis determinate ac simplicius extruatur.

32. « Kalendarium Universale », ut annus liturgicus simplicius distendatur ab Ecclesia stabiliatur.

33. Pontificali ad mobilia fixaque altaria consecranda formula addatur brevior.

34. « In bonum fidelium » et etiam ut impleantur verba Pontificalis « Ut quaecumque benedixerint benedicantur »; *a*) Reservatio Ritualis Romani multarum benedictionum tollatur; *b*) Viae Crucis erectio, de Iure (can. 349, § 1, 1° et 239, 6°) Episcopis concessa, atque primo S. Francisci Ordini reservata, etiam sacerdotibus facultatibus fruentibus ministerialibus vel saltem parochis porrigatur.

35. Ut fideles sensum doctrinalem sacramentorum adipiscant, illorum administratio lingua vernacula permittatur in universa Ecclesia.

36. Sive Sacrum, sive Officium Divinum eodem simpliciore modo, eodemque ordine sint pro universa Ecclesia latina.

De seminario

37. Studia Seminariorum sive Theologica sive Scripturalia sint vitalia; id est: Theses dogmaticae, ac librorum Sacrorum investigatio, etiam scientifica proponatur alumnis ut quid essentialiter functionale in Corpore vivo Christi Mystico.

38. An canones ad Seminaria spectantes valeant stricte etiam pro Minoribus Seminariis, seu Lyceis, seu Scholis apostolicis.

39. *Seminaria regionalia* praesertim si ab Episcopis propriis nimis distent, magnum responsabilitatis problema videntur creare: perplures canones inoperantes redduntur cum fere impossibile sit cognitio immediata certaque illorum qui sunt Ordines Sacros accepturi.

✠ Antonius I. Jamarillo Tobón
Episcopus Jericoënsis

10

Exc.mi P. D. ARTURI DUQUE VILLEGAS

Archiepiscopi Manizalensis (Manizales)

Manizales, die 31 martii 1960

Eminentissime Domine,

Litteris diei 18 iunii 1959, missis Archiepiscopo Manizalensi, Eminentia Tua petebat communicandi, omni cum libertate et sinceritate, animadversiones, consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent.

Ex causa recentis meae possessionis huius Archidioecesis, hodie dumtaxat pergratum est mihi Eminentiae Tuae communicare animadversiones aliquas quae maximi momenti mihi et aliis ecclesiasticis doctis ac prudentibus videntur:

1. Usus linguae uniuscuiusque regionis in administratione sacramentorum baptismi, confirmationis, extremae unctionis et matrimonii;

2. Revisio exemptionis religiosorum ita ut Ordinarii nullas habeant in regimine dioecesis difficultates.

3. Revisio et adaptatio omnium caeremoniarum Episcoporum iuxta nostrae aetatis exigentias.

4. Revisio can. 621, § 1, eo intentu ut regulares qui ex instituto mendicantes vocantur et sunt, eleemosynas in dioecesi, ubi eorum religiosa domus est instituta, quaerere ne valeant sine Ordinarii licentia. His regionibus hii regulares vocantur pauperes et sunt mendicantes divites, magno cum scandalo populi.

5. Suppressio distinctionis inter paroecias amovibiles et inamovibiles, et eodem modo inter parochos, ita ut Ordinarius loci — habita ratione necessitatis fidelium — praeditus sit facultate removendi omnes parochos.

6. Revisio etiam can. 1262 § 2, in verbis quae sequuntur: « mulieres autem capite coperto » in Ecclesia sint.

7. Si fieri potest, accretio causarum nullitatis in matrimonio, ratione incontinentiae in qua versantur non pauci coniuges separati.

8. Facultas adimplendi praeceptum communionis paschalis qualibet die anni ecclesiastici.

Denique gratissimum est mihi Eminentiae Tuae significare quam iucundum Summi Pontificis nuntium acceptum fuisse circa convocatio-

nem proximi Concilii Oecumenici et Commissionis Antepraeparatoriae institutionem.

Et quo par est obsequio maneo Eminentiae Tuae Reverendissimae addictissimus in Domino,

✠ Arturus Duque Villegas
Archiepiscopus Manizalensis

12

Exc.mi P. D. TULLII BOTERO SALAZAR
Archiepiscopi Medellensis (Medellín)

Medellii, die 2 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Paucis his diebus ex diuturno itinere pastorali regressus, inveni Tuae Eminentiae, qua Praesidis Commissionis Praeparatoriae futuri Concilii Oecumenici, attentas litteras diei 18 iunii proxime elapsi sub N. Prot. 1 C/59-832.

Hac de causa demisse Tuam Eminentiam rogo benigne ut velit mihi parcere quod tardius quam oportebat ad istam Venerabilem Commissionem argumenta sive insinuationes mittam, quae mihi in Concilio tractari posse videntur.

Huiusmodi argumenta omnimoda selegi rectitudine coram Domino, soloque Sanctae Matris Ecclesiae prosperitatis et incrementi studio.

Eminentiae Tuae addictissimus
✠ Tullius Botero Salazar
Archiepiscopus Medellensis

Universitatum Studiorum et Seminariorum Commissio

1. Ut Seminaria Maiora seu Metropolitana creentur.
2. Ut rei rusticae et ruralis institutioni in Seminariis sedulior cura tribuatur.
3. Ut cunctis in paroeciis scholae primariae exsistant ab ipsis paroeciis constitutae.
4. Ut urbium principum Athenaea unam saltem gratuitam scholam suis sumptibus habeant.
5. Ut sodalitates religiosae exsistant quae ruri apostolatum exerceant.

6. Ut Instituta catechetica dioecesana condantur.

7. Ut Curiae operum dioecesanorum officia constituatur adnexa pro operibus dioecesanis ordinandis.

8. Ut annus Pastoralis sit in Seminariis obligatorius.

9. Ut Seminaria Nationalia ad Clerum Castrensem efformando foveantur.

Commissio iuridica

A) Expedit ut fiat recensio Codicis Iuris Canonici, additis in Corpore interpretationibus datis a Commissione Interpretum, perspectis quoque observationibus factis a Canonistis post Codicem, solutis auctoritativo modo eorum controversiis, servato quoad fieri potest Motu proprio Benedicti XV.

B) Statui possunt, instar exempli, leges circa haec:

1) De resarciendis damnis provenientibus ex factis illicitis, expurgatis actualibus dispositionibus fragmentariis, quod locum dare posset canoni 104 bis;

2) De aliqua obligatione laicis imponenda iuvandi « Actionem Catholicam », prae oculis habitis Encyclicis recentioribus S. Pontificum, quod posset poni velut paragraphus can. 682; vel ut can. 683 bis;

3) De perficiendo can. 1524, ad hoc adhibitis doctrinis socialibus in documentis pontificibus exstantibus;

Vel loco numeralium 2° et 3° statuere Caput « Actioni Catholicae et Sociali » dicatum.

4) De supprimendo Cap. II, Tit. IV, Libri III, super reservatione peccatorum, non autem censurarum, quia practice superfluum est;

5) De determinanda potestate Vicarii Substituti qui « infra hebdomadam » paroeciam administrat (can. 465, §§ 4. 6);

6) De reducendo impedimento consanguinitatis in linea collaterali ad primum gradum, et publicae honestatis ad primum gradum lineae rectae;

7) De statuenda convalidatione ipso iure matrimoniis in quibus consensus datus perseveret, ita ut transacto tempore a lege statuto ipsa matrimonia valida habeantur; excepto casu impedimentorum cann. 1082-1092, Sacri Presbyteratus, et impedimentorum iuris divini naturalis et positivi;

8) De determinandis territorio et numero incolarum supra quos non permittatur creatio novarum dioecesium. Ut norma adhiberi posset quod dioecesis par sit oeconomice ad Seminarium Maius sustentandum;

9) De amplianda summa, de qua in can. 1532, ut Ordinarii licentiam ad alienationem concedere valeant;

10) De inclusione poenarum quas incurrunt Communistae eorumque Cooperatores;

11) De vi legis danda dispositionibus Conventuum Episcopalium et CELAM;

12) De inclusione in iure communi maioris partis facultatum quinquennalium et decennalium.

Quoad Canones « De Religiosis » haec insinuantur

Can. 487: Forsan posset modificari definitio status religiosi ut comprehendat Instituta saecularia, de quibus Constitutio « Provida Mater », vel addi paragraphus, vel novus canon circa haec Instituta cum eorum legislatione, hic vel alibi prout casus ferat.

Ut singulae religiones habeant scopum bene determinatum, ad quem sodales apte parentur, et ne illa approbentur quae scopos admodum diversos habent, quod impedit quominus alumni bene doceantur.

Can. 488, n. 2°: Definitionibus datis addere illam « Foederationis monasteriorum » cum legislatione pertinente vel saltem haec: 1) Monasteria foederata quoad regimen internum sunt sui iuris; 2) consensus monialis quando agitur de translatione ipsius ad aliud monasterium; 3) Consilium directivum foederationis et monialis inspectrix, tamen si haec statuuntur, intervenire tantum possint in casu clarae violationis iuris communis vel constitutionum, non auctoritative sed insinuatione, usquedum Superior competens provideat.

Can. 492, § 1: Congerere diversa documenta spectantia fundationem alicuius religionis ab eius initio usque ad Decretum laudis, ut norma clara habeatur.

Can. 495: Resolvere dubium utrum consensus Ordinarii domus principis requiratur tantum ad fundationem primae domus extra territorium vel omnium aliarum quae fundentur.

Can. 497, § 1: Determinare oporteret quinam, sive Sedes Apostolica, sive Ordinarius loci dare debeat Decretum erectionis monasterii monialium; pariter quinam dare debeat decretum quo domus religiosorum exemptorum et non exemptorum persona moralis constituatur.

Item paragraphum adnectere quo apte distinguatur inter fundationem alicuius domus et meram licentiam alicui religioni datam ad regendum temporaliter aliquod institutum v. gr. orphanotrophium.

Can. 499: Ut religiones mulierum habeant assessorem ecclesiasticum cum voce in Capitulis earum, ab Ordinario loci designatum.

Can. 500: Ut nulla religio habeat Superiores ad vitam.

Can. 522: Forsan addere oporteret verba « vel vocet », post « adeat », ad vitandas interpretationes restrictivas.

Can. 536: Opportunum esset hic vel alibi, quando religio regit aliquod Institutum, statuere per inventarium ab utraque parte subsignatum, quaenam bona religioni, quaenam Instituto pertineant.

Can. 537: Ampliare hunc canonem sequenti paragrapho: Religiosi eleemosynam dare tenentur.

Can. 551: Canonem modificare ita ut dos semper sit sufficiens ad victum religiosae sive ad aliam religionem transeat sive ad saeculum redeat.

Can. 574: Ampliare tempus professionis temporalis.

Can. 580, § 2: Forsan addi deberet: « at si agitur de bonis acquisitis a religioso ante professionem, sed nondum possessis, servetur § 1.

Can. 587: De studiis religiosarum, praesertim de iis quae magisterio et operibus caritatis incumbunt, nihil dicitur. Hic aliquid ponere opportunum esset.

Can. 593: Addi posset: « at constitutiones sub peccato non obligant ».

Can: 596: Habitus religiosarum debent ad trutinam reduci et accommodari scopo religionis, et in constitutionibus ansam praebere ut ab Ordinariis locorum, pro adiunctis, mutentur.

Can. 597: Congerere quae de Clausura statuunt novissima documenta Sedis Apostolicae.

Can. 610: Ut religiosae ad officium divinum obligatae, possint lingua vernacula propria id recitare.

Can. 613: Multae reservationes et privilegia religiosis concessae, praesertim in Rituali Romano, in favorem fidelium supprimi vel imminui deberent.

Can. 637: Ut Ordinarii habeant facultatem dispensandi vota religiosorum in casibus urgentibus, salvo recursu in suspensivo ad S. Congregationem Religiosorum.

Can. 646: Includere inter casus dimissionis religiosorum ipso facto delictum homicidii voluntarii etsi frustrati.

Can. 670: In casu dimissionis religiosi clerici, Presbytero excepto, ipso facto ad statum laicalem reducatur, votis dispensatis.

Can. 777, § 2: Suppressio terminorum « patri ignoti ».

Can. 2380: Inclusio in corpore censurae latae sententiae speciali modo S. Apostolicae reservatae, iuxta Decretum diei 22 martii 1950 S. Congregationis Concilii.

De Curiis religiosorum aliquid statui deberet. Item ut Superiores maiores archivum secretum habeant; et ut omnes religiones vitae contemplativae in « foederationem » redigantur.

Commissio pastoralis

a) Omnibus mediis possibilibus vitam paroecialem promovere.

b) Coarctare licentiam ad matrimonia extra ecclesiam paroecialem celebranda; et etiam exsequias extra ipsam Ecclesiam paroecialem et Oratoria Coemeteriorum.

c) Ut Communitates Religiosae quae habentur intra fines paroeciarum adiutorium efficacius Paroeciis praestent; ita ut Communitates religiosae in Scholis gratuitis, Operibus Socialibus adstantes semper sint.

d) Ut differentia inter pauperes et divites minuatur bonum esset restringere classes sic dictas exsequiarum, funeralium, matrimoniorum, etc.

e) In simpliciorem formam redigere ritus ad administrationem Baptismatis, Extremae-Unctionis, Indulgentiae in articulo mortis, plurium benedictionum, v. g. Aquae, Paramentorum; Officii Divini Hebdomadae Sanctae; Missarum Sabbati Pentecostes et Quattuor Temporum, etc.

Commissio liturgica

1. Ut partes Ordinarii Missae et Proprii Ante-Missae, linguis vernaculis diversarum regionum in Missis cum cantu, decantari possint.

2. Ut doxologia « per ipsum » alta voce, et sine interruptione per genuflexionem dicatur.

3. Ut Communione fidelium Confessio et Absolutio non iterentur.

4. Ut formula adhibenda ad distributionem S. Communionis sit: « Corpus Christi, Amen ».

5. Ut absolute in omnibus Missis Preces Leonianae supprimantur.

6. Ut denuo Diaconi non coelibes habeantur, auxiliares in ministerio paroeciali, praesertim in catechesi.

7. Ut structura Officii Divini cleri saecularis ad simpliciorem formam redigatur, ita ut non amplius typus choralis adhibeatur.

8. Ut Officium Divinum maiore copia lectionum Biblicarum et meliori iudicio collectarum abundet.

9. Ut constituatur pro America Latina, Rituale lingua latina et vernacula, secundum studium a CELAM propositum.

10. Ut ritus exsequiarum lingua vernacula persolvatur.

11. Ut in diebus maioris concursus fidelium, formula brevissima absolutionis sacramentalis optionaliter concedatur.

12. Ut in Ecclesiis in quibus Altare versus populum sit, asservatio SS. Eucharistiae alio in Altari permittatur.

13. Ut Praeceptum Communionis et Confessionis annuae, omnibus diebus anni adimpleri possit.

14. Ut linteamina altaris cuiuscumque materiae confici queant et Candelae sine Cera adhibeantur.

15. Ut dispositiones liturgicae hucusque editae codificentur.

16. Ut in recitatione Breviarii unicus Nocturnus praescribatur, ut in Paschate Resurrectionis, tribus lectionibus constans: prima, S. Scriptura; secunda: summa vitae Sancti vel Mysterii; tertia: Homilia alicuius Patris vel Doctoris Ecclesiae.

17. Ut fidelibus quacumque hora post meridiem, servato ieiunio eucharistico, S. Eucharistiam recipiendi permittatur.

18. Ut ritus quoad ecclesiarum consecrationem adhibendus, simplicior reddatur, cum facultate etiam dividendi caeremoniam in duas partes, i. e. vespere et die subsequenti.

19. Ut ritus aliquarum professionum religiosorum, praesertim Religiosarum, ratione complicationis in persolvendis caeremoniis, reducantur.

20. Ut sollemnis SS.mi Sacramenti expositio, hodie magis in dies vulgarizata, circumscribatur.

21. Uti dogma definire Beatissimam Virginem Mariam omnium gratiarum Mediatricem esse.

✠ TULLIUS BOTERO SALAZAR
Archiepiscopus Medellensis

13

EXC.MI P. D. IESU A. CASTRO BECERRA
Episcopi Palmirani (Palmira)

Palmirae, septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Obsequenter refero me ad praecipuas quaestiones Vestri Venerandi officii de Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico.

Reverenter transmitto studium « de Mystici Corporis doctrina ad populum praedicanda », ac breviter sequentes animadversiones.

Disciplina cleri: ut consuetudo vestem talarem gestandi servetur pro clero Americae latinae.

In favorem populi christiani: ut catechesis magis ac magis augeatur in omnibus paroeciis, ecclesiis et scholis.

Actuositas: desunt semper oeconomicae editiones Sancti Evangelii cum vitae narratione D. N. I. C. ad populum accommodata.

Ut spiritus iustitiae et caritatis informet vitam ac mores catholicorum, clericorum et laicorum, ut inter ipsos abundet « sensus socialis christianus » quod vocant.

Evidenter negotia maioris momenti est unio Ecclesiarum. In huius Dioecesis ditione Oratio Imperata pro re gravi dicitur de Missa Votiva « ad tollendum schisma ».

Ab Eminentia Vestra cum devoto affectu et devotione

✠ IESUS A. CASTRO BECERRA
Episcopus Palmiranus

De Mystici Corporis doctrina ad populum praedicanda

Mystici Corporis doctrina magis ac magis in dies creditur esse medium providentiale ad homines hodiernos a totali ruina liberandos. Si catastrophes imminet totalis, humanum genus veritate indiget totali. At veritas totalis non datur nisi in doctrina Mystici Corporis, utpote quae nobis securissime indicat locum nostrum, tum relate ad Deum, tum relate ad creaturas.

Et primo quidem, relate ad Deum. Cum loquimur de Corpore Mystico non agitur tantummodo de nostris relationibus cum Christo, sed agitur speciatim de relationibus Christi Totalis — Capitis nempe et Membrorum — cum Patre. Humanitas Patrem quaerit: sed Pater non invenitur nisi mediante unione — unitati proxima — cum Christo. Eadem ontologica necessitate evidens fit praesentia Spiritus Sancti, sine quo Mysticum Corpus existere non posset. En quomodo doctrina haec nos permanere facit in ambitu, ut ita dicamus, trinitario: Patris, Filii Totalis, Spiritus Sancti.

Secundo autem, relate ad creaturas. Spiritus tendit sursum, hominem vero materia aggravat, quae tendit deorsum. Homo dictus est « microcosmus » sive universus abbreviatus. Ipse « volatu spiritus sui » elevare debet materiam ad sphaeram divinam. Sic faciendo, facit ut membrum Corporis, nam idem facit et Caput, quod quidem, ad incorporandum novum membrum et ad ipsum adaptandum et conformandum, materia utitur, nempe aqua, oleo, tritico, vino. Numquid datur materia ulla quae sit extra ordinem sanctificantem Mystici Corporis? Illa utique non existit, nam « omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei ».

Difficultas demonstrandi realitatem Mystici Corporis non tam consistit in argumentatione ipsa quam in selectione terminorum quibus haec doctrina adaequate exprimatur. Realitas enim huius Corporis est realitas sui generis (casus scilicet unicus) quam « mysticam » vocant.

Notandum est in primis quod Mystici Corporis unitas unitatem corporis moralis longe superat. In Litteris Encyclicis *Mystici Corporis* Pius XII inter corpus morale et Corpus Mysticum maximam differentiam

advertit. In corpore etenim morali unicum adest unitatis principium, quod consistit in fine communi et in communi membrorum conspiratione ad finem illum assequendum per exercitium auctoritatis socialis. At in Corpore de quo agimus aliud existit, internum quidem, cohaesionis principium, quod operatur tam in Corpore toto quam in singulis eius partibus, quodque tam excellens ac efficax est ut Corpus Mysticum transcendat omnes gradus unitatis quibus quodlibet corpus sive morale sive etiam physicum potest esse unitum.

Ex altera autem parte, in eisdem Encyclicis ut falsam reiicit Summus Pontifex sententiam eorum qui autumant Iesum Christum et fideles ita esse inter se coniunctos ut unam personam physicam constituant, eo quod dum hominibus, in tali deliramento, divinae proprietates attribuuntur, D.nus. Noster Iesus Christus errori et humanae fragilitati subiicitur. Verba itaque tum Sancti Pauli, tum Divi Augustini, tum posteriorum quorumdam theologorum asserentium nos « unum hominem » efficere in Christo et cum Christo, intelligenda omnino sunt iuxta authenticam interpretationem ecclesiastici magisterii, quae absolute respuit opinionem secundum quam Christus Eiusque membra unam personam physicam efformant.

En ergo unio sui generis: nec corpus morale, nec corpus physicum, sed Corpus Mysticum. Difficultas iacet in adinvenienda comprehensibili quadam determinatione seu declaratione vocis « mysticum ». Vulgus huic voci adnectit significationes quas ipsa certe non habet, unde fit ut a priori amittat desiderium doctrinae de Corpore Mystico penitus acquirendae.

Pater Boylan, Ord. Cisterc., adhaeret solutioni quam proponit Pater Mersch, et unitatem Mystici Corporis ait esse « unitatem ontologicam ». Sed ita non adaequate exprimitur unitas illa sui generis. Error ille corporis physici supponit etiam unitatem ontologicam. In populo de hac re docendo non datur hodie (nec forsan in posterum dabitur) alia explicatio reconditae huius realitatis quam haec: unio mystica est unio intima et vera, immo magis realis quam unio membrorum corporis nostri, nam agitur de rebus spiritualibus, quae maiorem realitatem habent quam res materiales (materia est enim infima categoria entis); et unio illa mirabilis producitur operatione divinae gratiae.

Si doctrina Mystici Corporis est, ut videtur, remedium providentiale ad hodiernos homines salvandos, non possumus esse indifferentes erga terminos quibus doctrina haec convenienter exprimatur. Fideles, praesertim iuvenes, magno desiderio afficiuntur veritates religiosas intime cognoscendi. Ne ergo dicamus: « Vulgus non percipit haec mysteria, non capit doctrinam Mystici Corporis ». Nam ita duceremur ad « mini-

mismum » quoddam perniciosum in populo christiano de rebus religiosis instituendo, contra Christi exemplum, contra praxim et Pauli, in cuius epistolis, quae non quidem directae fuerunt ad theologos sed ad simplices fideles, profundiora inveniuntur documenta de Vita Iesu deque Corpore Eius Mystico. Revera, moderni scriptores non pauci profuse tractare solent de natura Mystici Corporis; quod valde laudandum est, et animum gaudio implet. At saepius terminos quosdam adhibent traditionales et, ut ita dicamus, « devotionales », qui minus apti videntur ad facta haec ontologica exprimenda. Nec contendimus verba ut « cor » et « amor » a praedicatione nostra esse abolenda; sed tales voces, ratione usus immodici in libris devotionalibus, sic tritae et « translatae » sunt, ut difficile sit earum sensum determinare ad veritates ontologicas declarandas.

In opere « Le Corps Mystique » ait P. Lord: « Evidens est non homines omnes membra esse Mystici Corporis. Sed Christus pro omnibus mortuus est ... Unde genus humanum totum, sive baptismate sive desiderio Christi nondum in realitatem deducto, ad Corpus Mysticum vere pertinent (aut saltem pertinere possunt). « Revera, in sensu lato, omnes homines sunt membra Mystici Corporis, eo quod Christus pro omnibus mortuus est, ita ut ne unus quidem e redemptione excludatur; in sensu autem stricto loquentes, minime negandum est quod ad Corpus Christi Mysticum soli baptizati pertinent, qui in baptismate fructum redemptionis receperunt, nempe communicationem Vitae Christi. Qui vero nondum sunt baptizati, propter redemptionem quidem aptitudinem habent ad recipiendam in se Vitam Christi: redemptio enim illis iam tribuit communicationem quandam cum Illo. Sed isti sunt membra veluti mortua Corporis, quae tamen possunt quolibet momento vivificari per infusionem Vitae in baptismo.

Pater G. Salet in suo opere « Les Richesses du Dogme » haec affirmat: « Massa humana non fuit praesens in Calvario nisi in mente et in corde Christi ». « Massa » utique humana non fuit praesens in Calvario materialiter, at quis poterit contendere non ibi fuisse praesens genus humanum? Si genus humanum non fuisset praesens in Calvario, haec oriretur difficultas: fuitne homo vere redemptus, aut tantum eius remissa sunt peccata? Quaestio haec est fundamentalis relate ad constitutiomen Mystici Corporis. Salva misericordia Dei erga homines, notandum est redemptionem fuisse opus aequivalens, immo superabundans. Homo non fuit tantum redemptus sed reparatus, reparatione quidem quae multo magis meretur quam peccatum demeretur. Nam est opus Hominis-Dei. Iesus Christus reparare nos potuisset minimis passionibus et dolo-

ribus. At voluit facere quid superabundas, ut nos statueret multo altius quam in iustitia originali fuissemus.

Et hic oportet ut excursum quemdam ad paradisum illum terrestrem faciamus. Doctrina de peccato originali non parvas difficultates affert homini hodierno. Advertamus, in primis, quod etsi in hoc dogmate quaestiones non paucae adhuc satisfactoriam solutionem desiderant, hoc tamen non impedit quominus illud, in sua substantia, satis intelligibiliter exponi possit fidelibus, qui in rebus theologicis non sunt versati. Impossibile est autem ut fideles intelligant quid sit peccatum originale si unice dicamus illud in baptismate remitti. Nam aspectus negativus peccati originalis, scilicet amissio gratiae sanctificantis, non sufficienter explicat cur in baptismate deleatur aliquid hominem intime afficiens. Iamvero, peccatum originale fundatur in unitate naturae generis humani. Adam non est tantummodo primus homo, sed est et fons et radix humani generis. In ipso fuit natura humana non tantum ut in quolibet individuo speciei, sed etiam ut in suo principio et origine. Cum ille peccavit, maculata quidem est eius persona particularis, susceptibilis remissionis; at insuper foedata est ipsa hominum natura, labe utique inhaerenti, sed quae in baptismate deletur. Quae macula consistit in privatione lucis et splendoris sanctitatis.

Ratione habita huius facti necnon et modi quo Deus erga homines operatur, praesertim in oeconomia redemptionis, minime potest hominis reparatio fundari in simplici « cogitatu » Christi in Cruce. Haec quaestio est maximi momenti relate ad formalem corredemptionem Beatae Mariae Virginis. Munus eius soteriologicum, quod incipit in Incarnatione, non poterat deesse in Cruce. Relatio Mariae ad Christum non poterat esse inferior relationi Evae ad Adam. Eva prior ingreditur in sphaeram infidelitatis, sed Adam est qui peccatum originale commisit: Maria ingreditur prior in sphaeram reparationis (fiat), sed Christus est qui redemptionem perficit. Eva peccato originali cooperatur non solum physice et materialiter sed etiam moraliter et formaliter: Maria redemptioni humanae cooperatur physice quidem et materialiter ac insuper moraliter et formaliter. Eva saluti obfuit directe et immediate: Maria saluti profuit directe etiam et immediate. Sine opere Adam, inefficax fuisset opus Evae, quae sola peccatum originale constituere nequivisset: sine opere Christi, inane fuisset opus Mariae, quae sola generi humano redimendo impar extitisset. Nunc autem, si in Cruce genus humanum praesens non fuit nisi « in mente et in corde » Christi, quomodo possibilis fuit corredemptio ex parte B. Mariae Virginis?

Peccatum originale fundatur ergo in unitate naturae generis humani, quod fuit praesens in Adam. Quod factum oeconomia redemptionis non

ignorat, immo eadem via incedit. Non quod Deus logicae humanae subiiciatur, sed quod ita vult facere libera sua voluntate. Deus certe poterat peccata hominum remittere simplici « cogitatu remissionis »: de hoc nemo dubitat; sed voluit redemptionem fieri modo perfectiori. Dicere quod nos sumus redempti a Christo, pars est veritatis; et dicere quod nos sumus redempti in Christo, haec est veritas totalis.

Corpus mysticum apparet nobis « supernaturali quadam naturalitate » praeditum. Ut autem plene intelligatur quid sit esse membrum huius Corporis, scire oportet in primis quid sit eius Caput. Et re quidem vera, pauci sunt qui satis capiunt quid sit Homo Christus. Si Adam, hora luctuosissima, tantum mali intulit humanae progeniei, eo quod eius caput esset, quis perpendere unquam poterit bonum quod hominibus attulit Incarnatio ipsius Dei ac copiosa Eius redemptio, quae utique non fuit opus unius diei sed totius cursus vitae Christi in terris, una cum Passione et Morte reparatrice? Quis est Adam si Christo conferatur?

Adam est primus homo. Sed Christus est homo per excellentiam. Cum Deus dixit: « faciamus hominem ad Imaginem et Similitudinem nostram », non tam cogitabat Adamum quam hominem illum qui pleno sensu futurus erat Imago et Similitudo Altissimi. Nos certe minime ponderare et aestimare possumus multitudinem peccatorum quibus quotidie genus hominum Deum offendit. Sed quid sunt tam multa et gravia peccata si consideremus Hominem Illum, tam superabundanter Deo satisfacientem pro peccatis? Frequenter quaerunt fideles cur Deus creaverit hominem, quem a priori sciebat in peccatum ruiturum: at quid est ruina totius humani generis, si comparetur gloriae quam Homo Ille tribuit Deo? Etsi tota humana progenies damnaretur, humanitas tamen salva esset in Illo Homine. Summa omnium individuorum humanorum nihil est, cum Homine Christo collata. Dum Homo Exemplar salvus sit, quid interest si imitationes depereant?

Relinquenda est iam fictitia haec dualitas inter Christum et homines! Utilis quidem fuit ad quaedam explicanda facta, sed revera valde restricta est et imperfecta. Si humanitas fuit, in Adamo, multo magis ac melius fuit in Christo. Remanebit adhuc difficultas intelligendi quomodo constituatur Corpus Christi Mysticum, si insuper consideretur elevatio naturae humanae ad statum gratiae et incorporatio eius ad vitam Christi.

Vis quae tribui solet verbis Iesu morientis: « Ecce mater tua, ecce filius tuus » ad demonstrandam spiritualem ac supernaturalem maternitatem Beatae Mariae Virginis, non videtur esse apodictica. Nam maternitas haec pertinet ad ordinem Mystici Corporis, nec in Cruce inchoatur, sed in Cruce consummatur; ut divina misericordia non incipit in Cruce manifestari, sed in Cruce absolutissimam manifestationem sui obtinet.

Circa hoc adnotat S. Augustinus quod solemus admirari supra modum Passionem et Mortem Dei, dum vix Eius Incarnationem consideramus. Deo homine facto, ait Sanctus Doctor, bene ac facile intelligitur Ipsum pati, nam pati humanum est; sed quod Deus humiliaverit semetipsum usque ad formam servi accipiendam, hoc quis poterit unquam intelligere?

Formatio Corporis Mystici inchoatur in momento Incarnationis. Si Adam, a momento creationis suae, portabat in se quodammodo genus humanum, eo quod eius esset caput et radix, multo magis ac melius portat illud in se Homo Ille perfectissimus qui est Auctor naturae humanae.

Et hic quidem consideranda apparet res magni momenti. Christus potuisset sibi creare corpus humanum omnino simile corpori nostro et praeditum omnibus conditionibus quae corpus hominis constituunt ac perficiunt. Noluit autem sibi corpus « creare » sed voluit illud sumere a muliere quae ab Adamo descendebat, ut vere esset membrum propaginis nostrae et unus ex nobis. Unde factus est Homo per antonomasiam, cui statim collata est repraesentatio illa totius generis humani, quam Adam ad tempus habuit. Et sic Caput nostrum perpetuum constitutus est.

Quatenus Caput nostrum, stricte loquendo, ascendit Christus in Crucem. Nequit enim aliquis alienum debitum solvere compensatione aequivalenti. Iesus Christus, si genus humanum fuisset praesens in Calvario solummodo « in mente et in corde » Ipsius, opus quidem fecisset misericordiae sine exemplo, attamen genus humanum proprie loquendo reparatum non esset. Nunc autem, humanum genus non fuit extra Christum in illo Sacrificio verae reparationis. Nam Iesus realiter gerebat in Se humanam progeniem, sicut Adam illam gerebat quando peccatum originale commisit; immo multo magis ac melius quam Adam. Omnes ergo praesentes fuimus in Cruce quatenus participes naturae humanae redemptae per consciam activitatem redemptricem Christi. Ego autem, cum ad meam individualem existentiam pervenerim, conscienter ac personaliter ratificare debeo tum Sacrificium tum Oblationem Christi: Sacrificium quidem, quatenus per baptismum revera participo in sacerdotio Christi; Oblationem vero, quia membrum sum Corporis Christi, quod in sua totalitate — Capite et Membris — offertur Patri usque ad consummationem saeculi. Fideles hodierni Missam apprehendunt velut molestam quandam obligationem, sub peccato mortali et periculo aeternae damnationis adimplendam. Cognitio vero ontologicae necessitatis huius praecepti, eius observationem faciliorem ac leviorem reddit.

Dolendum sane est quosdam auctores non satis adhuc distinguere inter corpus Christi physicum et Corpus Eius Mysticum. « Foeditate

ipsa criminis, ait Pater Lord (*op. cit.*), impossibile fit ut reus pergat efformare partem corporis sine macula Salvatoris. Nil immundum, nil noxium potest esse pars immaculati corporis Christi ». Iamvero, corpus Christi immaculatum est Eius corpus physicum; Christus autem est Caput Corporis Mystici, cuius nos partes seu membra sumus, non obstantibus « innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis nostris ».

Idem scriptor in opere « Les Paroles Finales » haec affirmat: « Non possumus quin dubitemus de opportunitate praedicandi doctrinam Mystici Corporis animabus mediocribus et vulgaribus, nam talis est haec doctrina ut heroicitatem postulet, ad quam animae mediocres et vulgares non sunt idoneae. « At discrimen huiusmodi videtur nobis esse tanquam gladius qui Corpus Mysticum scindit. Animas mediocres et vulgares ab animabus heroicis secernere nomine doctrinae Mystici Corporis esset veluti reicere esurientem et saturare divitem nomine Caritatis! Christus non sibi mystice copulavit genus humanum sanctum et innoxium, sed in peccatum lapsum. Si veritas ulla existit quae christifidelem ad tentationem dubitandi fortiter inclinet, veritas illa haec est. Hoc videtur quid nimis pro hominibus! Vere *in finem dilexit eos!*

✠ IESUS A. CASTRO BECERRA
Episcopus Palmiranus

14

EXC.MI P. D. AEMILII BOTERO GONZÁLES
Episcopi Pastopolitani (Pasto)

Una cum eo responsum dedit

EXC.MUS P. D. IOSEPH A IESU PIMIENTO RODRIGUEZ
Episcopus tit. Apollonidensis, Auxiliaris Pastopolitani

Pasti, die 22 decembris 1959

Eminentissime Domine,

Quia antea nobis gratis tuis communicationibus 1 C/59-2147 ... responsionem dare possibile non fuerat, hodie gaudio facimus, etiam cum gratitudine, quia Oecumenicum Concilium propositum convocandi, quod Pater Sanctissimus Noster Ioannes XXIII manifestavit, instar inspirati videtur; et quod quidem nobis iucundum et honorificum de agendis in tanto Concilio nostram opinionem sollicitas tibi gratias agi-

mus. Itaque breviter nos exhibere audemus illa quae in tali occasione fortasse studenda poterint.

Dogmatum materies

Dogmatis definitio: « Ecclesia, Christi Corpus mysticum ».

Dogmatis definitio: « Maria hominum, in gratiae supernaturali ordine, est vera Mater ».

Dogmatis definitio: « Maria omnium gratiarum Mediatrix est ».

Circa disciplinares et morum materias

a) Laxa praxis nativitatis limitationis novissimis systematibus nixa, clamat ut Ecclesiae doctrina categorice affirmetur.

b) Permulta privilegia et Religiosorum exemptiones dioecesanam administrationem supra modum torpescunt et apostolatus organicam partium structuram. Forsitan profundius studium varias difficultates enodaret.

c) Can. 1345 tantum desiderium exponit ut in omnibus Missis festorum dierum, adstantibus fidelibus, Evangelium praedicetur. Dispositiones dioecesanae, hac in materia, multis in locis, nondum certum effectum obtinuerunt. Fortasse quod cupimus mandatum bonum pastorale assequetur. Utinam illa praedicatio non protendatur ultra horae quadrantem.

d) Cann. 1355, 1356 potestatem imponendi tributa Seminariorum in favorem praevident; forsitan tempus est commodum illud augendi, et illo tributo etiam operibus socialibus consulere.

e) Legis observantia circa communionem paschalem (can. 859) videtur innumeris fidelibus, hoc in tempore, practice impossibilis periodo obsignato; forsan opporteret a prima die ianuarii usque ad 31 decembris facultatem extendere, et tantum commendare ut tempore paschali diligentius praeceptum expleatur.

f) Prohibitio benedictionis nuptialis tempore quadragesimali et in Adventu nobis videtur inefficax, praesertim in Adventu, quia hoc tempore datur matrimoniorum maxima consuetudo. Si non impertitur benedictio sponsi unquam redibunt; si permittitur, monitio « ut a nimia pompa abstineant » est vana, teste experientia.

Ita adimplemus, Eminentissime Domine, tuum optatum circa aliqua quae nobis videntur esse studii thema in futuro Concilio poterunt. Nos oramus, et fidelibus nostris petitiones Deo semper facere com-

mendamus, ut validissimae intentiones Pontificis Nostri circa Concilium adimpleantur.

Optima nostra vota Eminentiae Reverendissimae, et nobis placet, Tibi sicut humillimi in Domino fratres suscribere,

✠ Aemilius Botero Gonzáles
Episcopus Pastopolitanus

✠ Ioseph a Iesu Pimiento Rodriguez
Episcopus tit. Apollonidensis
Auxiliaris Pastopolitani

15

Exc.mi P. D. BALTHASARIS ALVAREZ RESTREPO
Episcopi Pereirani (Pereira)

Pereira, die 20 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Die 18 iunii 1959 et 21 martii 1960 a Pontificia Commissione Oecumenici Concilii Antepraeparatoria epistulas duas accepi, quibus ad aliqua, quae in futuro Concilio tractari possint, exponenda invitor. Et quia permultae futuro pro Concilio ad Sanctam Sedem delatae erunt postulationes meam sententiam, quam breviter exponam.

1. *De matrimonii Sacramento*:

Quamvis hac in Pereirana Dioecesi multum erga matrimonialem vinculum amorem habemus, non desunt tamen praecipue inter iuniores coniuges acerbi separationis casus, quibus castitatem servare perdifficile est. Utinam proximo in Concilio, dummodo sit possibile et salva tamen catholica doctrina, divortii causae protraherentur.

2. *De confirmationis Sacramento*:

In tropico propter nimiam infantium mortalitatem, Episcopi parvulis confirmationem ministrant et hoc de Apostilicae Sedis licentia. Hac de causa diebus in quibus Sancta Confirmatio ministratur ac praecipue in pastoralibus visitationibus, Ecclesiae parvulis patrinisque implentur, qui post acceptam unctionem quoadusque finales Episcopus recitaverit preces, exspectare debent. Haec permagna difficultas, ut mihi videtur, superari poterit, si Concilio placuerit, primo loco omnes confirmationis preces recitando, denique vero unctionem peragendo. Itaque unusquisque, post acceptam unctionem, e templo excederet.

3. *De lingua vernacula in Sacramentorum administratione*:

In Sacramento Baptismi, Confirmationis, Matrimonii atque Extremae Unctionis, vernacula lingua valde utilis erit. Ordinis vero sacramento, ut arbitror, semper latinus sermo adhibendus est.

4. *De Sacra Communione feria V in coena Domini*:

Columbianis in Dioecesibus ceterisque Americae regionibus, 75% suam in agro degunt vitam atque multa cum cura paschale implent praeceptum. Adde quod his in regionibus mos est non Dominica Resurrectionis sed Feria V in Coena Domini paschale facere praeceptum. Et quia agri multum intersunt atque itinera prava, Feria V in Coena Domini, Sacram Communionem *mane* ministrandi generalis licentia conveniens erit.

5. *De ordinibus mendicantibus*:

Ordines in Columbia qui mendicantes vocantur, nullam ad vescendum habent necessitatem, ita ut tota in Dioecesi mendicent. Adde quod hoc Christifidelium pietati permultum nocet. Utinam privilegium can. 21 abrogetur.

6. *De Religiosorum communitatum episcopis adhaesione*:

Non desunt aliquae religiosae communitates nimis ab auctoritate episcopali exemptae, quae catholica atque sociali actione paulum laborant. Utinam Concilium aliquid de hac re decreverit.

7. *De taxarum paroecialium usu*:

Circa bona paroecialia in Codice magis explicita desideratur legislatio. Propter hunc legislationis defectum diversis in Dioecesibus, praesertim circa quae Parocho competunt, in bonorum distributione non semper unitas invenitur. Paroeciae quaedam sunt divites et quaedam pauperes. Itaque ac de ratione multi parochi ad argentum sunt proni. Clara et taxativa circa hoc legislatio valde utilis erit.

Eminentiae Tuae addictissimus

✠ BALTHASAR ALVARES RESTREPO
Episcopus Pereiranus

16

EXC.MI P. D. DIDACI M. GOMEZ TAMAYO

Archiepiscopi Popayanensis (Popayán)

Popayán, 15 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litterae Eminentiae Vestrae, 18 iunii 1959 usque ad manus meas pervenerunt (prot. N. 1 C/59-1046).

Rogat Eminentia Vestra ut communicem Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico « omni cum libertate et sinceritate, animadversiones, consilia et vota ... negotia maioris momenti, quae eadem Ecclesia obire hodiernis debet temporibus, sive denique caeteras omnes res, quas mihi exponere et enucleare visum fuerit ».

Sic igitur utens libertate et sinceritate ab Eminentia Vestra postulata libenter et maxima cum reverentia respondebo.

I. *De re canonica*

Suggerentiae reverentiales circa aliquas possibiles mutationes.

Can. 778: « Si baptismus nec a proprio parocho nec eo praesente administratus fuerit, minister de ipso collato quam primum proprium ratione domicilii parochum baptizati certiorem reddat ».

Suggero fortasse oportere hunc canonem supprimere. Ratio: in plurimis paroeciis columbianis revera immensitate praeditis, pueri saepissime ruri baptizantur. Fideles paroeciarum vicinarum occasionem nanciscuntur ut sui pueri a parocho alieno baptizentur. Sunt paroeciae in quibus 30% puerorum baptizatorum ad paroecias pertinent alienas. Acta puerorum baptizatorum ad archivum parochi baptizantis deferuntur. Problema huiusmodi ubique terrarum, excepta Europa, inveniri puto.

Can. 782: Minister extraordinarius confirmationis est hodie etiam parochus pro confirmantibus in periculo mortis constitutis.

Suggero hunc canonem ampliorem reddere oportere. Licet sacramentum confirmationis non sit de necessitate salutis, fortasse oporteret ut omni sacerdoti ab Ordinario approbato, liceret sacramentum confirmationis in periculo mortis administrare.

Cann. 798 et 470, § 2: « In libro baptizatorum adnotetur quoque si baptizatus *confirmationem* receperit, matrimonium contraxerit ... ».

Suggero etiam reverenter ut non imponatur parochis obligatio adno-

tandi confirmationem in libro baptizatorum. Ratio: in aliquibus paroeciis et in aliquibus visitationibus pastoralibus Ordinariorum, confirmandi numerum 6.000 et 8.000 superant.

Nemo est qui non videat maximam esse difficultatem in talibus adnotionibus perficiendis.

Can. 1249: « Legi de audiendo sacro ... non satisfacit, qui illud audit in oratoriis privatis, nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit ».

Hanc ampliationem suggerendam iudico: legi de audiendo sacro satisfacit qui Missam audit in quocumque loco ubi Missa licite celebretur. Qui cognoscit paroecias 30.000 animarum sub directione unius solius sacerdotis, sine ullo vicario cooperatore, de hac ampliatione rite iudicabit.

Cann. 1532 et 534: « Legitimus Superior de quo in can. 1530, § 1, est Sedes Apostolica, si agatur:

1) De rebus pretiosis;

2) De rebus quae valorem excedant triginta millia libellarum seu francorum ».

Ultra 30.000 libellas et hodie pro ditione columbiana, ultra $ 30.000.oo (pesos colombianos) Ordinarii non possunt procedere sine facultate a Sede Apostolica concedenda.

Relate ad bona pretiosa utinam leges strictissimae serventur. Relate tamen ad fundos et bona immobilia non pretiosa utinam legislatio paulisper laxaretur. Moneta columbiana valorem acquisitivum prorsus amisit. $ 30.000 (pesos colombianos) sunt longe infra $ 4.000 (dólares americanos). Si agitur de fundis et bonis immobilibus haec summa valorem exiguum repraesentat.

Fortasse commodius esset pro Sede Apostolica et pro Ordinariis, si his liceret, proprio marte procedere, cum agitur de summis non $ 20.000 (dólares americanos) superantibus.

II. *Suggerentiae circa Sacramenta*

A) *Baptismus*

Fortasse sit conveniens praeparare Ordinem Baptismi simpliciorem cum paucis interrogationibus et omnibus propositis modo collectivo.

Ratio: inter nos aliquando sacerdos debet baptizare simul 80 et 100 pueros. Ordo baptismi hodiernus, in his adiunctis, quattuor et amplius horas postulat ad sacramentum perficiendum, cum omnibus incommodis ex parte puerorum, ex parte multitudinis comitantis et ex parte baptizantis, quae possunt facillime praevideri.

B) *Confirmatio*

Can. 789: « Confirmandi si plures sint, adsint primae manuum impositioni seu extensioni, nec nisi expleto ritu discedant ».

Fortasse esset valde opportunum in hoc sacramento administrando, prius omnes orationes recitare, et caerimoniis et orationibus expletis confirmandos ungere, ita ut statim post unctionem possint confirmati discedere.

Ratio: in aliquibus visitationibus pastoralibus 3.000 et 4.000 confirmandorum accedunt et unaquaque vice vera multitudo Ecclesiam penetrat ita ut administratio confirmationis per tres horas, et amplius, procrastinetur, cum omnibus incommodis in capite de baptismo connotatis, inter quae certe non minora puto, incommoda quae procedunt ex atris caloribus zonae torridae.

Si confirmati statim post unctionem discedunt, incommoda valde imminuuntur.

C) *Matrimonium*

Can. 1020: Propter nationum diversitatem; aliae sunt dissertae aliae sunt semisilvaticae et semibarbarae, fortasse convenientissimum esset ut Venerabilis Conferentia Episcopalis auctoritatem haberet Ordinem informationum matrimonialium redigendi, unicuique populo accommodatum.

Can. 1096: Ad assistendum matrimonio excludit delegationes generales, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt.

Etiam opportunum invenio ut Ordinarii, ex ipsa legislatione canonica, cuique sacerdoti prudenti, possint delegationem generalem concedere, cum ita ad bonum animarum conveniens illis videatur.

III. *Suggerentiae circa res liturgicas et similia*

1. Can. 806, § 2: et ultima privilegia a Sancta Sede concessa dies determinant in quibus sacerdotes possunt bis vel ter Missam litare.

Adhuc modestissime suggerere audebo. Sunt plurimae solemnitates religiosae, quae in hoc vel in alio loco, cum speciali pompa celebrantur, in diebus non proprie festivis, in quibus solummodo unus sacerdos adest. Utinam Ordinarii facultate gauderent ad permittendam binationem quotiescumque illam convenientem iudicaverint ad stimulum pietatis fidelium.

2. *Feria V in Coena Domini*: Etiam opportunissimum iudico, ut modo definitivo, quotannis, in Feria V Maioris Hebdomadae, praeter Missam Vespertinam, permittatur saltem una Missa Matutina in omnibus Ecclesiis et Oratoriis semipublicis, ita ut fidelibus liceat Sacram Communionem accipere non solum in Missa Vespertina sed etiam in Missis Matutinis. Et ubi unicus sit sacerdos, liceat illi bis Missam celebrare, scilicet Matutinam et Vespertinam. Sunt in Columbia paroeciae aliquae in quibus 20.000 fidelium ad Sacram Synaxim accedunt in Coena Domini et sunt paucissimi sacerdotes ad Sacram Communionem distribuendam, ideoque si fideles communicant in sola Missa Vespertina, haec nimio tempore procrastinaretur.

3. *De communione paschali*: Etiam conveniens iudico ut praeceptum confessionis et communionis annualis non limitetur tempore. In posterum sufficiat confiteri peccata et communicari semel in anno, quocumque tempore, ad praeceptum adimplendum.

4. *De exercitiis spiritualibus*: Optimum esset si omnibus sacerdotibus exercitia spiritualia tradentibus liceret, ad finem exercitiorum Benedictionem Papalem elargiri, ita ut fideles qui quinque saltem adhortationes audiverint et confessi et communicati fuerint, possent indulgentiam plenariam lucrari. Utinam hoc privilegium religiosorum, pro bono animarum, omnibus sacerdotibus extenderetur.

5. *Via Crucis*: Esset conveniens ut Ordinarii possent concedere delegationem ad erigendam Viam Crucis, cuique sacerdoti, iusta de causa. Sunt adhuc loca nimis dissita ad quae Ordinarii et Franciscani rarissime accedunt.

6. *Illuminatio liturgica*: Propter difficultates maximas in hac re fortasse opportunum esset ut Ordinarii vel Conferentiae Episcopales seligerent materiam pro illuminatione liturgica, possibilitatem regionum respicientes.

7. *De Officio Divino*: His temporibus in quibus occupationes sunt iterum atque iterum intensiores, fortasse opportunum iudicetur, etiam Officium Divinum brevius redigere.

Humiliter ac reverenter hanc modificationem suggero: ad Matutinum: Nocturnum unum. Ad Horas Minores, Vesperas et Completorium; psalmus unus et oratio diei. Permittatur etiam ut Vesperae et Completorium possint anticipari ante meridiem, iusta de causa.

Eminentissime Domine,

Utens et fortasse abutens libertate et sinceritate in litteris Eminentiae Vestrae permissis, has suggerentias proponendas iudicavi. Obvium

est: ego et mei fideles, flexo capite audiemus, quod, quocumque tempore et quibuslibet adiunctis, Sancta Sedes decernat.

Interim ex toto corde Vestrae Eminentiae me addictissimum profiteor.

✠ Didacus M. Gomez Tamayo
Archiepiscopus Popayanensis

17

Exc.mi P. D. NORBERTI FORERO Y GARCÍA

Episcopi S. Marthae (Santa Marta)

Santa Marta, septiembre 2 de 1959

Eminencia Reverendísima,

Tengo el honor de dirigirme a Vuestra Eminencia Reverendisima para manifestarle: Fechada el 18 de iunio del presente año, y con el N. 1 C/59-1212, recibí una Comunicación, sin firma, solicitando sugerencias para el próximo Concilio Ecuménico que el Santo Padre se propone convocar, y emanada de la Comisión Antepreparatoria del mismo.

Como la Comunicación mencionada se recibió en los días de mi viaje a Roma para la Visita ad Limina, no hubo tiempo para meditar a conciencia tan delicado asunto. Mas habiendo consultado con el Excmo. Metropolitano de Cartagena, de quien soy sufragáneo, me manifestó que reuniría a los demás sufragáneos para dar una respuesta conjunta. Gustoso le expresé que yo suscribiría y aprobaría lo que ellos acordaran comunicar a Vuestra Eminencia Reverendísima.

En tal virtud me honro en participar a V. E. R. que me remito a lo que los Prelados de la Provincia Eclesiástica de Cartagena hayan acordado.

Con sentimientos de respeto beso la sagrada Púrpura de Vuestra Eminencia Reverendísima.

Adictisimo en Cristo

✠ Noberto Forero y García
Obispo de Santa Marta

18

EXC.MI P. D. MICHAËLIS A. BUILLES

Episcopi S. Rosae de Osos (Santa Rosa de Osos)

Sanctae Rosae de Osos, 21 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Per litteras datas e Civitate Vaticana, die 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-1215, Eminentia Vestra Reverendissima, qua Praeses Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, dignata est a me inquirere illas animadversiones, consilia et vota quae suggerere possem circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Gratias agens propter illam dignationem Em. V. Rev.mae et desiderans ut labores futuri Concilii Oecumenici cedant in maiorem Dei gloriam, in Ecclesiae honorem et in bonum populi fidelis, praesertim quoad dissidentium coadunationem in sinum Sanctae Romanae Ecclesiae, « quae est columna et fundamentum veritatis », liceat mihi quaedam vota patefacere quae utilia mihi videntur ad bonum Ecclesiae et fidelium:

1. Adaptatio canonicae legislationis quoad bona ecclesiastica conditionibus nunc vigentibus oeconomiae « capitalisticae », atque fixatio illius taxae de qua agitur in can. 1532 iuxta valorem monetae Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, seu « dollars », quae mundiale commercium regulat.

2. Legislatio clara et praecisa ut adaequate providatur sustentationi clericorum in casibus infirmitatis, senectutis vel privationis officii aut beneficii, cum iure ad quaedam subsidia familiaria.

3. Suppressio vel diminutio dierum festorum intra hebdomadae dies, vel eorum translatio ad proximiorem diem dominicam. Illa etenim festa non tantum in rem oeconomicam sed praesertim in mores depravandos incidunt.

4. Abrogatio legis ieiunii et abstinentiae, quae practice inter nos iam non adimpletur et ansam praebet multis peccatis et conscientiae angustiis. Gentes nostrae maiori ex parte pauperrimae sunt, et earum escae, insufficientes.

5. « Simplificatio » ut ita dicam, et enucleatio legislationis canonicae quoad censuras. Nunc temporis, datis declarationibus multiplicibus Sacrarum Congregationum, pro singulis casibus, interpretationibus canonistarum et theologorum, in actuali congerie conditionum et

circumstantiarum societatis et individuorum, perdifficilis evadit recta mentis Sanctae Ecclesiae interpretatio et applicatio.

6. Recognitio et « simplificatio » procedurae in casu sollicitationis de qua in can. 904 et 2368, cum procedura nunc vigens fiat durior secundo confessario, aliquando valde onerosa poenitenti et cassum reddit naturale ius ad defensionem.

7. Permissio ut in universo ritu Baptismi, Matrimonii et Extremae Unctionis sacramentorum, lingua vernacula adhibeatur, ad maiorem populi aedificationem.

8. Facultas Ordinarii loci admittendi in suum Seminarium alumnos ex alio Seminario Minori egressos, debitis servatis cautelis.

9. Recognitio Breviarii Romani ut psalmi et lectiones quae longiores apparent, breviores reddantur, et sic sacerdotes maiori pietate divino officio persolvendo incumbant.

10. Adoptio Kalendarii Universalis quod permittat fixam determinationem Paschatis, dominicarum et festorum.

Quae praecedunt reverenter exposui, illa omnia iudicio subicens Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico.

Sacram Purpuram reverenter deosculans et omnia fausta adprecans in Domino, me profiteor

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
devotissimum in Christo
✠ MICHAËL A. BUILES
Episcopus S. Rosae de Osos

19

EXC.MI P. D. PETRI I. RIVERA MEJÍA

Episcopi Succursensis et S. Aegidii (Socorro y San Gil)

Sancti Aegidii, die 7 maii 1960

Eminentissime Domine,

Visitatio ad Limina multique alii labores quominus animadversiones, consilia et vota pro futuro Concilio Oecumenico ab Eminentia Tua die 18 iunii 1959 postulata (Prot. N. 1 C/59-1282) opportuno tempore mitterem obstitere. Et ob tantam moram, veniam postulo. Deinde iterum interrogatus, nunc tandem quae in Domino mihi videntur utilia cum omni reverentia communico.

I. Ad doctrinam quod spectat

Futurum Oecumenicum Concilium fidem fidelium contra serpentes errores tutari atque doctrinam catholicam circa quaestiones a nostro tempore propositas exponere debere nobis videtur.

In specie autem haec sunt dicenda:

a) Cum *communismi* error multos alliciat iniustitiis socialibus praesertim fretus, quae iustitia socialis revera postulat docere, quae falso vero a materialistica illa philosophia exponuntur damnare peropportunum apparet.

b) Doctrinam catholicam *circa quaestiones a nostro tempore propositas* Summus Pontifex Pius XII f. r. omnium cum plausu exponere incepit. Praestat forte quaedam ab eo affirmata in Concilio repetere, alia vero clarius exponere, et per viam ab illo apertam amplius progredi. Sunt quaestiones medicae deontologiae v. gr. sterilizationis cum unicum medium gravissima mala vitandi non datur nisi continentia absoluta, vel iuris publici, v. gr. confessionalismus Status, laicismus, tolerantia, libertas conscientiae, in quibus doctrinam Concilii fideles avide audirent.

c) Beatissima Virgo Maria, Regina Mundi, semper omnes expugnavit haereses. Si Concilium eius universalis mediationis vel corredemptionis *dogma definire* posset, magnum in certamine auxilium expectandum fore.

II. Ad disciplinam quod attinet

Concilium eam hodiernis conditionibus accommodare debere omnes exspectant.

En quaedam speciatim animadvertenda:

a) Nostrum ius quae Ecclesiae gubernationem spectant quidem prae oculis habet; apostolatus vero operum quae nostris temporibus latissime excreverunt desideratur ordinatio. Optandum sane ut in qualibet dioecesi, praeter Vicarium Generalem qui administrativam et iudicialem potestatem exercet, sit etiam Operum Apostolatus in Dioecesi existentium specialis moderator. Utque Romae specialis etiam Congregatio quae his Operibus praesit existat. Atque tandem ut omnium iuridica ordinatio tradatur.

b) Multis in locis cleri penuria est maxima difficultas. In aliis vero locis sacerdotes qui iuvare ibi possent vel etiam Instituta huic fini dicata existunt. Optandum ut Romae v. gr. esset Institutum quod finem haberet distribuendi Sacerdotes illos ita ut Episcopi qui illo adiutorio egent facilius ita cooperatores invenirent.

c) Sociologia religiosa pro pastorali labore dirigendo tam necessaria videtur ut sive in unaquaque Curia Dioecesana dioecesanum Officium, in Romana vero Curia Officium centrale his notitiis colligendis dicata exoptanda videantur.

d) Coetus Vigilantiae in Codice haud consideratus qui errores, vitia, publicationes, spectacula, vestiendi modum, pericula, etc. in populo fideli existentia bene cognoscat, in qualibet Curia instaurandus videtur.

e) In Seminario futuri sacerdotes in ordine ad vitam efformandi sunt. Scholasticae igitur illae quaestiones quae hodie historicum tantummodo interesse habent secundo loco, dum Pastoralis Theologia, Psychologia et Medicina pastoralis, Sociologia et Paedagogia praestantiore loco ponendae sunt.

f) Oeconomica ordinatio ita peragenda videtur ut ex una parte magis technica existat, ex alia vero ab impugnationibus communistarum contra Ecclesiae clerique divitias nos liberet. Unde Sacerdotes omnes necessaria quidem habere debent sed ita ut nullus dives fiat; ad hoc vero quae in can. 1473 statuuntur haud sufficiunt. Omnes vero Curiae aliquod opus caritati exercendae dicatum habere debent, et eo fine pauperes iterum suam partem in distributione bonorum ecclesiasticorum debent recipere.

g) Religiosorum exemptio mutationes quasdam forte postulat. In interno regimine nullas, at in relatione cum fidelibus multas difficultates creare videtur. Optandum igitur ut in ministeriis cum fidelibus Ordinariis subiciantur. Utque sive saeculares sive regulares sacerdotes dioecesanum clerum constituant.

h) Paroecia modo magis missionario ordinanda videtur ad hoc ut in omnibus paroecianis influxum exerceat. Iuxta hanc ordinationem parochi munus est disponendum et apostolicae institutiones cum suo iuridico statuto sunt concipiendae. Omnis pia associatio apostolatum aliquem debet exercere.

i) Hodiernae conditiones ampliores facultates in Ordinariis pro ecclesiasticis bonis alienandis videntur requirere. Atque ut etiam novarum formarum in piis causis ratio habeatur. v. gr. illarum institutionum in quibus quidam fideles opus concipiunt et statuta dant, alii vero pecuniam apportant.

j) Cleri penuria ut Ordinarii amplioribus facultatibus ad binationem immo ad trinationem permittendam ornentur, videtur etiam exigere.

k) Quoad paschale praeceptum tempus ampliandum videtur, immo forte statuendum ut communio quolibet anni die recepta sufficiat. Ad hoc etiam est exoptandum ut Feria VI et Sabbato maioris hebdomadae fideles extra sacram functionem communionem recipere possint, nam

aliter multi etiam apud nostras regiones praeceptum adimplere nequeunt.

l) In Sacramento Ordinis forte irregularitas canonis 984, § 4, atque impedimentum canonis 987, § 1, e medio sunt tollendae.

m) In Sacramento Matrimonii impedimenta minoris gradus, immo quae sunt iuris meri ecclesiastici in quibus dispensari solet, vel tollenda vel saltem ut mere impedientia statuenda videntur, ad maiorem firmitatem coniugii comparandam. Quodsi non expedire videatur, ut post lapsum v. gr. trium annorum coniugia illa irrita ipso iure convalidentur. Tempus etiam clausum forte iam non est statuendum.

n) Liturgicus Codex quam maxime expectatur. Fidelium participatio in liturgia pro posse fovenda. Ritus quidam, v. gr. altarium consecratio, forte hodie breviandi sunt.

o) Processus canonicus implexus atque difficilis videtur, nam duodecim rationes procedendi enumerari possunt. Optandum igitur ut, si fieri possit, ad maiorem unitatem redigatur. Atque etiam ut res iudiciales ab administrativis clare secernantur et processus administrativus ordinetur.

p) In poenali iure delicta quaedam iam videntur eliminanda, v. gr. in canone 2321 quoad eucharisticum ieiunium; in can. 2354 § 1 quoad venditionem hominis in servitutem. Alia forte nova sunt statuenda, v. g. pro iustitiae socialis violatione; pro gubernii usurpatione. Ad poenas quod attinet, ius implexissimum videtur, v. gr. quoad effectus excommunicationis, suspensionis et interdicti; quoad reservationem atque remissionem poenarum. Optandum igitur ut ad maiorem simplicitatem redigatur.

Hanc occasionem nactus impensos animi sensus Eminentiae Tuae profiteor et optima vota elevo.

Addictissimus in Domino

✠ PETRUS I. RIVERA MEJÍA
Episcopus Succursensis et S. Aegidii

20

Exc.mi P. D. ALBERTI URIBE URDANETA
Episcopi Sonsonensis (Sonsón)

Sonsón, septembris 12, 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum est mihi significare Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico argumenta quae, meo iudicio, tractari poterunt:

1. Codex Liturgiae pro ritu latino.
2. Amplior fidelium participatio in Sacrificio et in Sacramentis per linguas vernaculas.
3. Quaedam maior iurisdictio Ordinarii quoad religiosos etiam exemptos in eorum ministerio.
4. Studium circa opera servilia prohibita diebus dominicis et festivis.
5. Possibilis elevatio castitatis sacerdotum ad votum solemne explicitum; promissio obedientiae ad publicum et quaedam regulatio iuridica circa eorum paupertatem.

✠ Albertus Uribe Urdaneta
Episcopus Sonsonensis

21

Exc.mi P. D. ANGELI M. OCAMPO BERRÍO
Episcopi Tunquensis (Tunja)

Tunquae, 18 ianuarii 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Respondens communicationi Eminentiae Vestrae die 18 iunii anno superiore datae, sub numero 1 C/59-1402, circa animadversiones, consilia et vota Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico danda, sequentia mihi animadvertenda sunt:

1. Cum praxis meditationis tantae utilitatis sit pro vita christiana ac sacerdotali fovenda, fortasse onus recitationis breviarii reducendum est

v. g. ad semihoram singulis diebus, et imponenda omnibus in sacris obligatio sub gravi meditationis quotidianae per dimidiam horam. Sancta Sedes posset librum meditationis ad usum sacerdotum totius catholici orbis pro omnibus anni diebus edere, in quo eae materiae praebeantur quae ad efformandum et colendum sacerdotalem spiritum nostris diebus magis conferant.

2. Reformatio calendarii valde conveniens videtur eo fine ut vita liturgica tam pro Missa quam pro officio simplificetur, adeo ut nullum unquam detur festum mobile. Festa enim mobilia nostris diebus rationalizationis laboris non parvas incommoditates secumferunt.

3. Totalis revisio videtur praesertim evangeliorum facienda, quae in actuali liturgia diebus festivis de praecepto apponuntur. Cum homilia generatim fiat circa evangelium diei, desiderandum ut pro diebus festivis de praecepto optimae partes evangelii — eae praesertim quae directe doctrinam Christi referant — seligantur. Ea evangelii loca debent prae se ferre indolem maxime pastoralem. Revisio etiam facienda epistolarum.

4. Suppressio verborum « Mysterium Fidei » in consecratione calicis.

5. Cum sacerdotes nunc sint valde inaequaliter distributi in toto mundo, ita ut quaedam dioeceses, maxime in Europa, summopere abundent sacerdotibus, in aliis vero dioecesibus maxima detur penuria sicut v. g. in America Latina, mihi videtur in bonum universae Ecclesiae evasurum si Sanctae Sedi tribuatur facultas ut possit directe intervenire in distribuendo clero per universum mundum ita ut v. g. sacerdotes sumere possit ex aliqua dioecesi bene provisa ut eos mittat in egentes dioeceses necnon in territoria missionum. Concilium fortasse posset hoc decernere in linea principii, relinquendo Sanctae Sedi modum et rationem quibus hoc in praxim reducendum sit.

6. Fortasse in bonum animarum iuvabit collatio ordinis diaconatus viris matrimonio iunctis. Aliquando enim inveniuntur viri bona praeparatione intellectuali praediti, atque etiam in doctrina catholica sat versati, nonnumquam ex-seminaristae, Actioni Catholicae aliisque apostolatus laicalis operibus dediti, qui fortasse, si diaconi evadant, incitamento erunt ipsis sacerdotibus, et operibus apostolatus saecularis suo exemplo verboque favebunt.

7. Vita contemplativa religiosarum monialium saltem nostris regionibus, multas praebet difficultatibus occasiones, quarum fortasse praecipua est defectus formationis intellectualis in doctrina catholica. Hic defectus obstat quominus moniales in vita contemplativa proficiant. Praesertim vero hic defectus nocet personalitati superiorissarum. Optandum

ut clausura minor sit forma ordinaria vitae contemplativae monialium, adeo ut aliquibus operibus vitae activae inserviant praesertim in instruendis puellis.

8. Suppressio impedimentorum matrimonialium minorum.

Eminentiae Vestrae
infimus in Domino
✠ ANGELUS M. OCAMPO BERRÍO
Episcopus Tunquensis

22

EXC.MI P. D. BONAVENTURAE JÁUREGUI
Episcopi Zipaquirensis (Zipaquirà)

Zipaquirae, 12 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Ob visitationis ad Limina recenter peractae necnon dioecesis visitationis impedimenta, quibus in praesenti praepedimur, adhuc ad humanissimas litteras, a Pont. Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico datas, referam. De quo quidem officio, mihi sane acceptissimo, debitas Eminentiae Tuae Reverendissimae habeo gratias.

Humiliter argumenta propono, et quidem per summa capita, quae, ut possibilia, in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, nempe:

1. *Argumenta dogmatica*: De extensione S. Scripturae inerrantiae ac de generibus litterariis; de sacramentorum causalitate; de gratia actuali necnon de gratiae reviviscentia; de Limbi natura; de Sacrificii Missae ratione formali; de B. M. V. universali mediatione ac regalitate; de spiritualitate cleri dioecesani.

2. *Iuridico-pastoralia argumenta*:

a) *Codificationes speciales* de re sociali; de re liturgica; de laicis et eorum collaboratione in apostolatu; de processu matrimoniali et circa mentem praecipuorum documentorum ss. Dicasteriorum; Facultates Decennales ac Quinquennales; naturam Conferentiae Episcoporum ac Religiosorum; etc.

b) *Summula quaestionum*:

a) nova delineatio relate ad cleri regularis pastoralem collaborationem in dioecesi;

b) consideratio scopi aliquorum institutorum religiosorum;

c) regulamentatio distributionis cleri inter diversas ac distinctas circumscriptiones ecclesiasticas;

d) consideratio studiorum et vitae disciplinaris Seminarii Conciliaris;

e) ad cann. 216 ac 1423 *C.I.C.*: Nova disciplina erectionis vel suppressionis paroeciae *iuxta animarum numerum,* ita *a*) ne erigantur paroeciae in quibus numerus animarum sit infimus, cum detrimento spirituali ipsius sacerdotis et possibilis collaborationis huius sacerdotis pro alia dioecesi; *b*) supprimantur vel uniantur paroeciae in quibus constitutus est parochus pro numero 100 animarum, ut accidit in hispanicis dioecesibus et aliis nationibus europeis, ex ratione antea allata. Ideoque, determinetur in nova codificatione sensus *oecumenicus* in canone 1423 *C.I.C.* contentus, ut « ob Ecclesiae necessitatem vel magnam et evidentem utilitatem » intelligatur Ecclesiae *universalis necessitas* vel utilitas, et non ecclesiae ubi paroeciae erectae sint.

d) *In re matrimoniali*: Praeter codificationem processus matrimonialis novam, impedimenti criminis (can. 1075, 1°, 1ª figura) omissio necnon impedimenti spiritualis cognationis (can. 1079), etc.

Te, interea, qua par est reverentia officiose saluto.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
Studiosissimus in Domino
✠ BONAVENTURA JÁUREGUI
Episcopus Zipaquirensis

23

REV.MI P. D. IOANNIS I. DÍAZ PLATA

Praelati nullius Bertraniae in Catatumbo
(Bertrania en el Catatumbo)

E Tibú, Bertrania, 28 augusti 1959

Eminentissime Pater,

Gratias ago Vestrae Paternitati Eminentissimae quae dignata est mihi honorem tribuere litteras 18 iunii 1959, N. 1 C/59-1510, missas, legendi et perlegendi, summo gaudio atque reverenti oboedientia Sanctissimo Patri Ioanni XXIII.

Ut Filius Sanctae Romanae Ecclesiae humiliter ac piissime plaudo Concilio Oecumenico futuro, Commissionis Antepraeparatoriae huius Con-

cilii sententiis oboedio ad verba et Vestrae Paternitatis Eminentissimae, Praeses, veneratio me movet.

Re mature perpensa, nullas invenio opiniones dignas mentione.

Deprecor una cum fidelibus mihi commissis Deum Omnipotentem et Beatissimam Virginem Mariam ut illuminare dignetur labores vestros ingentes.

Paternitati Vestrae Eminentissimae
add.mus

IOANNES I. DÍAZ PLATA, O. P.
Praelatus nullius Bertraniae in Catatumbo

24

EXC.MI P. D. IOSEPHI PAUPINI

Archiepiscopi tit. Sebastopolitani in Abasgia, Nuntii Ap. in Columbia

Bogotà, 4 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Ho l'onore di riferirmi al venerato Foglio 1 C/59-1658 del 10 luglio scorso, con cui l'Eminenza Vostra Reverendissima mi rimetteva un esemplare della Lettera Circolare inviata agli Eccellentissimi Vescovi e Prelati, circa il futuro Concilio Ecumenico.

Poichè Vostra Eminenza si compiace di chiedermi « suggerimenti e voti » che potrebbero esser tenuti presenti nei lavori di preparazione, mi permetto allegare l'unito foglio in cui, com'Ella rileverà, sono accennate alcune considerazioni, frutto anche di conversazioni avute in questi giorni.

Chino al bacio della Sacra Porpora con i sensi del più profondo ossequio mi onoro confermarmi

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
umil.mo obbl.mo dev.mo
servitore

✠ GIUSEPPE PAUPINI
Arcivescovo tit. di Sebastopoli di Abasgia
Nunzio Ap. in Colombia

« *Disciplina cleri* »

1. Sarebbe forse opportuno considerare, come si possa « giubilare », sistemandoli adeguatamente, quegli ecclesiastici che occupano « beneficia et officia », ormai incompatibili con la loro avanzata età. Spesso si assiste al doloroso fatto, che ottimi Prelati e Sacerdoti compromettono gran parte del bene compiuto per trovarsi ancora in posti di responsabilità quando le forze fisiche e la incomprensione dei moderni problemi, non permettono loro di agire in misura ed in modo efficiente. L'intensità della vita moderna logora le energie molto più rapidamente che in passato e richiede una resistenza ed agilità fisica e mentale, che manca a persone in età troppo avanzata. Sembrerebbe, quindi, vantaggioso stabilire un limite di età, in analogia con quanto avviene nelle cariche civili.

2. Converrebbe studiare la maniera di distribuire il clero tra Diocesi e Paesi che abbondano in personale, con altri che soffrono scarsità. I Vescovi, in genere, sono restii a questo principio quando si trovano in Diocesi ben fornite, che dovrebbero dare, e favorevoli quando sono in Diocesi povere di clero, che dovrebbero ricevere. Ci vorrebbe più senso di comprensione e carità. Come nell'ordine naturale, si cerca di irrigare le terre aride, facendovi affluire le acque dai territori che ne abbondano, così si dovrebbe fare qualcosa del genere nel campo spirituale, o meglio, apostolico.

3. Inoltre, in certe Diocesi ci sono molte parrocchie vicine tra loro, che contano poche centinaia di fedeli ciascuna, ed in ognuna di esse c'è un parroco con poco lavoro e che, perciò, spesso si annoia. Non si potrebbero tali parrocchie raggruppare sotto un solo o due sacerdoti, che attendano alle loro necessità spirituali? Oggi, con la facilità dei mezzi di comunicazione, è possibile ciò che in passato non lo era.

4. Spesso si sentono lamenti, da parte dei Vescovi, circa la esenzione dei religiosi e certi privilegi che godono, residuo di circostanze passate. Non sarebbe conveniente studiare questa questione?

5. Non si potrebbe organizzare l'assistenza sociale in favore del Clero (pensione, cassa-malattia, invalidità e vecchiaia)?

In quest'epoca di grandi realizzazioni sociali, la nostra categoria non gode di sufficienti benefici.

« *Disciplina populi christiani* »

6. Si è parlato molto in questi ultimi anni sulla necessità di dare ai laici cattolici maggior senso di responsabilità e di iniziativa. Molto cammino si è fatto in questo campo, ma ancora molto resta da fare,

almeno in certi paesi. Permane, purtroppo, in alcuni l'idea o presunzione che il clero debba fare tutto ed i laici eseguire ed obbedire passivamente. In tempi passati, tale mentalità poteva tollerarsi, quando vi era abbondanza di sacerdoti e di religiosi, i quali potevano occuparsi di tutti i problemi ed assumersi tutto il lavoro dell'apostolato, problemi e lavoro molto meno impegnativi di quelli dei nostri giorni.

7. Si rileva come oggigiorno la molteplicità delle organizzazioni di apostolato laico dia luogo ad una dispersione di forze, quando addirittura non crea un'inutile o nociva competizione. Sarebbe, pertanto, auspicabile la emanazione di norme canoniche e la costituzione di un centro, che regolino e coordinino queste attività.

8. In certe Diocesi sono ancora in vigore le decime: a chi « non contribuisce alle necessità della Chiesa secondo le leggi e le usanze » a volte si arriva anche a negare i sacramenti e persino il Battesimo ai bambini; ciò che costituisce un abuso ed un motivo di scandalo.

9. Si insiste troppo, mi sembra, su certe devozioni, che favoriscono più la superstizione che la fede.

10. La parrocchia, come cellula della Chiesa e della vita spirituale, è una necessità fondamentale ed in perfetta armonia con la tradizione. Considerando l'organizzazione della vita moderna, non è altrettanto nenessario di istituire canonicamente altri centri della vita e dell'attività pastorale nelle Università, nei complessi di fabbriche o di enti amministrativi ecc.?

In questo senso molto già è stato fatto e l'Autorità Ecclesiastica ha dato direttive quanto mai opportune, ma, sfortunatamente, non tutti le comprendono e le seguono. Ci sono dei Vescovi che, piuttosto di privare una parrocchia del sacerdote (quando si tratta di Diocesi con scarsità di clero) lasciano abbandonati certi settori importantissimi, come quello dei sindacati, che, privi della presenza di un buon ecclesiatico, si ispirano a principi pagani o anche anticristiani.

« *Actuositas multiplicis generis* »

11. Tenendo presenti certe rivoluzioni del pensiero e della vita sociale, che si sono verificate nel corso dei secoli, sembrerebbe opportuno che il clero mutasse alcuni atteggiamenti ed acquiescenze, che lo portano a tollerare, almeno in pratica, molti abusi. Si è ripetuto che in Francia, ad esempio, gli ecclesiastici furono assai legati alla nobiltà e che la rivoluzione fu un movimento, non solo contro la monarchia, ma anche contro gli uomini di Chiesa che l'appoggiavano. Da molti, a torto se si vuole, la Chiesa oggi è considerata come il baluardo del conservatorismo: si rende perciò necessario operare, al fine di riconquistare la fiducia delle

masse operaie e lavoratrici, insistendo, contro l'egoismo di certe classi, perchè adottino un atteggiamento più consono ai principi cristiani ed al senso sociale che la Chiesa ha sempre raccomandato.

Questo va detto specialmente di alcuni paesi, dove prevalgono ancora sistemi e mentalità feudali, dove la ricchezza è in mano di pochi, convinti forse di pensare e vivere in perfetta conformità con il Vangelo, quando ben poco fanno in favore dei non abbienti.

12. È desiderabile che il breviario sia ridotto, affinchè il sacerdote possa meglio attendere ai cresciuti bisogni spirituali del popolo.

✠ GIUSEPPE PAUPINI
Arcivescovo tit. di Sebastopoli di Abasgia
Nunzio Ap. in Colombia

25

EXC.MI P. D. BERNARDI ARANGO HENAO

Episcopi tit. Belensis, Vicarii Ap. Barrancabermejensis
(Barranca Bermeja)

Barrancabermeja, 26 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Fretus benevolentissimis litteris diei 18 iunii (Prot. N. 1 C/1725), et consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium audito, sequentia Eminentiae Vestrae candide propono quae in futuro Concilio tractari poterunt.

I. *Circa doctrinam*

1. Doctrina et definitio de Ecclesia ut Corpore Christi mystico.
2. Doctrina et definitio de universali Mariae madiatione.

II. *Circa disciplinan et vitam spiritualem*

1. Urgens videtur simplificare processus matrimoniales.
2. Redactio canonum circa confessores religiosarum et canonum de Vicariis et Praefectis Apostolicis revisenda videtur.
3. Res oeconomica paroeciarum (et etiam dioecesium) ita conformanda est, ut omnes cum maiore aequitate de beneficiis participent.
4. Index librorum prohibitorum corrigi potest ita ut simplicior et practicus evadat, praesertim pro his qui labori scientifico incumbere debent.

5. Tum Sanctum Missae Sacrificium offerri, tum Sacra Communio distribui posset quacumque diei hora, data iusta ratione pastorali.

6. Extendendus est usus linguarum vernacularum in re liturgica, praesertim in his quae ad instructionem fidelium referuntur.

7. Utrum possit diaconatus modo permanente et etiam sine caelibatus obligatione restitui?

8. Quomodo possit cultus communitarius (praesertim dominicalis) conformari cum tantum diaconi adsunt vel etiam tantum laici?

Fausta quaeque Vestrae Eminentiae exoptans humiliter salutat

✠ Bernardus Arango Henao
Episcopus tit. Belensis
Vicarius Ap. Barrancabermejensis

26

Exc.mi P. D. PETRI GRAU Y AROLA
Episcopi tit. Pellensis, Vicarii Ap. Quibduani (Quibdó)

Quibdó, 22 augusti 1959

Nihil potius nobis umquam fuit in corde et in mente quam doctrina luminosaque verba quibus Summus Pontifex noster christianum dirigit agmen in universo orbe diffusum.

Quamobrem, Tuae Eminentiae Reverendissimae litteris — die 18 iunii datis et N. 1 C/59-1852 insignitis — responsum damus omnibus annuendo super disciplinam, mores, ritus sacros, aliaque a Sanctitate Ioannis XXIII, fel. regn. reserata, praesertim cum apud Se ad Concilium Oecumenicum omnes convocat Episcopos in toto orbe terrarum degentes.

Suppressio aut uniformitas in diebus festis de praecepto cuiusque feriae in hebdomada; agatur de usu linguae latinae vel vernaculae in administratione sacrorum; in vestibus sacerdotum induendis magis opportuna norma; nec dicamus in usque nunc acceptis a populo christiano traditionibus, etc. erunt negotia fortasse, convenienter tractanda cum aliis maioris momenti in coetu universali.

Hisce nostrae fideliumque devotionis sensibus Tuae Eminentiae addictissimum me profiteor in Domino servum

✠ Petrus Grau y Arola
Episcopus tit. Pellensis
Vicarius Ap. Quibduanus

27

Exc.mi P. D. SEPTIMII E. MARI

Episcopi tit. Pachnemunitani, Vicarii Ap. Riohachaënsis (Riohacha)

Aquilae in Vestinas, die 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Cum tertium iam mensem longe sim a meo Vicariatu Apostolico Riohachaënsi (Colombia), visitationis quinquennalis « ad Limina » peragendae atque otii fruendi gratia, tardius — proh dolor! — ad meas manus pervenit Epistula quam, die 18 iunii datam e Civitate Vaticana, Eminentia Tua ad me quoque mittere dignata est, quamvis inter Praelatos « qui in Concilium Oecumenicum ex iure vocantur » minime inveniar; propter quod nunc tantummodo de eiusdem acceptione Te certiorem facere queo.

Eadem de causa, mihi non est datum cum Missionariis Vicariatus nec cum ceteris Episcopis colombianae ditionis consilia miscere circa « res et argumenta » quae in futuro Concilio utilius tractari possent; ac praeterea, attenta etiam mea conditione Praelati missionarii, nil speciale proponere valeo quod non iam in foliis editis legerim, vel non ab aliis certo sciam propositum iri. Attamen, ut Summo Pontifici nihilominus morem geram, haec breviter notanda censeo, quae mihi in mentem veniunt:

A) Quod ad doctrinam attinet, non videntur opportunae pro nunc novae definitiones dogmaticae, quae procul dubio impedimento essent peroptatae unioni cum Ecclesiis separatis (pro qua totis viribus adlaborandum est, in caritate Christi), sed potius instandum principiis contra materialismum, hedonismum et novum modernismum.

B) Disciplinae utriusque cleri severius cavendum est, ut meminerint sacerdotes et religiosi se a mundo hoc nequam segregatos esse, nec posse illius pompis sensim sine sensu indulgere. Item opportune praecavenda sunt damna quae indubitanter proveniunt ex inconsulta vel non uniformi interventione cleri in rebus politicis, salvis utique iuribus Ecclesiae.

C) Conceptum et organizatio actualis Actionis Catholicae non videntur respondere utilitati Ecclesiae in omnibus terrae locis, cum non desint aliae Associationes iam constitutae quae similiter spiritu apostolico pollent et magis a fidelibus cognoscuntur. Quapropter verius

fortasse nomine Actionis Catholicae denotari posset non aliqua Associatio particularis ac praestans, sed universitas Associationum quae legitime operibus apostolatus se dedunt.

D) Cum de Iuris Canonici reformatione agendum erit, magis prae oculis habeantur oportet peculiares necessitates Missionum, cum impossibile sit iisdem legibus gubernari ecclesias ab antiquo existentes et quae nuper conditae sunt. Nec desunt qui pro Missionibus speciale Ius petant: quod quidem nimium esse videtur.

E) Clarius necesse est definiantur relationes inter clerum saecularem (praesertim Parochos) et regularem, ut cessent tandem aliquando steriles et indecorae dissentiones. Item aliquid agendum est ut clerus melius distribuatur, attenta paucitate sacerdotum in pluribus locis.

F) Quaestiones pastorales maximi momenti sunt: Sanctificatio Festorum (quae fere ubique ad auditionem Missae reducitur); Instructio religiosa adultorum (quae iam impossibile evadit extra Missam); Lex ieiunii (quae a pluribus nihil fit, dum abstinentia adhuc magis servatur); etc.

G) « Diaconatus laicalis » quem dicunt, institutio non est utique a priori respuenda, sed non paucis difficultatibus et periculis videtur obnoxia, ideoque diutino studio subiicienda. Interea, ausim proponere ut saltem quaedam ex facultatibus quae istiusmodi Diaconis tribuendae erunt, concedantur etiam Fratribus Laicis (utique dignis et capacibus) in Religionibus clericalibus professis, qui hactenus nil pene valent agere in Ecclesia, quamvis in Missionibus perutiles sint. Et fortasse aliqua specialis et conveniens concessio fieri posset etiam ipsis Religiosis mulieribus, saltem in locis Missionum, cum in praesenti nec purificatoria abluere valeant, nisi ex privilegio...

H) Tandem, quod ad vitam liturgicam attinet, necesse est ut severius removeantur abusus qui in cultu externo, praesertim Sanctorum eorumque imaginum, notantur, quique ab inimicis Ecclesiae non immerito deridentur; ut reformatio Breviarii quamprimum ad exitum adducatur; ut definitivae dentur normae pro actuosa et fructuosa participatione fidelium sacrificio Missae, servata utique semper, meo iudicio, lingua latina pro celebrante, et data facultate etiam mulieribus sine restrictione (quae quidem restrictio habetur in Instructione *De Musica Sacra et S. Liturgia,* n. 96-a) agendi munus « Commentatoris », saltem in Missionibus; ut supprimantur tandem « Preces et Orationes » in fine Missae, quae minime cum legibus liturgicis conveniunt (« pro Ecclesia sancta Catholica » habetur quotidie « Memento » in Canone); etc.

Haec, Eminentissime Domine, pro nunc mihi dicenda visa sunt;

Tuque benigne audaciae et imperitiae meae parcere, quaeso, ne recusaveris, dum, Sacram Purpuram devotissime osculans, fausta quaeque Tibi et Commissioni cui dignissime praees a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
addictissimus

✠ SEPTIMIUS E. MARI
Episcopus tit. Pachnemunitanus
Vicarius Ap. Riohachaënsis

28

EXC.MI P. D. CAMILLI P. CROUS Y SALICHS
Episcopi tit. Cratiensis, Vicarii Ap. Sibundoyensis (Sibundoy)

Sibundoy, die 8 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Quoniam per aliquod tempus absens fui ab hoc Vicariatu Apostolico, occasione visitationis « ad limina » non antea responsionem dedi venerando documento (Prot. N. 1 C/59-1871) Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, die 18 iunii praesentis anni signato.

Futurum Oecumenicum Concilium posset — videtur mihi —:

1. Tractare in primis quae ad efformationem, vitam et disciplinam clericorum spectant, quia a clericis, et praesertim a sacerdotibus, vita christiana in populo fideli pendet.

2. Characterem supernaturalem apostolatus reaffirmare, in quo primus et principalis agens est Deus — seu gratia Dei — et apostoli — clerici seu laici — sunt tantum ministri vel instrumenta (contra naturalismum).

3. Modum procedendi cum acatholicis definire, sive quoad doctrinam sive quoad praxim.

4. Quoad Missiones, colligere ea quae in Codice Iuris Canonici et in declarationibus et dispositionibus Summorum Pontificum et S. Congregationis de Propaganda Fide continentur, ita ut completum et specificum Ius Missionale habeatur.

Interim pro felici exitu Concilii orationes fundere Deo necesse est.
Omni qua par est reverentia, Eminentiae Tuae Reverendissimae addictissimum me profiteor et devotum servum in Christo Domino.

✠ Camillus P. Crous y Salichs
Episcopus tit. Cratiensis
Vicarius Ap. Sibundoyensis

29

Exc.mi P. D. VINCENTII ROIG Y VILLALBA
Episcopi tit. Aradensis, Vicarii Ap. Valleduparensis (Valledupar)

Die 21 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Mihi gratum est hanc responsionem dare Tuae Venerabili Epistolae Prot. N. 1 C/59-1185, diei 18 iunii 1959, quam laeto animo et etiam fervido spiritu legi. Faciat Deus ut Concilium Oecumenicum sit plenum fructibus spiritualibus pro gloria Dei, exaltatione Ecclesiae et bono animarum.

Gratias ago Eminentiae Vestrae Reverendissimae pro opportunitate quam mihi dedisti eas suggerentias praesentare circa res et argumenta quae in proximo Concilio Oecumenico tractari poterunt.

Huius epistolae adnexum remitto documentum tribus foliis constans in quo apparent aliquae quaestiones quas apud Dominum cogitavimus.

Interim dum bonos affectionis sensus erga Eminentiam Vestram Reverendissimam profiteor, maneo addictus in Christo.

✠ Vincentius Roig y Villalba
Episcopus tit. Aradensis
Vicarius Ap. Valleduparensis

Desiderium: Divinum auxilium petimus ut in Matre Nostra Sancta Romana Ecclesia maneant tamquam virtutes quae dent splendorem Concilio Oecumenico: humilitas, sinceritas, spiritus paupertatis et *unitas*: seu iustitia, caritas, pax et fraternitas.

I. *De divino Officio*

Supprimatur in proprio loco et ad can. 125 anteponatur sequentibus terminis:

Can. 125 – § 1. Clerici in maioribus ordinibus constituti horas ca-

nonicas, secundum proprios et probatos libros liturgicos, quotidie et quasi publicam et officialem orationem, recitabunt, sine onere gravi circa eius adimpletionem.

§ 2. Curent locorum Ordinarii:

1) Ut clerici omnes etc.

Rationes mitigationis huius praecepti canonici quoad gravitatem moralem eius observantiae sunt:

a) Intensa et peculiaris forma actualis ministerii pastoralis frequenter privat clericos spatii temporis ad devotam officii recitationem.

b) Sic subvenietur frequentissimis anxietatibus conscientiae clericorum pio et apostolico zelo ornatorum, qui recitationem quotidie et integri Divini Officii nequeunt componere cum aliis obligationibus ministerii sacerdotalis et pastoralis.

Cf. Const. *Supernae* Leonis X, 4 maii 1914 et *Eo quamvis* Benedicti XIV, 4 maii 1745.

II. *De habitu ecclesiastico*

Can. 136 – Omnes clerici extra liturgicas functiones, habitum clericalem distinctum ab eo quo vestiuntur laici ferant, secundum legitimas consuetudines et praescripta Ordinarii loci.

Rationes:

a) Maior simplictas et facilitas agendi cum fidelibus in opere apostolatus maxime quando nostra conversatio est cum acatholicis.

b) Augmentum vocationum inter iuvenes ad vitam religiosam et sacerdotalem a qua fugiunt propter metum sese exhibendi tamquam veste feminea indutos.

Cf. can. 811, § 1; Conc. Trid. Sess. XIV, c. 6; Sixt. V, *Cum Sacrosanctum,* 5 ianuarii 1589 et *Pastoralis,* 31 ianuarii 1589; Bened. XIV, *Iust. eccl.,* 21-24-7.

III. *De reductione clericorum ad statum laicalem*

Cann. 211, 212 (supprimatur § 2 huiuis canonis), 640.

Rationes: Ut salvetur conditio infelicissima clericorum in maioribus ordinibus constitutorum et ad statum laicalem reductorum. Saltem in iis circumstantiis in quibus adsint causae quae ad dispensationem impedimentorum matrimonialium iudicarentur sufficientes.

Cf. Coronata, lib. II, § 1; Lectio I, Tit. VI, n. 298.

IV. *De vita religiosa atque de votis*

Can. 487 Status religiosus seu ... § 2. Vota publica in Ecclesia sunt: temporalia vel perpetua. Temporalia pro tempore determinato emittuntur; perpetua ad perpetuitatem vitae voventur.

Can. 574. In quolibet Ordine, etc., supprimatur « sive sollemnibus ». Haec prima temporalis professio pro aliis quattuor trienniis renovabitur ita ut nemo professionem perpetuam emittat nisi praecesserint quindecim (15) anni professionis temporalis.

Rationes: Conservatio spiritus et integritatis vitae religiosae et observantiae regularis propter facilitatem quam dat prolongatio votorum temporalium tam religioso quam religioni ut dispensetur votum et ad saeculum reddantur ii qui se impares cognoscunt ad sustinendam vitam religiosam.

Concordare oportet cann. 573-78 § 3; 580-582-585; 641-42; 647-49-653-964, § 4 etc.; Num 1 et 3, can. 642 supprimantur.

V. *De Sacramento Confirmationis*

Stricta observatio huius canonis desideratur.

Rationes: Gravis convenientia praebendi opportunitatem homini baptizato ut pervenienti ad usum rationis, fidem in baptismo receptam, confirmet et cum iubilo declaret coram populo Dei.

VI. *De Ordine*

Convenit ut tam subdiaconi quam diaconi gaudeant aliquibus facultatibus practicis ut adiumento sint pro sacerdotibus. Exempli gratia quoad lectiones, praedicationem evangelii, administrationem sacrae communionis, etc., vel actus administrativos in Paroeciis, etc.

Rationes: Penuria sacerdotum, multiplicatio catholicorum, experientia quam acquirerent tam subdiaconi quam diaconi ante sacerdotium.

✠ VINCENTIUS ROIG Y VILLALBA
Episcopus tit. Aradensis
Vicarius Ap. Valleduparensis

30

EXC.MI P. D. FRANCISCI I. BRULS

Episcopi tit. Paraetoniensis, Vicarii Ap. Villavincentiensis (Villavicencio)

Villavicentii, die 18 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Grato animo accepi Litteras,, quibus Eminentia Tua Reverendissima expostulat sententias et vota Praelatorum, qui in Concilio Oecumenico ex iure vocantur. Libenter huic desiderio pro exiguitate mea, et qua par est reverentia, satisfaciam.

1. In his regionibus Americae Latinae Ecclesia premitur paucitate sacerdotum, ita ut labor pastoralis valde difficilis sit, et populus christianus ignorantia religiosa laboret. Videtur mihi quod potissima ratio paucitatis vocationum sacerdotalium consistat in defectu spiritus sacrificii, quo multi abhorrent a coelibatu ecclesiastico.

Ad augendum numerum ministrorum Ecclesiae opportunum videtur quod instituatur Diaconatus ut status clericalis; ea nempe lege ut diaconi non necessario ascendant ad ordinem sacerdotalem.

Illi Diaconi non tenerentur lege coelibatus.

Exercere possent omnia illa munera spiritualia quae non requirunt potestatem sacerdotalem.

Sacrum ministerium exercerent praesertim in iis locis in quibus deest sacerdos, et qui longe absunt a domo paroeciali.

Tenerentur lege residentiae, et subessent vigilantiae Parochi.

Sustentarentur a fidelibus, et ubi opus fuerit, a pensione dioecesana.

2. Generatim sacerdotes exoptant ut lingua vernacula adhiberi possit in illis partibus Ritualis Romani, quae iuvare possunt ad instruendum populum christianum. Ita etiam in celebratione illius partis Missae, quae vocatur catechumenorum.

Accipere dignetur Eminentia Vestra devotos sensus quibus me profiteor

humilem et addictum servum in Domino

✠ FRANCISCUS I. BRULS
Episcopus tit. Paraetoniensis
Vicarius Ap. Villavincentiensis

31

Exc.mi P. D. AUGUSTI TRUJILLO ARANGO

Episcopi tit. Nisyriensis, Vicarii Capitularis Manizalensis

Manizales, die 1 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Gratissimum mihi est Eminentiae Vestrae Reverendissimae significare quam iucundum Summi Pontificis nuntium acceptum fuisse circa convocationem proximi Concilii Oecumenici et Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio institutionem.

Honorificum mihi est Vestrae Eminentiae communicare, omni cum libertate et magna sinceritate, aliquas animadversiones quae in futuro Concilio tractari possint.

In hoc labore conficiendo consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium usus sum — discreta quadam ratione — et argumenta quae maximi momenti mihi videntur, in hac epistola expono.

1. Convenientia institutionis diaconatus in ministerium perpetuum et independens a sacerdotio et datis circumstantiis etiam pro coniunctis in matrimonio.

2. Usus linguae uniuscuiusque regionis in administratione sacramentorum baptismi, confirmationis, extremae unctionis et matrimonii.

3. Revisio exemptionis religiosorum ita ut Ordinarii nullas habeant in regimine dioecesis difficultates.

4. Adaptatio constitutionum earum religiosarum quae adhuc vivunt iuxta mores temporis acti.

5. Ut Commissio Specialis codificationem et unificationem legum liturgicarum ritus latini quamprimum peragat.

6. Revisio et adaptatio omnium caeremoniarum Episcoporum iuxta nostrae aetatis exigentias.

7. Revisio canonis 621 § 1 eo intentu ut regulares qui ex instituto vocantur et sunt, eleemosynas in dioecesi, ubi eorum religiosa domus est instituta, quaerere ne valeant sine Ordinarii licentia. His regionibus ii regulares vocantur pauperes et sunt mendicantes divites, magno cum scandalo populi.

8. Suppressio distinctionis inter paroecias amovibiles et inamovibiles et eodem modo inter parochos ita ut Ordinarius loci — habita ratione necessitatis fidelium — praeditus sit facultate removendi omnes parochos.

9. Nova consideratio libri quinti Codicis Iuris Canonici.

10. Consideretur possibilitas facultatem tribuendi religiosis piisque mulieribus aliquo modo inserviendi Missae Sacrificio quando nullus adest vir, discreta quadam observantia.

11. Ut mulier apta et pia, iuxta novam instructionem S. Domini Nostri Pii XII, suo loco inter adsistentes possit legere quasdam partes Missae officii.

12. Revisio canonis 1262 § 2 in verbis quae sequuntur: « mulieres autem capite cooperto » in ecclesia sint.

13. Obligatio servandi in celebratione matrimonii ritum romanum in omni ecclesia ritus latini, reprobata autem qualibet consuetudine.

14. Facultas adimplendi praeceptum communionis paschalis qualibet die anni ecclesiastici.

Haec mea responsio Eminentiae Vestrae Reverendissimae mitto votis sinceris ex toto corde pro felici laboris exitu a Romano Pontifice Vestrae Eminentiae et Commissioni commissi.

Et quo par est obsequio maneo Eminentiae Vestrae Reverendissimae addictissimus in Domino

✠ AUGUSTUS TRUJILLO ARANGO
Episcopus tit. Nisyriensis
Vicarius Capitularis Manizalensis

32

EXC.MI P. D. RODULFI ZAMBRANO CAMADER

Episcopi tit. Risinitani, Auxiliaris Popayanensis

Popayán, 28 augusti 1959

Eminentissime Domine,

« Omni cum libertate et sinceritate, animadversiones, consilia et vota suggeram circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt », iuxta placitum Eminentiae Vestrae manifestatum in litteris 18 iunii 1959, N. 1 C/59-2300.

Liceat mihi igitur aliqua reverenter suggerere circa res tractandas in proximo Concilio Oecumenico, et circa actualizationem Codicis Iuris Canonici.

I. *De re dogmatica*

1. Fortasse oporteret auctoritative determinare materiam essentialem sacramenti confirmationis.

2. Definire applicationes et consequentias Doctrinae circa Corpus Mysticum, speciatim in rebus animam et membra eiusdem respicientibus: quae sint membra et in quo sensu infideles et acatholici possint ad Corpus Mysticum pertinere.

3. Definire naturam filiationis divinae quae gratia sanctificanti obtinetur.

II. *De re morali*

1. Propter nimiam propagationem praxis anticonceptionalis et propter super-incrementum populi in aliquibus regionibus, iterum atque iterum reprobare praxes illicite nativitatem regulantes et determinare methodos quae cum continentia periodica possent licite accipi in aliquibus adiunctis.

2. Definire responsabilitatem moralem eorum qui in difficillimis conditionibus oeconomicis matrimonium contrahunt eoque utuntur, etiam cum de salute precaria agitur.

3. Iterum reprobare bellum et determinare adiuncta in quibus bellum licitum evadat.

4. Determinare characterem socialem proprietatis et consequentias ipsius.

5. Determinare amplius quid intelligatur pro mercede seu salario iusto et de obligatione illud solvendi.

6. Idem determinare quid sit lucrum iustum et foenora iusta in transactionibus mercantilibus.

7. Determinare moralitatem lucri in negotiationibus seu operibus oeconomicis.

III. *De re disciplinari*

1. In aliquibus adiunctis fortasse oporteret cremationem cadaverum permittere.

2. Decernere ut in dioecesibus sint obligatoria sistemata protectionis socialis pro sacerdotibus infirmis, senibus et mediis oeconomicis orbatis.

3. Tollere a Capitulis Cathedralium functiones in administratione bonorum dioecesanorum. Si inter canonicos est aliquis peritus in rebus nummulariis, ut peritus intervenire poterit in administratione archidioecesana. Et in genere melius esset tollere Capitulo facultatem in rebus administrativis.

4. Supprimere differentiam inter terminos « de consilio » et « de consens » ad validitatem quorumdam actuum iuridicorum (can. 105).

5. Tollere differentiam inter impedimenta gradus maioris et minoris (can. 1042).

6. Tribuere Ordinario facultatem dispensandi omnia illa impedimenta, quae dispensari solent, mediantibus facultatibus quinquennalibus et decennalibus.

7. Tribuere Ordinario facultatem ad organizationem perficiendam in administratione bonorum ecclesiasticorum, etiam attributiones mutilando parochorum, rectorum, beneficiatorum et Capituli Cathedralis vel Collegiatae, cum ipsi prudens videbitur, ad augenda vectigalia vel proventus eorumdem entium.

8. Decernatur maior dependentia ab Ordinario locali Communitatum Religiosarum.

9. Non multiplicentur Communitates Religiosae quae habent eosdem fines, sed potius hae Communitates sine multiplicatione solidentur.

10. Revisionem et unificationem perficere privilegiorum Communitatum Religiosarum tam hominum quam mulierum.

11. Urgere legislationem canonicam circa readmissionem ad Communitatem Religiosam exeuntium, qui alicui dioecesi dicati sint etsi inutiles vel quorum mores Ordinarium non plene satisfaciant. Caput sequens 12 conferatur.

12. Permittere matrimonium illis ordinatis « in sacris » etiam sacerdotibus, qui caelibatum servare nequeant, praevio processu iuridico reductionis ad statum laicalem, sive reductio ad statum laicalem sit imposita ut poena, sive sit ab ipso clerico petita. Auferre etiam ab ipsis obligationem Divinum Officium recitandi. Fortasse pro illis animis miserrimis nulla alia via salvationis panditur.

13. Supprimere sollicitudines quae fiunt universo orbi pro beatificatione et canonizatione servorum Dei. Pro plerisque episcopis plerique servi Dei sunt prorsus ignoti.

14. Simplificare processum canonizationis quin imminuatur austeritas eiusdem; includere in Codice Iuris Canonici omnes normas canonizationis, id est, normas quibus canonizatio regulatur.

15. Tradere normas praecisas circa « castitatem » aspirantium ad sacerdotium.

16. Reorganizatio Curiae Dioecesanae ita ut sit Vicarius pro munere pastorali, vel Vicarius Generalis sumat functionem pastoralem potius quam functionem mere administrativam.

17. Associationes clericales fovere.

18. Statuere officium permanens catechistarum ita ut hi a paroecia sustineantur. Habeatur centrum idoneum ad catechistas praeparandos.

19. Permittere religiosis tam feminis quam viris non sacerdotibus, et membris Institutorum Saecularium « ad instar religiosorum », in regionibus dissitis viventibus, ad quas solummodo singulis hebdomadis

sacerdos accedit, permittere ut illis persona laica Sacram Communionem distribuat.

20. Statuere ut in Dicasteriis et Congregationibus Romanis repraesentatio habeatur per zonas geographicas ita ut problemata regionalia melius cognoscantur.

21. Statuere eamdem repraesentationem in Commissionibus Praeparatoriis pro Concilio Oecumenico et pro reformatione Codicis Iuris Canonici.

22. Facere expeditiorem tramitationem executionis decretorum Conferentiarum Episcopalium. Procrastinatio huius husque ad approbationem Sanctae Sedis obtinendam habet plurima incommoda.

23. Simplificare vestem clericalem.

24. Determinare aetatem discretionis pro Sacramento Confirmationis extra casum periculi mortis.

25. Supprimere impedimenta matrimonialia affinitatis, in linea collaterali, cognationis spiritualis et publicae honestatis.

26. Includere in Codice Iuris Canonici ultimas normas de processibus nullitatis matrimonii et sacrae ordinationis, necnon de processibus in casibus sollicitationis.

27. Includere in Codice Iuris Canonici declarationes factas aliquibus canonibus a Commissione Interpretum et ab aliis Congregationibus Romanis.

28. Abolere systema bannorum seu proclamationum pro matrimonio et pro subdiaconatu. Hodie revera sunt viae efficaciores. Propter mobilitatem gentium praecipue in oppidis hodie banna fiunt satis inutilia.

29. Tradere maiorem auctoritatem Ordinario vel Conferentiis Episcopalibus ut possint determinare expedientia in investigationibus praematrimonialibus singulis regionibus accommodata.

30. Tradere Ordinario maiorem auctoritatem ut liceat illis dispensare impedimenta illegitimitatis et aetatis relate ad admissionem in Seminario et relate ad ordinationem.

Idem tradere illis maiorem auctoritatem ad admissionem alumnorum qui ex aliis Seminariis vel ex Communitatibus Religiosis egrediuntur.

31. Elevare summam pro qua opus est recurrere ad Ordinarium cum consensu Capituli et summam pro qua opus est recurrere ad Sanctam Sedem ad bona ecclesiastica alienanda.

32. Tradere normas circa relationes cum sectis protestantibus, cuius proselitysmus est periculum imminens contra positiones Ecclesiae Catholicae. Scholis propriis, operibus beneficientiae, servitiis socialibus utuntur ut mediis propagationis.

IV. *De re liturgica*

1. Simplificare Breviarium Romanum.

2. Definire ritum essentialem Confirmationis.

3. Constituere sacerdotem ministrum extraordinarium Confirmationis et determinare in quibus adiunctis possit hoc Sacramentum administrare.

4. Simplificare ritum Missae Pontificalis.

5. Supprimere genuflexionem coram praelato.

6. Contrahere seu breviorem reddere partem introductionis Missae; e contra protrahere seu longiorem reddere post Communionem cum ratione actionis gratiarum.

7. Uti lingua vernacula in introductione Missae, in Offertorio, in actione gratiarum, licet in canone linguam latinam retineamus.

8. Uti lingua vernacula in administratione Sacramentorum et simplificare ritum baptismi solemnis.

9. Simplificare ritum aliquarum benedictionum liturgicarum; determinare formulam breviorem pro casibus minus solemnibus; permittere maiorem amplitudinem in ipsis ita ut « omnes » sacerdotes possint illas adimplere.

10. Determinare functiones sacramentalium potestativas minorum clericorum, et subdiaconorum et diaconorum, ut benedictiones quas possint perficere, responsoria, etc.

11. Concedere maiorem libertatem Ordinario in seligenda materia pro mantilibus liturgicis.

12. Permittere etiam maiorem libertatem Ordinario in materia determinanda pro illuminatione liturgica.

13. Tribuere sacerdotibus facultatem celebrandi quacumque hora diei vel noctis, iuxta iudicium Ordinarii.

14. Tribuere Ordinario facultatem permittendi binationem quacumque die hebdomadae.

15. Supprimere amictum, manipulum, stolam, in celebratione Sanctae Missae, in benedictionibus eucharisticis et in officiis vespertinis.

Uti stola solummodo in illis functionibus in quibus casula vel dalmatica non utimur.

Supprimere pluviale et supplere vel pro illo ponere casulam ampliorem qua in Missa utimur.

16. Concedere ut liceat uti Corporalibus cum reliquiis Sanctorum pro Petris Sacris seu Aris in illis locis in quibus sit difficile Aras consequi vel sit difficile Aras ad illa loca transferre.

17. Supprimere guttulas aquae in calice consecrando ad scrupulos vitandos in pluribus adiunctis.

18. Determinare ritum minimum pro funeribus et uniformitatem statuere.

19. Uniformitatem statuere in diebus festis de praecepto.

20. Tradere normas ad usum regulandum sacrarum imaginum in templis, ita ut multiplicatio vel duplicatio earumdem nullo modo pietati fidelium noceat.

21. Codificare seu ad Codicem reducere omnes normas et leges liturgicas.

Eminentissime Domine,

Utens libertate et sinceritate quae in litteris Eminentiae Vestrae permittuntur et consuluntur, omnes has animadversiones, omnia haec consilia et vota suggerenda iudicavi. Fortasse in aliquibus audax videar.

Dico tamen omnia haec esse meras suggerentias et pro me solummodo valere quod Sancta Mater Ecclesia tandem decernat.

Eminentiae Vestrae addictissimum me profiteor

✠ RODULFUS ZAMBRANO CAMADER
Episcopus tit. Risinitanus
Auxiliaris Popayanensis

34

REV.MI P. D. MARCELLIANI E. CANYES DE VILLAFRANCA

Praefecti Ap. Laetitiae (Leticia)

Letitiae, die 31 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Nuper ad me pervenerunt litterae Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, Prot. N. 1 C/59-1955.

Attente lectis, pro mea conditione Praelati missionarii unius ex regionibus incultioribus Columbiae, credidi me carere auctoritate exponendi Tuae Eminentiae Reverendissimae et Commissioni Antepraeparatoriae futuri Concilii Oecumenici cui praees, sententiam ullam personalem magni momenti. Attamen obtemperans tuo mandato et fisus tuae clementiae meam sententiam exponam.

Inter multiplicitatem gentium quae, ob munera fungenda vel prop-

ter negotia diversa, obiter degunt Letitiae, seu in ripis fluminum huius vastissimi territorii silvatici, apparet crudus naturalismus, ignorantia religiosa, subreptio doctrinae communistae, totius generis immoralitas, et simul (exceptis paucis casibus protestantium vel indifferentium) gloriatio nominis catholici. Haec similia procul dubio, iam proposerunt Excellentissimi Episcopi Dioecesani, ut digne tractarentur in proximo Concilio.

Audeo tibi denuntiare, Eminentia Reverendissima Episcopos dioesanos et clerum saecularem huius nationis inscios esse nimis de labore et ratione vitae missionariorum. Fortasse oporteat aliquid tractare de hoc facto aliquantulum trascendenti in apostolatu, nam mihi videtur omnino necessariam esse solidaritatem in apostolatu: et valde noxium est nostrae causae quicumque modus egoisticus videndi aut procedendi, absque ulla praeoccupatione exitus apostolatus aliorum.

Insuper in ecclesiis nimium momentum tribuitur devotionibus particularibus, in damnum liturgiae et legum liturgicarum vigentium et in iacturam ipsius Christi cultus.

In ecclesiis religiosorum exemptorum nimis facile omittitur explanatio catechismi Dominicalis pro populo intra Missam diebus dominicis non ita accidit in aliis ubi Episcopus exercet omnimodam iurisdictionem. Et mihi videtur desidia religiosorum valde influere in ignorantiam religiosam populi cristiani, nam multi sunt qui templa religiosorum frequentant diebus festivis, et aliqui precise quia celebratio Missae sic brevior evadit. E contra, dum Sacrum peragitur, recitantur preces quibus fideles attentionem avertunt a celebratione Missae. Haec pluries observavi, et mihi videntur digna attentione proximi Concilii, si forte hic modus agendi sit valde communis.

Alia res maximi momenti ad restaurandum christianismum populi catholici, secundum meam opinionem, est uniformitas ministerii sacerdotalis circa vel iuxta vitam paroecialem, coniunctim laborantibus clericis saecularibus et regularibus, subiiciendo clero saeculari cooperationem regularium, imminuendo si oporteret cultum in ecclesiis regularium, non paroecialium, et sic augendo vim et efficaciam paroeciae, praecipue in administratione sacramentorum fidelibus. Hic labor coniunctus locum tenet in Helvetia et Statibus Unitis Americae, quod ad Capuccinos spectat, sed non in latinis nationibus.

Multam utilitatem obtineret causa nostra si cathedrae universae religionis in collegiis et universitatibus, publicis et privatis, regerentur a sacerdotibus, etiam cum iactura plurium actuum divini cultus diebus non festivis: nam malum praecipuum nostris temporibus non est ignorantia religiosa plebis, sed regentium societatem.

Quod attinet ad religiosos missionibus destinatos, saepius comprobavi deficientem praeparationem ad vitam realem, quam aliqui numquam perpendunt, alii vero capiunt post multos annos imperitiae in ministerio. Utinam in reformando leges canonicas assequatur alia formatio religiosorum. Facilitas vitae in conventibus, labor non debitus nec necessarius sed omnino liber, vel etiam otiositas, et simul convictio magnitudinis et prioritatis vitae religiosae in mundo christiano, ansam praebent ad vivendum in perpetua infantia, ad leviter iudicandum de vita reali et de hominibus qui panem comparant cum sudore vultus sui, sollicitis de curis quae eos undique circumdant. Quomodo dirigent populum fidelem, si ignorant eius problemata quae conscientiam respiciunt modis diversis?

Rogo, Eminentissime Pater, dignare mihi condonare « libertatem et sinceritatem » quibus exponere ausus sum meam sententiam de aliquibus rebus forte opportunis pro Concilio Oecumenico.

Ego cum Missionariis et fidelibus mihi a Sancta Sede commissis, exitum magni Concilii quotidie Domino commendamus. Dignare tuam benedictionem impertiri nostrae Missioni et infimo Praelato Sanctae Matris Ecclesiae.

✠ MARCELLIANUS E. CANYES DE VILLAFRANCA
Praefectus Ap. Laetitiae

34

REV.MI ALOYSII F. IRIZAR SALAZAR

Praefecti Ap. Tumacoënsis (Tumaco)

Tumaci, die 12 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Ad hanc Praefecturam Apostolicam de Tumaco, in Republica Columbiana, rite pervenit epistola ab Eminentia Vestra Reverendissima die 18 iunii currentis anni data (N. 1 C/59-2002), qua rogabas me ut, omni cum libertate et sinceritate, communicare vellem Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico animadversiones, consilia et vota, quae pastoralis sollicitudo zelusque animarum mihi suggerant circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Votis Summi Pontificis Ioannis XXIII fel. regn. obsequens, pergratum mihi est significare Commissioni Pontificiae, cui tam digne Emi-

nentia Vestra praeest, aliquas suggerentias et vota quae meo iudicio visa fuerunt practica pro labore apostolico missionariorum, et Ecclesiae animarumque bono profutura; quae omnia considerationi et iudicio venerabilis Pontificiae Commissionis humiliter submitto.

En praecipua capita:

1) Abbreviatio seu reductio temporis in Missae celebratione.

Ratio, quia calor et desidia habitualis fidelium harum regionum faciunt ut fideles ab auditione Missae arceantur, existimantes actum religiosum esse nimis longum.

2) Participatio activa fidelium in sancto Missae Sacrificio.

Ratio, quia fideles nostri regulariter sensum et efficacitatem seu fructum sancti Sacrificii ignorant, unde auditio Missae pro ipsis est actus sine ulla significatione. Ideoque desiderandum foret, in quantum fieri potest, ut omnes fideles ad sanctum Sacrificium assistentes partem activam in ipso sumant, v. gr.: recitatione collectiva saltem alicuius partis Missae, etc. Hoc modo maiori cum frequentia et cum maximo fructu auditioni Missae interessent fideles.

3) Abbreviatio seu contractio rituum et caeremoniarum in administratione sacramentorum Baptismi et Extremae Unctionis

Ratio: labor immoderatus seu defatigatio missionariorum. Itemque commoditas fidelium, qui, propter elevatum numerum baptizandorum, maximo cum incommodo permanere debent in Ecclesia longo tempore.

4) Usus linguae vernaculae in administratione sacramentorum.

Ratio, quia fideles ordinario valorem et significationem eorumdem ignorant, et plurimas superstitiones habent circa sacramenta. Credo quod usus linguae patriae in administratione sacramentorum multum conferret ad intelligentiam seu significationem rituum et caeremoniarum et ad fovendum frequentem receptionem aliquorum sacramentorum.

5) Abbreviatio Officii Divini.

Ratio: excessus laboris missionariorum.

6) Regulae seu ordinationes circa translationem cadaverum fidelium in Ecclesiam, ubi funus persolvitur, ita ut ius et officium parochi levandi et comitandi cadaver et tumulandi ipsum in coemeterio consistat in receptione ad valvas Ecclesiae et, expletis in ipsa exequiis, in dimissione cadaveris in eodem loco receptionis.

Rationes: Frequenter in his regionibus fideles maximam praestantiam praebent praesentiae sacerdotis in actu levandi et comitandi cadaver ad coemeterium, et nihilominus receptionem novissimorum sacramentorum negligunt, forte existimantes quod praesentia sacerdotis his in adiunctis est signum manifestum aeternae salutis.

Ut emanatam a Sede Apostolica, fideles submisse acciperent talem

dispositionem, tamquam legem generalem pro tota Ecclesia vel pro aliqua natione in particulari.

7) Est in votis ut sacerdotes hispanici, ab « Opere Cooperationis Sacerdotalis pro America Latina » dependentes, qui ex Hispania ad Americam demigraverint, mittantur in territoria sui laboris apostolici, non seorsim seu separatim, sed cum comitatu, ita ut non vivant in regionibus remotis absque communicatione et commercio cum suis sociis.

Forsitan ista non est occasio propitia pro expositione huius puncti VII, sed nactus hanc occasionem transmitto ad Sanctam Sedem vota aliquorum sacerdotum huius associationis, quibus libenter hoc servitium praebeo.

Interim Deum O. M. precor ut Eminentiae Vestrae et venerabili Pontificiae Commissioni caelestia dona largiatur atque maneo.

Tibi humilis servus et obsequentissimus filius
Aloysius F. Irizar Salazar
Praefectus Ap. Tumacoënsis

35

Rev.mi P. D. AEMILIANI PIED
Praefecti Ap. de Vichada (Vichada)

Puerto Carreño, die 30 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Perhonorabilis communicatio Vestra ad manus meas pervenit die 26 septembris.

Miror quod etiam simplex Praefectus Apostolicus ad Concilium Oecumenicum vocetur.

Ad maiorem Dei gloriam et fidelium utilitatem perutile mihi videtur promovere « actualizationem » doctrinae ecclesiasticae circa Missae Sacrificium uti centrum vitae christianae et sacramentum unitatis. Sicut ordo civitatis in platearum et viarum ordinatione omni pulchritudinis et rationis fundamento careret si non fuisset ad Domum Dei directus uti ad centrum civitatis, sic vita christiana omni pulchritudine et ordine caret nisi ad Sacrificium Missae dirigatur.

Sacrificium Missae in nomine totius Ecclesiae offertur, id est: non solum in nomine sacerdotis celebrantis et fidelium assistentium sed et in nomine omnium Mystici Corporis membrorum; sic, ego qui hispanica

vel guahiva lingua privatim utor, lingua societatis nostrae christianae in celebratione Missae uti debeo nam et in nomine cuiusvis membri « Ecclesiae Silentii » cuius vernaculas linguas ignoro, quotidie Missam offero.

Attamen mihi videtur non pauca in rubricis mutanda esse ad faciliorem reddendam fidelium assistentium activam participationem in oblatione Sancti Sacrificii; sequentem mutationem in rubricis Canonis Missae laetus acciperem: « Discooperit calicem, genuflectit, accipit hostiam inter pollicem et indicem manus dextrae, et elevans calicem cum hostia, alta voce dicit: *Per Ipsum et cum Ipso et in Ipso* et altiori ac altiori voce prosequitur: *Est tibi Deo Patri Omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum* et omnes acclamant *Amen.* Deponit calicem et hostiam, palla cooperit, genuflectit, surgit et dicit intelligibili voce vel cantat: *Oremus*: ... ».

Orationibus suis et missionariorum et fidelium omnium Concilii fructiferum exitum peramanter implorabit addictissimus et humillimus filius in Iesu et Maria.

AEMILIANUS PIED
Praefectus Ap. de Vichada

GUAIANA

1

EXC.MI P. D. ALFREDI MARIE

Episcopi Caiennensis (Cayenne)

25 octobre 1959

Eminence,

Nous sommes bien en retard à répondre à votre lettre de juin dernier et nous Vous prions de nous en excuser.

Nous avons demandé l'avis de l'un et l'autre de nos prêtres dans nos Missions de l'intérieur; et leurs réponses ont tardé quelque peu.

Voici, en vue du Concile Œcuménique, les quelques suggestions que très humblement, nous nous permettons de formuler.

1. Autoriser plus largement l'emploi de la langue vulgaire au cours des offices:

a) après les chants latins du propre ou du commun ou entre ces chants,

b) aux saluts du Très Saint Sacrement,

c) aux processions, particulièrement celle de la Fête-Dieu,

— et cela pour une meilleure compréhension par le peuple des prières de l'Eglise,

— pour éviter aussi que trop de latin incompréhensible pour nos noirs et primitifs, ne les incline vers les sectes protestantes.

2. Continuer et même accentuer la tendance adoptée par les derniers Papes, en rendant plus catholique le Gouvernement de l'Eglise.

Dans la mesure du possible, des-italianiser le Vatican.

3. Tendre à une meilleure répartition des forces catholiques: religieux, religieuses, clergé.

4. Terminer la réforme du bréviaire.

Autoriser l'impression des réformes arrêtées.

5. Tendre à l'unification des différentes Congrégations ou Instituts, tant d'hommes que de femmes, surtout parmi les sociétés qui ont le même but et dont le recrutement s'avère difficile.

En vue du Concile, Eminence, nous Vous assurons de nos prières et des prières de tous nos chrétiens.

Et Deus

✠ ALFRED MARIE
Evêque de Cayenne

2

Exc.mi P. D. RICHARDI LESTER GUILLY
Episcopi Georgiopolitani (Georgetown)

18 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Grato animo accepi Epistolam N. 1 C/59-537 die 18 iunii ab Eminentia Sua datam.

Quaestiones quas humiliter submitto pro consideratione Concilii Oecumenici sunt:

Quaestiones Theologicae:

De Essentia Sacrificii Missae.
De Corpore mystico Christi.

Quaestio Sociologica:

De relatione stipendii familialis et allocationarum familiarum (Anglice: the relation of the family living wage and family allowances) Hac de re, Episcopi in Australia in epistola pastorali scripserunt.

Quaestiones Liturgicae:

De difficultate ex eo quod non habetur nisi unum actum liturgicum die Feria VI in Parasceve, licet ecclesia impleatur fortasse quinquies quaque die dominica.

De pleniore activitate Fidelium fovenda in liturgia.

Num, data pleniore devotione Fidelium Sacrificio Missae, obligatio recitandi Coronam B. V. M. tempore Missae in ecclesiis mense octobris (ubi non recitatur coram SS. exposito) mutari possit.

Quaestiones practicae:

Num obligatio emittendi iusiurandum contra Modernismum certis occasionibus nunc tuto subtrahi possit.

Solutiones problematis ex inaequalitate e. g. paroeciarum ditiorum et paroeciarum pauperiorum.

✠ Richardus Lester Guilly
Episcopus Georgiopolitanus

3

EXC.MI P. D. STEPHANI KUIJPERS
Episcopi Paramariboënsis (Paramaribo)

Paramaribo, die 6 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Doleo quod me absente ex Missione per septem menses anno praeterito nulla responsio ad epistolam Eminentiae Tuae diei 18 iunii anni 1959 data fuit.

Dein litterae d. d. 21 martii 1960 ad me pervenerunt. Omni festinatione propero etiam nunc expectationi satisfacere, vota in futuro Concilio Oecumenico tractatura mittendo.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam prosequor meque confiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum servum in Christo
✠ STEPHANUS KUIJPERS
Episcopus Paramariboënsis

1. Ut Cultus Divinus fidelibus proprior atque planior evadat, ut doctrinam et cibum animis plus afferat, ex eo quod celebrationi Missae actuosius inseruntur, permittatur:

usus linguae vernaculae in omnibus partibus Missae lectae, in quibus celebrans fideles adstantes appellat ut eos instruat, alloquatur vel salutat, et in quibus ex textu vel habitu ponitur a parte fidelium abstantium responsum dari.

2. Cantus Missae et lectiones, quae a ministris sacris vel a choro vel a populo absolvuntur, a sacerdote celebrante non amplius iterentur.

3. Permittatur, ut in Missa Paroeciali Dominicae ea pars Missae, quae dicitur Ministerium Verbi, perficiatur apud sedilia, ita ut celebrans accedat ad altare tantum ante Offertorium, eodem modo quo in Missa Pontificali Solemni fit. Exinde ambae partes principales Missae, Ministerium Verbi et Ministerium Eucharistiae, clare et insignite distinguerentur.

4. Permittatur ut Benedictiones ad utilitatem fidelium vel catechumenorum destinatae, lingua vernacula fiant; textu latino in libris addito.

5. Administratio Sacramenti Confirmationis talis sit ut fideles, praesertim ipsi pueri confirmandi melius perspiciant ingens momentum huius Sacramenti.

✠ STEPHANUS KUIJPERS
Episcopus Paramariboënsis

PARAGUAY

1

EXC.MI P. D. IOANNIS I. H. MENA PORTA
Archiepiscopi St. Assumptionis (Asunción)

Asunción, 15 augusti 1959

Littera Prot. N. 1 C/59-159, Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico accepta diei 18 iunii 1959, convocatis Parochis principalioribus, Vicariis Foraneis, Rectore Seminarii Metropolitani, Directore Operis Vocationis Ecclesiasticae, Vice-Adsistente Nationale Actionis Catholicae, Superioribus Religiosis, Secretario Curiae, Officiali Curiae et Auxiliari meo, iisque auditis, animo reverente propono studio futuri Concilii Oecumenici:

1. Theologia Oecumenismi: quod vinculum reale existit inter Ecclesiam et ecclesias separatas; quae habitudo, quae politica pastoralis uniformis consilianda.

2. Theologia Ecclesiarum Particularium: lineamenta theologica Dioecesis et Parochiae.

3. Missio laicorum in mundo et in Ecclesia.

4. Theologia Pastoralis.

5. Theologia Missionis.

6. Aspectus pastoralis Magisterii: praecipua instrumenta transmissionis Verbi Dei: Praedicatio, Catechesis.

7. Qualificatio theologica ideologiarum hodiernarum.

8. Usus habitus talaris: utrum conveniens sit an non, ratione pastorali.

9. Distributio tam Cleri quam bonorum temporalium ecclesiasticorum in orbe terrarum. Sunt enim Dioeceses qui abundant Clero bonisque temporalibus dum alibi non desunt Dioeceses egentes.

10. Optanda est maior utilizatio mediorum technicorum propagationis Christianismi. Hinc, proponitur studium rationis organizativae et oeconomicae.

11. Desideratur maior utilitas pastoralis sacerdotum qui professores sunt Collegiorum. Multi populi multique christifideles carent pastoribus dum in Collegiis docent Apostoli etiam materias quas laici docere possunt.

12. Desideranda est restitutio Diaconatus fere sicut in antiquitate, i. e. pro iis qui ad Presbyteratum non perventuri sunt.

13. Exoptanda est maior unitas actionis inter Clerum saecularem atque regularem in servitio animarum sub Episcopi directione.

14. Spectatis natura ac finalitate sacramenti Confirmationis, desiderandum est statuatur receptio ipsius non ante pubertatem. Mos e contra passim pervadit confirmandi tenerissima in aetate.

15. Exoptatur usus linguae vulgaris, intelligibilis, in liturgia saltem in iis partibus magis pastoralibus, in iis, nempe, partibus in quibus se refert populo vel subiecto administrationis. In primaeva Ecclesiae liturgia verbis intelligibilibus utebatur.

Quae cum ita sint, censeo respondere voluntati Santae Sedis cui toto ex corde subiectus sum. Adprecor Deum pro futuro Concilio Oecumenico et Eminentiae tuae desidero omnia fausta, interim laetantissime specto Concilium totius Ecclesiae Dei.

✠ IOANNES I. H. MENA PORTA
Archiepiscopus St. Assumptionis

2

EX.MI P. D. AEMILII SOSA GAONA

Episcopi Ss.mae Conceptionis in Paraguay (Conceptión en Paraguay)

2 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Commissio Antepraeparatoria, cui Tua Eminentia praeest (Prot. 1 C/59-393), opiniones, sententias et vota Exc.morum Episcoporum cognoscere desiderat, et libenter sincereque opiniones meas ostendam: lingua vernacula in administratione sacramentorum, frequentius quantum fieri potest, utatur; adaptatio seu conformatio, hisce temporibus, Codicis Iuris Canonici consideranda est; forsan necessaria est habiti ecclesiastici reformatio; et oves errantes ad unum ovile adduci, necesse est.

Sensus animi profiteor Eminentiae Tuae, et quaeque fausta Domino adprecor

✠ AEMILIUS SOSA GAONA
Episcopus Ss.mae Conceptionis in Paraguay

3

EXC.MI P. D. RAIMUNDI BOGARÍN ARGAÑA

Episcopi S. Ioannis Baptistae a Missionibus
(San Juan de las Misiones)

San Juan Bautista, 31 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Cum litteras acceperim Communicationis N. 1 C/59-1190 per quas Eminentia Vestra a me petere suggestiones voluerat pro praeparatione futuri Concilii Oecumenici, quod tam auspicato a Summo Pontifice Ioanne XXIII, feliciter regnante, annuntiatum est, eas nunc manibus vestris humiliter praebere mihi pergratum est.

Eminentiae Vestrae Rev.mae me profiteor addictissimum in Christo

✠ RAIMUNDUS BOGARÍN ARGAÑA
Episcopus S.ti Ioannis Baptistae a Missionibus

Unum ex operibus quae Concilium, mea modesta opinione, aggredi poterit, esset perficere maiori cum claritate consequentias asceticas doctrinae Mystici Corporis Christi in vita Ecclesiae; etenim:

A) *In Ecclesia Universali*

1. Problemata quae exstant ob deficientem coordinationem inter Clericorum Dioecesanorum et Regularium vires.

2. Multiplices normae non semper rite compositae a Sacris Congregationibus Romanis necnon ab Operibus Pontificiis editae.

3. Normae ac suggestiones originem trahentes e societatibus internationalibus catholicis a Sancta Sede approbatis et benedictis quarum et continuo crescit numerus et nonnullarum proposita aliquoties superposita inveniuntur.

4. Concordes relationes quas Sancta Sedes conservare tenetur per eius Nuntiaturas erga Moderatores Nationum, praesertim quum iidem sint totalitarii, dictatoriales vel tyrannici, vere torporem non raro inducunt, licet non ad doctrinam certe ad praxim, rectioni quam Episcopi exercere debent in sua Dioecesi. Talia rerum adiuncta, quae infauste non raro eveniunt, apud fideles gravia scandala et detrimenta in his partibus attulerunt verae utilitati Ecclesiae.

Dedecus atque etiam odium populi adversus legitimos pastores con-

citata ob habitum permanentem cautionis seu « prudentiae » quem ab eis Nuntii, existimantes se hac in re veluti quaestores esse iure excludendi praeditos, postulant sub titulo propugnandi harmoniam relationum inter Ecclesiam et potestatem civilem, quae pro viribus servanda censetur sub speciosa ratione obtinendi pro subsidio Ecclesiae quaedam benefica dona.

B) *In Ecclesia Dioecesana*

1. Problemata quae rectioni Dioecesis secumfert interpretatio errore imbuta atque iam diu accepta apud Religiosos et Religiosas de eorum iure exemptionis.

2. His in Dioecesibus quae magnopere carent Clericis, curam animarum plurium paroeciarum Episcopus committere tenetur Religiosis qui officia paroecialia in ordine Pastoralis Dioecesanae nequeunt plene exsequere ob eorum idiosyncrasiam, videlicet: *a*) vi institutionis religiosae spiritu afflatae peculiari uniuscuiusque propriae Congregationis vel Ordinis flecti saepe videntur ut defigant talem spiritum in mente populi christiani; *b*) fideles sibi commissos frequenter habent subditos potius, per eos, attinentium suorum Superiorum Religiosorum; *c*) neque institutionem adepti sunt ad curam directam animarum neque vero ad agnoscendum Episcopum tanquam immediatum superiorem in hoc officio canonico, quod iis plerumque confertur ad tempus; *d*) brevitas denique temporis quo eis praeesse paroeciis compedit (can. 454, § 5), praesertim si spiritu apostolico afflati vacare conantur animabus iuxta Pastoralem Dioecesanam pro viribus amplexam.

3. Atomizatio qua vires Dioecesis patiuntur propter defectum maioris compactionis et virium paroecialium in vita dioecesana et virium dioecesanarum in vita Ecclesiae Universalis. Itemque ob defectum congruentis ordinationis actionum quas praeseferunt institutiones ac societates catholicae quae sunt de ordine dioecesano.

4. Structura consueta compositionis Curiarum impar nunc videtur postulatibus Pastoralis hodiernae.

5. Pauca oneris apostolici quae realiter laicis consociatis imponuntur in pluribus Ecclesiis Dioecesanis. (Doctrina Mystici Corporis, Missio quae vi huius doctrinae Laicatui competit, possibilitas missionis canonicae, sunt iam in thesi generatim acceptae sed nondum exsecutioni plene traditae. Adhuc timores ac praeiudicia superanda supersunt. Ecclesia in his regionibus etiam nunc laborat quodam valido clericalismo).

C) *In Ecclesia paroeciali*

Vita religiosa adhuc est plane individualis. Societates etiam traditione imbutae retinent huiusmodi characterem. Conamina ad assequendam vitam verae Communitatis christianae etiamsi magnifica certe nonnisi interclusa reperiuntur. Substant huic generi vitae et praedicatio non recto sensu prolata, et neglectio in praxi praecipui mandatorum Dei: Caritatis, et magna multiplicatio piorum exercitiorum, « devociones » ut aiunt, fere omnia volentes mundum salvum facere, quae patrocinio paroeciarum utuntur, et tandem cultus qui illegitime olim Sanctis tributus fuerat et cuius sequela nostris quoque temporibus nondum deleta est. Itaque haec omnia facta difficillime faciunt reditum ad religionem erga Patrem Caelestem per Iesum Christum.

Missa paroecialis in diebus festorum non recuperavit locum suum privilegii ac multo minus conscia receptio sacramentorum.

Affectus religiosus satis nutritur actibus mere externis et nonnumquam superstitiosis vel etiam feticistis sub paroeciarum tolerantia vi tantum diuturnae exercitationis accepta.

Moralis christiana in praxi circumscripta est ad arctos limites VI et IX mandatorum, quae nec quidem plane servantur. In talibus rerum adiunctis, paroeciae enervatae spiritu evangelico vitaque christiana, nihil prodesse valet inanis cumulus normarum ac praescriptionum crebro negativarum a variis auctoritatibus ecclesiasticis editarum cum praesumpto fine ad illam disciplinae subiicendam, et quibus non semel tribuitur in re aequale vel maius nomentum quam eidem praecepto caritatis.

Inops vita oeconomica paroeciarum et parocorum, facile illis plerumque et cogit ostiatim mendicare quoniam vix sumptibus cultui necessariis providere queunt, et adimit ab eis potestatem subveniendi studiose atque efficaciter pauperibus; parocos vicissim, cuius modus vivendi sunt taxationes arancellariae, constituit veluti « professionales » religionis.

Ingens ignorantia religiosa invadens omnes classes sociales fidelium, quibus formulae dogmaticae catechismi consueti quas fortasse apud catechistas in infantia edidicerunt, problema obicit quod, rebus ut nunc stantibus, caret solutione, maxime ob paucissimum numerum sacerdotum, qui et consulere insuper tenentur multiplicibus oneribus omnis generis quae Ecclesia curare debet ad novas atque progredientes necessitates mundi hodierni.

Lamentabilis absentia apud fideles sollicitudinis legendi Sacras Scripturas — mos infauste obsoletus proximis his saeculis — secumfert catholicorum in his regionibus quamdam inanitatem ac frigiditatem quas

diversae sectae protestanticae replere obtinent illis tantummodo appositis huiusmodi fontibus revelationis.

Ex hac brevi recensione factorum deprehenditur, ad meum summissum sensum, quod Concilium quaerere debet ut:

A) *In ordine doctrinae*

1. Arctius perficiatur dogma Ecclesiae Catholicae eiusque supremae consequentiae asceticae attingentes et Ecclesiam Universalem, et Ecclesiam Dioecesanam, et, si fieri potest, Ecclesiam paroecialem.

2. Arctius perficiantur et theologia Pastoralis et theologia Missionis, ea etiam quae est laicorum.

3. Dictentur normae et directiones ad congruentem recompaginationem Pastoralis magisterii ope iam praedicationis iam catechesis exsecuti.

B) *In ordine iuridico*

1. Quaeratur modus ad conficiendam novam structuram Sacrarum Congregationum Romanarum et Officiorum, ita ut eorum proposita ac facultates clare atque distincte discriminentur pro tot tantisque sollicitudinibus quae hodie opprimunt Ecclesiam. Item de iis quae ad Nuntiaturas spectant.

2. Totalis nova compages Codicis Iuris Canonici, ita ut et simplex, ad summum quod fieri potest, et perlucidus redatur. Desideratum quod ceterum perfecte assequi poterit esset;

a) Ut adimpleantur in Codice ea quae desunt et supprimantur ex eo quae nimia et supervacanea pro Ecclesia censentur.

b) Congruentiori modo ordinentur actiones apostolicae Ordinum et Congregationum Religiosarum, tam virorum quam mulierum, cum actionibus Clericorum qui in exsequendis oneribus pastoralibus operantur sub mandato Sanctae Sedis et Ordinariorum loci.

c) Curetur etiam totis viribus ne Ecclesia incidat in morbum quo infauste patiuntur nationes hodiernae: burocraciam, quae scripta inaniter evolvens onere premit atque etiam subvertit pretiosas vires vitales.

d) Privilegia quibus nunc potiuntur Congregationes Religiosae Missionariae, Societates et Piae Uniones, et quae deservire queunt Pastorali agiliori, sint de iure communi pro utroque Clero ferenti onera pastoralia, saltem in locis difficillibus.

e) Reformetur structura Curiarum Dioecesanarum ita ut polleant organizatione consentanea cum necessitatibus praesentibus Ecclesiae et Pastoralis actuosioris atque efficacioris. Item pro hac restructuratione in-

troducantur in regimine paroeciarum mutationes quae necessariae videntur.

f) Paucis absolvantur praerequisita ad matrimonia contrahenda, saltem eorum quae inter personas satis notas paroeciae celebranda sint. In his latissimis regionibus, orbis sacerdotibus, necessaria esset potius applicatio quasi ordinaria can. 1098. Canon hic qui, in praxi, a fidelibus ignotus, in his locis hucusque non applicatur. Si fideles erudirentur hac forma contrahendi matrimonium, ceterum a iure praevisa, eius simplicitas maxime contraponeretur cumulo requisitorum nunc vigentium pro celebratione secundum formam consuetam.

Nonne solutio iuridica accommodata ad validitatem matrimoniorum civilium contractorum inter catholicos inscios ac negligentes suorum officiorum, inveniri non potest? Haec matrimonia multis in casibus constituunt inconsciam exsecutionem canonis 1098 sub potestate legis civilis.

C) *In ordine liturgico*

1. Possibilis fiat maior participatio conscia totius Mystici Corporis in diversis actibus cultus liturgici Ecclesiae. Quodcirca, liceat iure communi usus linguae vernaculae in talibus actibus, necnon in administratione quorumdam Sacramentorum, saltem ad partes eorum pastorales magis spectantes.

2) Abbrevientur Missae solemnes, praecipue pontificales, ad ea quae rubricas spectant et quorum nonnulla dissona hodie videntur idiosyncrasiae populorum. Forsitan opportunum iam sit ut in Missa introducantur eae congruae emendationes quas studiosi Liturgiae suadent.

3. Brevior reddatur ritus baptismi tam parvulorum quam adultorum. In his regionibus nationum catholicarum ubi populus, multiplicibus de causis, cecidit sub imperio ignorantiae talis ut ne veritates quidem de necessitate medii agnoscat, et ubi de puero dici non potest quod catholicae eius educationi cautum sit (can. 750, § 2): an liceat adhuc tuta conscientia ad normam canonis 770 baptizare pueros, quorum et parentes et propinqui ac patrini possibiles laborant praedicta ignorantia?

4. Sacramentum Confirmationis solemniter conferatur in aetate pubertatis et post convenientem ad hoc instructionem religiosam, distinctam ab illa quae pro prima communione impertiri solet.

5. Utatur summa simplicitate quam suggerunt scholae liturgicae nostris temporibus ut statuantur novae normae de rebus liturgicis et coarctentur ad essentialia paramenta, utensilia et cetera quae in templis pro cultu adhibentur. Rebus ut nunc stantibus, ad extruendum templum paroeciale vel oratorium publicum, inseparabile Communitati

ad cultum, necessarii sunt ingentes sumptus pecuniae qui non semper praesto sunt manibus paroeciae. Ex quo accidit ut pro unoquoque templorum vel oratoriorum catholicorum, quaedam sectae protestanticae, pauciores adeptos habentes, bina vel terna loca erigere valeant cultui suorum destinata.

6. Simplificatio et revisio Officii Divini studio subiiciantur saltem pro uso Cleri oneribus pastoralibus gravati, et onus conscientiae, si retinendum est, imponatur non ratione recitationis integrae Officii diei, sed ratione definiti temporis recitationi destinati, facultate tradita sacerdoti eodem tempore aut integrum Officium recitandi aut partem tantum eiusdem prosecutam quadam constantiori meditatione. Demum, si hic liceret, suggerere quidem auderem ut 150 psalmi sint ita ordinati ut 28 diebus absolvatur eorum recitatio. Nonne iam opportunum esset ut calendarium actuale, saltem pro uso liturgico, illo alio substituatur quod excogitatum est ad stabilienda festa mobilia?

7. In Sacramento Ordinis Sacri, praeter sacerdotium, diaconatus conferatur iis qui nolunt accipere sacerdotium, quique fungantur officiis ad quae talis ordo fuerat institutus a Collegio Apostolico et ceteris quae Ecclesia eisdem vellet committere.

Item de ordinibus minoribus.

8. Usus habitus talaris (sotana) *vere reservetur exclusive* iis qui adepti sunt conditionem clericorum per acceptionem tonsurae. Haec conditio clerici *tantummodo* conferatur iis qui intendunt ad sacerdotium vel diaconatum pervenire. Praeterea, usus habitus talaris a clericis (tonsuratis, diaconis, sacerdotibus) reservetur ad *actus stricte ministeriales.*

9. Perspiciatur modus simplificandi ut summum quod fas est, indumenta praelaticia et episcopalia, et statuantur hac in re normae quae auferant omnem speciem sumptuositatis.

10. Forma propitietur restaurandi in Ecclesia Universali conceptum praecepti decimae qua sumptus solvatur in ordine oeconomico pro multiplicibus operibus et substituatur taxa arancellaria ecclesiastica quae innumera damma ac detrimenta attulit Communitati christianae, praeter eius insufficientiam experientia cognitam ad cultus et Cleri huiusque paecipue opera sustentanda.

✠ RAIMUNDUS BOGARÍN ARGAÑA
Episcopus S. Ioannis Baptistae a Missionibus

4

EXC.MI P. D. AUGUSTINI RODRÍGUEZ

Episcopi Villaricensis (Villarica)

Villarrica, 25 augusti 1959

Eminentissime Praeses,

Laetus sum Litteris respondendi Eminentiae V. Rev.mae respectu Concilii Oecumenici a Sanctissimo Nostro Ioanni indicti

Certissime augustus conventus cum Capite nostro Papa nonnisi uberrimos fructus Sanctae Ecclesiae importabit.

Eminentissime Praeses: Humiliter sequentes suggestiones mihi veniunt proponendae:

1. Studiorum cursum Seminaristarum abbreviare in ordine ad sacrum presbyteratum, vel alia excogitare media ut, aliqui ex selectis viris ad servitia ministerialia assumantur, causa penuriae sacerdotum et multiplicitatis laborum sacerdotalium.

2. Pro similibus causis, oportet simplificare et abbreviare officium divinum.

3. Augere oportet facultates ordinarias Ordinariorum.

Eminentiae Vestrae
addictissimus in Domino

✠ AUGUSTUS RODRÍGUEZ
Episcopus Villaricensis

5

REV.MI P. D. IOANNIS WIESEN

Praelati nullius SS. Incarnationis et Paranensis Superioris (Encarnación y Alto Paraná)

E Civitate Encarnación, 22 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Grato animo recepi litteras quibus Eminentia Vestra me certiorem fecit de institutione Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico. Cum aliquibus sacerdotibus dignis deliberavi et sequentia nobis consideratione digna esse videntur:

1. Propter defectum sacerdotum, propter extensionem paroeciarum et etiam propter paupertatem attentio spiritualis fidelium magna ex parte minima est.

Putant sacerdotes utilem esse renovationem status diaconatus simili modo sicut in Ecclesia primitiva. Tales diaconi possent ex parte supplere sacerdotem, e. g. possent instruere fideles, baptizare infantulos, assistere matrimoniis (numerus infantium illegitimorum superat numerum eorum qui in christiano matrimonio nati sunt).

2. Multi catholici vivunt dispersi in silvis et campis et raro per annum habent occasionem assistendi sacrificio Missae. Optandum est ut Ordinarius loci habeat ampliores facultates permittendi iterationem Missae diebus etiam hebdomadis in bonum spirituale fidelium.

Eminentiae Vestrae humilis et addictissimus servus

IOANNES WIESEN
Praelatus Nullius Ss. Incarnationis
et Paranensis Superioris

6

EXC.MI P. D. IULII LASCHI GONZALES
Episcopi tit. Abydeni, Auxiliaris Ss.mae Conceptionis in Paraguay

31 iulii 1959

Eminentisime Domine,

Gratissimum mihi est Eminentiae Tuae Reverendissimae nuntiare benignissimam Tuam Epistulam (Prot. N. 1 C/59-2109) ex ista alma Civitate Vaticana die 18 iunii currentis anni missam magno cum gaudio atque grato animo accepisse, sed tantummodo hac die 31 iulii, in festivitate Sancti Ignatii de Loyola.

Augusto desiderio Sanctissimi Patris Nostri Papae Ioannis XXIII, quem Deus multis annis amori et venerationi nostrae servet, libentissime obsequenterque obtemperans, mihi visum est has observationes facere ut forte quandam utilitatem possint afferre pro proximi Concilii Oecumenici argumentis apparandis:

1. Sanctus Pius X feliciter letali errori modernistico mortem dedit; personaliter tamen teneo hodie apud Clerum, in quantum mihi comperire fas est, sub specioso pretextu pastoralis officii evolutionis, practice modernisticam quamdam conceptionem reviviscere.

Exinde, illa nimia libertas in dicendo et agendo; ille despectus erga venerabiles Christifidelium ac Cleri salutarium traditionum necnon christianae urbanitatis normas; illa praesulibus oboedientiae ac obsequentiae

debitarum relaxatio, non tantum ex parte sacerdotum sed, quod valde mirum est, ex ipso seminaristarum coetu, infauste oriuntur.

2. Culpabilis oblitteratio ac negligentia vitae atque disciplinae liturgicae.

3. Notabilis et valde lamentabilis absentia caritatis in mutuis relationibus clericorum necnon inter Episcopum et Clerum, praesertim vero inter Clerum et Episcopum, et consequenter, insidiosus et maleficus ille invidiae ac hypocrisis virus, qui quocumque reptet omnia corrumpit. Nulla fidei defectio fortunate deploranda est sed multum caritatis dulce imperium desideratur.

4. Potestas atque dignitas Episcopalis in his novissimis temporibus ex lamentabili decisione laborat apud nos.

Maioris disciplinae in clero ac populo necnon exercitii magis paternalis simul ac solliciti potestatis Episcopalis egemus.

Mihi videtur necessarium esse paternitatis episcopalis in utroque clero ac in christiano grege notionem adhuc magis ac magis elucescere ad bonum communitatis ut ita possibile fiat « efformatio mundi novi seu melioris » ad P. Lombardi mentem. Sub hoc respectu, quoddam clericorum interdioecesanum coetum constitutum est, vulgo « equipo », quod auctoritatem episcopalem aliquatenus minuere proclive est.

5. Item oportet maiorem adhaesionem ad Sacram Petri Cathedram fovere ut Summi Pontificatus ac ut Episcopalem dignitatem melius agnoscamus et enixe propugnemus.

6. Iuventus generatim religionis exercitio penitus orbata in pravos mores prolabitur ac prorsus a mystica christiana iacet destituta.

Praecipuae huius flagelli causae « laicismus scholaris », ut aiunt, cum sua logica sequela, vita laica, necnon Actionis Catholicae deficiens constitutio sunt.

7. Addatur quod etiam regalismi reliquiae aliquantulum apud nos supervivunt, quae non paucas sacro ministerio difficultates creant.

8. Postremo, formatio ascetica seminaristarum hodie generatim cleri dioecesani curae concredita, praesertim Humanitatum alumnorum, multum magis solidior esse debet.

Interim, iterum atque iterum Eminentiae Tuae Reverendissimae enixas gratias pro tanta humanitate reddens ac Sacram Purpuram Romanam peramanter deosculans, Eminentiae Tuae Reverendissimae addictissimum servum in Christo Domino me profiteor

✠ IULIUS LASCHI GONZALES
Episcopus tit. Abydenus
Auxiliaris Ss.mae Conceptionis in Paraguay

PERUVIA

1

EXC.MI P. D. LEONARDI I. RODRIGUEZ BALLÓN
Archiepiscopi Arequipensis (Arequipa)

14 novembris 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est responsum praebere Prot. N. 1 C/59-144 Eminentiae Tuae Rev.mae, quo Augustus Pontifex desiderat opiniones et sententias necnon consilia et vota colligere pro futuro Concilio Oecumenico.

Praeprimis in animo habeo Eminentiae Tuae Rev.mae notum facere quanto cum gaudio haec archidioecesis susceperit Concilii nuntium.

Mense maio, annuentes Sanctissimi Papae Nostri Ioannis XXIII fel. regn. votis, fideles hortati sumus ut in coelum preces fervidas sublevent, Virgine Beatissima interveniente, pro huius rei quam auspicatissimo successu.

Funditus grates rependo Eminentiae Tuae Rev.mae quod meam eamque humilem quidem sententiam expostulaveris in tanti momenti negotio.

En quae suggerenda digna putavi:

1. Ut habitus clericalis accommodetur actualibus mediis locomotionis, adiunctis et formis apostolatus.

2. Similiter exposco Breviarium his exigentiis aptari; ut sacerdos plene conscius in laudem Ss.mae Trinitatis dirigat quin nimia operositate pertaesus animum avocet a sublimioribus orationibus in eo contentis. Sic fiet ut pro Dei ministris excellens medium sanctificationis evadat una cum Missa et oratione mentali. Crebro sacerdotes, praesertim in Americae Meridionalis regionibus ubi tam exigui reperiuntur, nimios labores humeris superportare tenentur. Ex hoc precarer ut, pro Divino Officio exsolvendo, normae aliquae promerentur eius recitationem emollientes. En exemplum: Sacerdos qui longius peracturus esset iter ad alteram Missam litandam, eximatur a recitatione. Regulae adamussim redactae pro ieiunio Eucharistico possent, servatis servandis, paradigma praebere in hac re.

3. Longe lateque in pontificiis documentis sermo intercedit de populi christiani participatione eaque in dies intimiori in augusto Missae

sacrificio; hinc enixe rogo ut normae concretae hac super re dentur. Fortassis congruum foret quasdam Sancti Sacrificii partes lingua vulgari recitare.

4. Eo scopo ut populus maiorem de Sacramentorum excellentia aestimationem concipiat, opportunum iudico eorum administrationem, etiam pro sermonem adhibentibus hispanicum, lingua vulgari impertiri. Idem de benedictionibus asserendum. Nec inficiandum multum profuturum populi christiani spirituali proventui, si pro eius captu proferantur preces.

5. Non abs re esset rubricas ad simpliciorem formam redigere; nam exuberantia foliorum forte facit disparere arboris liturgicae truncum fructusque floresque.

6. Idem desiderandum in Codicis Iuris Canonici reformatione. Legislationis exundatio parochos simplices suffocat. Itaque fit ut pro suo iudicio et non pro iure gerantur. Prae oculis habeo quasdam secundarias dispositiones.

7. Exstant in orbe catholico innumerae piae institutiones statutis, regulis et finibus perquam similibus. Conveniens videretur in principaliores redigere. Haec mira proliferatio quamdam confusionem gignit in animo fidelium adeo ut non modo pietas non augescat actuaturque sed magis decrescat et obtundatur.

8. Deceret utique novum indicem Indulgentiarum conficere. Tot orationes habent adnexas Indulgentias ut ignoremus quaenam hoc privilegio fruantur. Nonne ex hoc fonte ecclesiarum dissidentium censurae scaturiunt abundantes?

9. Attento Magisterio Ecclesiae Ordinario, non incongruum videretur dogma declarare Beatae Virginis Mariae Mediationem Universalem.

Interim ex animo Deum adprecor optima quaeque pro Eminentia Tua Rev.ma

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

✠ LEONARDUS I. RODRIGUEZ BALLÓN
Archiepiscopus Arequipensis

2

EXC.MI P. D. NEMESII RIVERA MEZA

Episcopi Cajamarcensis (Cajamarca)

Cajamarca, 15 Abril 1960

Postrado a los pies de Vuestra Santidad humildemente respondo con toda libertad y sinceridad al pedido que nos ha pedido la Pontificia Comisión Antepreparatoria del Concilio Ecuménico.

1. El clero de ésta Diócesis vería con complacencia el uso del Clergyman en vez del hábito talar, salvo para los actos litúrgicos.

2. El Clero de mi Diócesis vería con agrado la reducción del Breviario y el rezo en lengua vulgar.

3. El clero de mi Diócesis vería con complacencia la presencia de Diáconos casados como colaboradores de los Sacerdotes.

4. El clero de mi Diócesis vería con agradecimiento la mitigación de la ley del celibato eclesiástico.

5. Quisieramos tener los Obispos todas las facultades que la Santa Sede acostumbra otorgar a los Excmos. Señores Nuncios para sanar dificultades y acelerar los trámites.

6. Que los Exc.mos Srs. Obispos podamos administrar los bienes inmuebles de las parroquias de la Diócesis y que no sean los párrocos más que los Srs. Obispos en este particular y que la Santa Sede dé mas autoridad a los Ordinarios locales.

7. Que los Ordinarios locales tengan autoridad de iurisdicción sobre las Congregaciones religiosas exentas.

Santo Padre, con toda libertad y senceridad pongo estos puntos de vista a la consideración de Vuestra Santidad.

Beso humildemente los pies de
Vuestra Santidad

✠ NEMESIO RIVERA MEZA
Obispo de Cajamarca

3

Exc.mi P. D. IOSEPHI G. BENAVIDES MORRIBERÒN
Episcopi Chachapoyasensis (Chachapoyas)

Chachapoyas, 15 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Admodum honorabile Nobis est ad vestras, sub numero 335 signatas litteras, datasque die decimo octavo mensis Iunii praesentis anni, respondere, quibus, de rebus ab Oecumenica Futura Synodo tractandis, consultatio continetur.

Maxima cum reverentia, haec Nobis suggerenda visa sunt:

1. Legationem, si fieri potest, Prudentium Praelatorum designare, qui, Orthodoxorum et Protestantium Moderatores invitantes, de rebus disputatis disserere velint.

2. Iuris Canonici peritos, qui praesentem Canonicum Codicem hodiernis Ecclesiae adiunctis adoptent, oportet nominare.

3. Liturgicos Libros, uti Missale, Breviarium, Pontificale, et cetera, ad res minoris momenti abolendas, revidere decet.

4. Forsitan caelibatus ecclesiastici legem, praesertim pro parochis, iuxta generis locorumque hominum adiuncta, moderare oporteat.

5. Actionis Catholicae, canonice adprobatae, Socii, in scholis ad rem aptis legitime intructi, in partem Sacrorum Ministeriorum saeculari eorum indoli congruentium, admittantur necesse est.

6. Habitum talarem, tam sacerdotalem, quam episcopalem, extra caerimonias sacras, in simpliciorem formam redigendum censemus.

Qua de causa, Eminentiam Vestram Nos maxima reverentia colere significamus.

Vester in Christo Iesu addictissimus

✠ Iosephus G. Benavides Morriberòn
Episcopus Chachapoyasensis

4

EXC.MI P. D. DANIELIS FIGUEROA VILLÓN
Episcopi Chiclayensis (Chiclayo)

Chiclayo, 4 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

In responsionem ad litteras Em.tiae V. diei 21 martii 1960, Prot. 1 C/59-351 bis, defero Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico haec vota, iudicio meo perutilia ad animarum salutem, ratione habita morum et difficultatum locorum:

1. Facultatem habeant locorum Ordinarii, ut, secundum necessitates propriae dioecesis, designare possint in Sacro Triduo Maioris Hebdomadae horas opportunas, tam mane quam vespere ad functiones sacras.

2. Ut concedatur Ecclesiae Universali facultas Sanctae Missae litandae media in nocte 31 decembris.

3. Ut stabiliter praefigantur dies *ieiunii* et *abstinentiae*. Iteratae mutationes horum annorum hac in re, turbationes genuerunt in conscientiis fidelium.

4. Ut in matrimoniis praesentia tum Ordinarii loci tum parochi, requisita a can. 1094, non sit ad validitatem, sed ad liceitatem tantum.

5. Ut permittatur usus linguae vernaculae in administratione Sacramentorum; et imminuantur caeremoniae, nominatim in Baptismo.

Dum haec communico ad Sacram Commissionem Pontificiam Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico, reverenter deosculor Sacram Eminentiae Vestrae Purpuram.

✠ DANIEL FIGUEROA VILLÓN
Episcopus Chiclayensis

5

EXC.MI P. D. CAROLI M. IUGENS BYRNE
Archiepiscopi Cuschensis (Cuzco)

Dabam Cuschi, 15 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Cum tuas quas mihi scripsisti litteras communicans Te Commissionem Antepraeparatoriam Concilii Oecumenici praesse acceperim, pergratum est mihi respondere, humillime ad tuam considerationem mittens sugge-

rentias quae, probatis e Clero meo viris consultatis, nobis exponere visum est.

1. Laboris causa, multi sunt Sacerdotes, praesertim parochi qui sacram Divini Officii obligationem explere nequeunt. Ad tranquillitatem eorum conscientiae, Sacerdotumque pietatem magis fovendam, suggero reductionem Breviarii, ita ut in dimidia pars horae expleri possit.

2. Istis in regionibus, longinquitatis causa, recursum ad Ordinarium valde est difficile. Credo multum animabus profuturum esse facultatem parochorum concessam baptizandi adultos, servatis de iure servandis, sine ad Ordinarium recursu.

3. Ad consulendam pietatem incolarum in villis et agris degentium, facultas concedatur Arae Portatilis omnibus Parochis, supplens aram per nominatum Antimensium Missionariorum.

Mea felicitatis vota precor acceptare faveas dum Sacram Purpuram osculans, in Christo addictissimus maneo.

✠ Carolus M. Iurgens Byrne
Archiepiscopus Cuschensis

6

Exc.mi P. D. FLORENTII CORONADO

Episcopi Huancavelicensis (Huancavelica)

Huancavelicensis, 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi fuit accipere litteras, 1 C/59-600, quibus Eminentia Vestra certiorem me fecit de Institutione Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, necnon de augusti Pontificis Nostri desiderio opiniones, sententias, consilia atque vota cognoscendi illorum qui in Concilium Oecumenicum ex iure vocantur, ipsiusque Patres erunt.

Ad huiusmodi enim munus perficiendum, libente animo, absque mora, operam dedi, plurimorum virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium consiliis nullo modo praetermissis.

Fructus vero illius laboris nunc Eminentiae Vestrae mittere valeo, impensos animi sensus ex corde Ipsi profitens omniaque fausta a Domino adprecans.

Eminentiae Vestrae addictissimus servus in Domino

✠ Florentius Coronado
Episcopus Huancavelicensis

I. *Quoad Sacramentum matrimonii*

Iam a multis annis in Dioecesibus Peruviae iniqua viget lex dualitatis matrimonii, Religiosi nempe ac Civilis.

Etsi enim lex civilis matrimonii catholici celebrationi nullum afferat impedimentum, attamen haud parvas difficultates secum fert quoad eius effectus et sequelas.

Etenim, lex civilis nonnisi matrimonio civili, nulla habita ratione de matrimonii catholici dignitate et auctoritate, vim tribuit; qua propter qui vinculo matrimonii catholici tantum sunt ligati, in foro civili, ita considerantur soluti ut absque ullo tramite ad aliud matrimonium advolare possint.

Pariter proles quae ex matrimonio tantum catholico ortae sunt, non obstantibus gravibus sequelis in eis quae ad documenta personalia iuraque successionis spectant, tamquam illegitimae tenentur. Ex hac autem agendi ratione haud parvum exoritur detrimentum matrimonio catholico, quod, saltem apud ruricolas, praestantiam omneque fere momentum amittit.

Unde necessitas premit quaerendi media opportuna ad huiusmodi quaestionem solvendam. Ad quem finem optimum mihi videtur civili cum Potestate inire pactum vi cuius matrimonia a parochis vel missionariis rite celebrata in utroque foro valida et legitima sint, quorum inscriptiones tantum ad officiales civiles mittantur ut in libris ad hoc destinatis adnotentur seduloque in tabulario civili custodiantur.

II. *Quoad divortium absolutum*

Eadem fere difficultas adest cum de divortio absoluto a lege civili sancito quaestio movetur. Potestas enim civilis non solum Potestati Ecclesiaticae subiici non vult in omnibus quae ad fidem et fidelium mores spectant, sed etiam, practice, nullam de iuribus Ecclesiae tuendis curam habet, e contra, omnimodam potestatem et praestantiam suis legibus tribuit. Unde Ecclesiae necesse est quibusdam mediis coercitivis uti quibus huiusmodi agendi rationem sanciat.

Ad haec tamen omnia solvenda maximi momenti mihi videtur inire, quam primum fieri potest, *Concordatum* inter Statum et Ecclesiam.

III. *Quoad disciplinam cleri*

Inter praecipuas causas quae disciplinam cleri maxime afficiunt, hae duae praecellere videntur, recessus nempe clericorum eorumque nimia sollicitudo pro parentibus atque propinquis.

Etenim, fere in omnibus Dioecesibus Peruviae pleraeque Parochiae, praesertim montanae, latissimae sunt, innumeris difficultatibus plenae: permultis civitatibus, villis pagisque constant, viae communicationis saepissime desunt vel nimis periculosae sunt. Hinc Parochi longinquis itineribus inter se separati, absque ulla vigilantia, confessionem sacramentalem singulis in mensibus semel saltem faciendam, facile omittunt, ab oratione, tum mentali tum vocali, aliisque exercitiis spiritualibus quasi semper vacant, e contra, haud raro negotiis saecularibus implicantur, vitiisque ebrietatis et incontinentiae, proh dolor!, magno cum fidelium scandalo, indulgent; generatim zelo animarum fere omnino carent, de fidelium confessionibus accipiendis, de aegrotantibus visitandis, de operibus apostolatus paroecialis instituendis, vix curam habent. Hoc factum enim, in Visitationibus Pastoralibus, valde cum amaritudine animae meae, ego ipse vidi.

E contra, haud pauci Sacerdotes de bonis temporalibus magnum zelum ostendunt, coelum terramque movent ut fratres vel sorores vel caeteri propinqui liberalium professionum gradum obtineant, et cum haec omnia magnum dispendium exigant, occasione Missarum celebrationis vel sacramentorum administrationis, stipendia exaggerate percipiunt, magno cum fidelium detrimento periculoque simoniae. Huiusmodi agendi rationem autem sacerdotalem dignitatem maxime laedere statuique clericali grave contemptum afferre, nemo non videt.

Quapropter necessitas urget adhibendi media opportuna ut huiusmodi abusiones eradicentur. Ad hunc tamen finem valde opportunum mihi videtur, auctoritate Sanctae Sedis, in omnibus Dioecesibus communitatem vitae sacerdotalis instituere, ita ut sacerdotes parochi bini vel terni, in eadem domo vitam communitariam gerentes, ministerium pastoralem inde exerceant, sub auctoritate et custodia unius Superioris, iuxta Statuta propria ab Ordinariis loci approbata.

Item in Seminariis alumni iam ad mentem huius normae totam formationem accipere possint.

IV. *Quoad distributionem bonorum temporalium*

Ubique terrarum, fere in omnibus Nationibus, lex distributiva pessimam applicationem inter subditos habet: bona enim temporalis absque iustitia aequitativa distribuuntur. Etiam in Circumscriptionibus ecclesiasticis huius Nationis eumdem defectum adesse mihi videtur. Sunt enim hic multae Dioeceses et Paroeciae quae haud parvum cumulum bonorum temporalium possident, ceterae autem, praesertim quae nuperrime erectae sunt, paupertate premuntur: ex. gratia haec Dioecesis

Huancavelicensis, exceptis quattuor domibus, nullam habet proprietatem qua necessitatibus suis subveniat.

Ideoque maximi momenti mihi videtur aliquam rationem instituere ut bona temporalia inter diversas Dioeceses et paroecias aequitative distribuantur.

V. *Quoad administrationem bonorum ecclesiasticorum*

In Dioecesibus huius regionis minime autem desunt aliqua bona temporalia, tum mobilia quam immobilia, quae vulgo nuncupantur « Cofradiae »; iam vero haec bona nullum alium nisi titulum pacificae et immemorialis possessionis habet, nec, generatim, Ecclesiae directe subiiciuntur, sed illis qui aliquam festivitatem celebrandam munus adhibent, ipsi eorum administrationem et usumfructum retinent et huic consuetudini ita se afferunt ut nec Parochi nec ipse Episcopus ab ea eos auferre possint. Nec unica est difficultas. Saepe Indigenarum communitas, quandoque etiam ipsa Potestas civilis nonnulla bona ecclesiastica sibi illicite appropriant vel litem movent de eis.

Unde necesse est, auctoritate Sanctae Sedis, commissionem Dioecesanam administrationis bonorum temporalium instituere, quae una cum Ordinario loci, illorum bonorum directam et perpetuam administrationem adhibeat.

✠ FLORENTIUS CORONADO
Episcopus Huancavelicensis

7

EXC.MI P. D. MARIANI H. VALDIVIA Y ORTIZ

Episcopi Huancayensis (Huancayo)

Huancayo, 30 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Cum mihi appareat Ecclesia a Spiritu Sancto informata, magno cum timore exponere animadversiones et vota decrevi; et tantummodo ad modum oboedientiae quae sequuntur expono:

De obligatione clericorum

Ut exercitia Spiritualia sint annua, obligatoria et per octo dies integros.

Ut in unoquoque termino quinquennii Exercitia per integros triginta dies habeant sacerdotes.

Ut in omnibus Dioecesibus dividantur Paroeciae duae et duae in hoc ordine:

paroecia « A » cum paroecia « B »,
paroecia « B » cum paroecia « D »,
paroecia « E » cum paroecia « F ».

Et in unoquoque mense, parochus paroeciae « A » visitet parochum « B » et assumat omnes obligationes illius paroeciae ita ut parochus paroeciae « B » faciat suum « Recessum spiritualem » cum duabus meditationibus, discutione conscientiae, lectione spirituale, visitatione Sanctissimo etc. sine ulla perturbatione.

Emolumenta sint semper parochi proprii.

Altero die ipsius mensis, parochus paroeciae « B » faciat similiter cum parocho « A », et de adimpletione istius rei certiorem facere Ordinarium oporteat.

Sanctiones in transgressoribus comminantur usque ad suspensionem.

Quamvis occasione istius Recessus laudabile sit ut confessio peragatur, tamen non fiat obligatoria.

Oportet etiam statuere hunc Recessum ut obligatorium.

Officium Divinum constet tantummodo Matutino et Laudibus, sed Meditatio de Vita et Doctrina Domini amplietur ad unam horam.

Omnes sacerdotes conficiant suum testamentum. Ubi testamentum olographum habet vim civilem, hoc testamentum clausum et reservatum servetur in archivo omnibus cum cautelis de archivo secreto; tamen, ut obvium est, aperiatur post mortem testatoris. Ubi testamentum olographum non habet validitatem ita conficiatur ut maneat secretum, sed Ordinarius scire debet eius existentiam ut post mortem ad executionem mandetur.

Videtur magis consentaneum ampliare iurisdictionem Episcopi super institutiones Religiosarum. Quamvis exemptio det illis maiorem amplitudinem colendi finem suum, tamen cum pretextu exemptionis multa videntur quae non sunt perspicua et ponderata; et a longe his Sancta Sedes nequit remedium praebere. Fortasse in administratione bonorum, in collocatione pecuniae, et in contractibus, petitiones per Ordinarium et cum informatione illius sive ad Nuntiaturam Apostolicam sive directe ad S. Congregationes missae sint.

De associationibus laicalibus

Antequam erigantur ab Ordinario in posterum « Hermandades », « Cofradiae », piae unione set etiam Tertii Ordines eorum peculiari fini

addatur specifica activitas apostolica, et membra coadunata ad fundationem curriculum Doctrinae percurrant cum ostensione pietatis ad modum Novitiatus.

Si insipienter egi his in propositionibus, spero tuae humanitatis gratia veniam dum libenter devotissime me profiteor

Addictissimum tibi in Christo Domino
✠ MARIANUS H. VALDIVIA Y ORTIZ
Episcopus Huancayensis

8

EXC.MI P. D. IGNATII ARBULÙ PINEDA
Episcopi Huanucensis (Huánuco)

14 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Magna cum veneratione pergratum mihi est responsionem communicationi Eminentiae Vestrae Reverendissimae (Prot. N. 1 C/59-602) dare, qua mihi significas Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. regn. die 17 maii currentis anni, in Festo Pentecostes, instituisse Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico, sub dignissima Eminentiae Vestrae Reverendissimae praesidentia.

In convocatione praefati futuri Concilii Oecumenici vere inspiratum esse Sanctissimum Patrem Papam nostrum Ioannem XXIII considero, de quo — equidem — in Ecclesiae Christi favorem magna spiritualia bona provenient ad maiorem Dei laudem, incrementum fidei, animarumque salutem.

Celebratio Concilii nimis quam necessaria est nobis, praesertim in his aerumnosis temporibus in quibus spiritus malignus multimodis se ostendit, illa verba Sancti Evangelii confirmans: « Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt » (*Luc.* 16).

Nunc, Eminentissime Domine, circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, nullum rei caput maioris momenti esse videtur — salvo meliori iudicio — quam notissima penuria sacerdotum.

Certe hoc problema totius Ecclesiae Dei in toto orbe terrarum idem est. Speciali modo in regione americana, praesertim in hac ditione peruviana.

In natione nostra — nota loquor — propter hanc causam luctuosum spectaculum habemus: in latissimo territorio multae paroeciae sine

pastoribus sunt ... Ordinarii locorum, in Patris Familiarum Vinea, operariis evangelicis carentes, paucissima — melius dicam — nihil possumus facere. Nihil apostolatus ... nihil actionis catholicae.

Ordinarii — equidem — sacerdotesque in consecutione sacerdotalium vocationum multo laborant, sed pene infructuose: spiritus nostri temporis, materialismus, verae christianae vitae diminutio, corda imbellia ad evangelicas virtutes exercendas, et alia similia ut iuvenes a statu sacerdotali recedant causae sunt.

Ex altera parte, non pauci parochi — certus sum — obligationem ex canone 1353 exortam non adimplent. Forte, in his casibus, — Conciliumque videbit — praedicta obligatio in futurum sub gravi imponatur?

Iam nunc ut labores ad Concilium Oecumenicum praeparandum plenum effectum sortiantur Patresque assistentes illuminentur ita ut magnas ecclesiasticas quaestiones feliciter resolvant, suppliciter a Iesu Domino Nostro adprecans, vota nuncupo.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Vestrae, cui fausta quaeque a Domino adprecor Sacram Purpuram devotissime deosculans.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
add.mus

✠ IGNATIUS ARBULÚ PINEDA
Episcopus Huanucensis

9

EXC.MI P. D. THEODOSII MORENO QUINTANA

Episcopi Huarazensis (Huaraz)

19 maii 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Indulgentiam Tibi humiliter peto, Em.me Praeses Pont. Commissionis Antepraeparatoriae Pro Concilio Ecumenico, ob moram in responsione Prot. N. 1 C/59-03 bis. Multis in locis specialiter in his regionibus dici potest: messis multa, operarii autem pauci, quod multiplicat laborem uniuscuiusque sacerdotis.

Vota, animadversiones et argumenta quae in futuro Concilio tractari possunt reverenter, in adiuncto folio perillustri Commissioni patefacio.

Hanc feliciter nactus occasionem bona cuncta a Domino Tibi, Eminentissime Pater, adprecor, dum salutem plurimam dico.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus in Christo Iesu
✠ THEODOSIUS MORENO QUINTANA
Episcopus Huarazensis

1. Cum propagatio et conservatio fidei res maximi momenti sit, quando sermo erit de hac materia et Reverendissimi Patres, media meliora ac necessaria ad hoc indicent, suppliciter precor ut, post opportuna consilia, urgeantur parentes et parochi ad laborandum pro vocationibus ecclesiasticis et ad non omittendam catecheticam instructionem.

2. Pro morum reformatione, mihi videtur bonum esse patrocinari inter alia, principia et praxim quae consilio et commendatione Summi Pontificis feliciter regnantis et Praedecessoris eius a R. P. Lombardi S. I. praecone « mondo migliore » collecta sunt.

3. Adsit facultas utendi in Sacramentorum administratione, lingua vernacula. Melius intelligent fideles orationes et caeremonias.

4. Expedit, ut sacerdotes absque praeoccupatione de re temporali, ministerium sacrum et apostolatum exerceant, ergo status vel modus inveniatur iuxta quod, in Curia e. g. habeatur quaedam sufficiens quantitas pecuniae ad honestam sustentationem et alias necessitates ipsorum, praesertim dum infirmantur vel senectute laborant.

5. Ad saecularizationem sacerdotum religiosorum exigatur gravissima causa et antequam ipsi in aliqua dioecesi admittantur, faciant per congruum tempus velut « novitiatum » quia huiusmodi clerici fere semper aliquo notabili defectu afficiuntur quod magis apparet in saeculo, cum fidelium scandalo.

6. Non placet, si verum est quod quidam hoc petierunt scilicet ut sint diaconi uxorati ad Evangelium praedicandum et Sacram Communionem deferendam. Melius erit, si in magnae necessitatis aliquo casu exceptionaliter sumantur ad hoc munus Religiosi, non sacerdotes, sed cum voto castitatis.

7. Nonne opportunum videtur ut cum speciali recordatione unitatis generis humani, damnetur segregatio id est systematica separatio, in societate civili, hominis nigri ab homine albi coloris?

✠ THEODOSIUS MORENO QUINTANA
Episcopus Huarazensis

10

Exc.mi P. D. ALBERTI DETTMANN Y ARAGÒN
Episcopi Icensis (Ica)

Ica, 31 augusti anni Domini 1959

1. Desideratur diminutio in recitatione Divini Officii ad unum Psalmum pro qualibet hora minore, tres pro matutino, laudibus, vesperis et unum pro completorio. Lectiones in matutino tres tantum, de Scriptura duae et tertia de homilia cum parvis narrationibus de vita sanctorum. Caetera omnia supprimantur vel abbrevientur.

In Missis omittantur Ps. « Iudica me » et quae sequuntur, incipiatur ab Introitu Missae. Gloria in excelsis, Credo, Praefatio, omittantur. Ante communionem celebrantis dicatur « confiteor », « misereatur » et « indulgentiam » et continuetur communio fidelium. Cetera permaneant.

2. Desideratur pro Ordinariis locorum facultas concedendi sacerdotibus licentiam celebrandi ter Sacrificium Missae, cum stipendio in unaquaque Missa, omnibus diebus, onerata conscientia Ordinarii localis. Parochi et sacerdotes sunt pauci. Stipendium Missarum sic distribuetur: primum pro ipso celebrante, media vel dimidia pars secundi pro piis operibus, altera pars huius pro fabrica ecclesiae et tertium pro sustentatione Curiae dioecesanae.

3. Desideratur administratio quorumdam sacramentorum in lingua vernacula, ut sunt: Baptismus, Confirmatio, Extrema Unctio, Administratio Viatici et Matrimonium.

4. Desideratur ut in diebus hebdomadae sanctae minuantur lectiones Breviarii et orationes in feria VI ipsius hebdomadae.

5. Desideratur ut supprimatur obligatio celebrandi Missas pro populo in festis suppressis.

6. Proponitur quod ordinati in diaconatu exerceant ministeria baptizandi, catechizandi, administrandi sacram Communionem et iuvandi Parochos in ministerio, postea, post expletum curriculum pro presbyteratu, ordinentur sacerdotes. Si matrimonium contraxerit diaconus antequam suscipiat ordinem presbyteratus, concedatur ut possit exercere praedicta munia, iuxta tamen bonos mores et onerata conscientia Praelati.

7. Desideratur maior participatio christifidelium in Sacrificio Missae, ita ut recitent cum sacerdotibus partes principales, et etiam in cognitione Scripturae Sanctae.

✠ Fr. Albertus Dettmann y Aragòn, O. P.
Episcopus Icensis

11

EXC.MI P. D. IOANNIS LANDÁZURI RICKETTS
Archiepiscopi Limani (Lima)

Una cum eo responsum dederunt:

EXC.MUS P. D. IOSEPHUS A. DAMMERT BELLIDO
Episcopus tit. Amathusius in Palaestina, Auxiliaris Limani

EXC.MUS P. D. FIDELIS M. TUBINO MONGILARDI
Episcopus tit. Cernitzensis, Auxiliaris Limani

Limae, die 29 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pegratum mihi meisque episcopis auxiliaribus fuit venerandas Litteras Tuas diei 18 iunii h. a. accipere, quibus nobis relatum est Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. regn. die 17 maii a. c., in Festo Pentecostes, Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico instituisse, cui Commissioni digne Eminentia Tua Rev.ma praeest.

Qua de causa, Sanctitas Sua, circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, desiderat ut ex parte nostra animadversiones, consilia et vota huic Pontificiae Commissioni omni cum libertate communicemus.

Liceat enim nobis, omnibus mature perpensis et tantum Ecclesiae animarumque bonum respicientes, quaedam vota et consilia humiliter exponere quae maioris momenti nobis videtur tum quoad res doctrinales tum quoad cleri populique christiani disciplinam.

I. *De rebus doctrinalibus*

De conceptu impotentiae et matrimonii consummatione, in ordine ad dispensationem Pontificiam super rato et non consummato.

Data discrepantia inter Canonistas in re quae valorem tanti Sacramenti afficit, petitur ut, investigatione facta circa praxim Ecclesiae, conceptus impotentiae statuatur unde faciliter et vulgo comprobari impotentia possit, similiter et consummationis; ita ut per Auctoritatem Ecclesiae determinetur utrum dissolvi possit necne, per Romanum Pontificem, matrimonium in quo prolis non sit concepta.

II. *De iis quae disciplinam respiciunt*

1. De animarum cura:

Spectato incremento progressivo populationis nostris in regionibus, et ex alia parte prae oculis habita magna egestate sacerdotalium vocationum, praeter Opera ad vocationes impetrandas, videtur providendum ut nemo qui concurrere valeat ad animarum salutem procurandam ab ea arceatur.

Itaque, salva lege sacrosancta Caelibatus, ex qua nulla spes sacerdotibus relinquatur perveniendi ad matrimonium, excepto casu canonis 214, proponitur:

a) Ut restaurando officia quae in minoribus ordinibus continentur, ea laicis honestis et debita praeparatione instructis conferantur.

b) Ut Subdiaconi et Diaconi constituantur lege caelibatus non inclusi, qui opera sua praestent tum in catechesi tum in administratione sacramentorum Baptismi et Eucharistiae tum in rerum Ecclesiae temporalium administratione.

2. De schemate hierarchiae Iurisdictionis aptius ad providendum nostrorum temporum necessitatibus accommodando:

Pro nostris Americae Latinae regionibus desideratur:

a) Congregatio Romae constituatur, in qua sua dent consilia viri vere experti de nostris universis conditionibus vitae agendae, vel saltem facultates Pontificiae Commissionis Pro America Latina augeantur.

b) Officia regionalia ad servitia communia, ut sunt universitates tam pro clericis quam pro laicis, praelum, cinematographum etc., praestanda, constituantur.

c) Ut certis et claris legibus praecipiantur normae pro collaboratione in dioecesi inter sacerdotes utriusque cleri; immo leges quibus religiosi laici et religiosae operam dent ad bonum dioecesis promovendum, item normae parentur quibus statuatur collaboratio sacerdotum ex diversis dioecesibus.

3. De regimine beneficiali et sustentatione clericorum:

a) Regimen beneficiorum prout in Codice Iuris Canonici exstat necessitatibus nostrorum temporum non satisfacit, immo his in adiunctis aliquantulum officit.

b) Pro sustentatione tum operarum tum personarum, Ecclesiae capsae quaedam communes constituantur in quibus omnes fidelium eleemosynae custodiantur, et ex quibus singulis pro necessitatibus provideatur.

Si cui sacerdoti saeculari bona obveniant ex titulo profano, ut sunt bona hereditaria, sibi libere servet. Bona vero quae ex sacri ministerii exercitio obveniant, capsae communi acquirantur.

4. De Sacramento Poenitentiae:

a) Ut ad faciliorem reddendum ministerium confessiones audiendi, sacerdotes qui iurisdictionem habuerint ab aliquo Ordinario loci, dum legitime itinerantur, omnes christifideles valeant absolvere, salva obligatione in civitate ubi Ordinarius residentiam habet, ab eo approbationem obtinendi intra tres dies, aliis in locis a parocho intra cuius limites audit confessiones, si inibi ultra hebdomada commoratio duratura praevideatur.

b) Ut clarius proponatur doctrina de Confessionis sacramentalis necessitate, et de absolutione turmatim concedenda, quando secus fideles sine beneficio sacramenti Poenitentiae diu manere cogerentur.

5. De Sacramento Matrimonii:

a) Ut Ordinarii locorum concedere valeant, servatis servandis, delegationem generalem pro dioecesi ad assistendum matrimoniis.

b) Ut ad incommoda vitanda, quae oriuntur ex redactione Codicis in canonibus 1087, 1136 de metu gravi, denuo conceptus praecedentis legislationis instauretur ex quo matrimonium convalidabatur ex renovatione implicita consensus in pacifica cohabitatione cum affectu maritali habita.

6. De Officio divino a sacerdotibus recitando:

Quod ad simpliciorem formam adhuc redigatur, v. gr. sublatis repetitionibus in Responsoriis, etc. ita ut retentis Psalmis, tribus lectionibus, hymnis et Orationibus, facilius et maiori cum devotione absolvi possit.

7. De poenitentia Quadragesimali:

a) Quod tempus poenitentiae christianae in anno statuatur et quod per quadraginta dies protrahatur.

b) Quod formula magis practica constituatur plus minusve in hoc consistens: 1) Omnes, exceptis diebus dominicis, ab oblectamentis superfluis abstineant; quod pecuniae in iis impendere solent, dent pauperibus. 2) Omnes qui labore musculari non incumbunt, quantitatem pecuniae quam ad sustentationem impendunt imminuant et aliquam quantitatem dent pauperibus vel operibus caritatis.

His pro munere significatis omni quo par est obsequio nos profitemur

Eminentiae Tuae Rev.mae
addict.mos uti fratres

OMNES SEQUUNTUR SUBSIGNATIONES

12

Exc.mi P. D. IULII M. GONZÁLEZ RUIZ
Episcopi Puniensis (Puno)

Puno, in festo Nativitatis Mariae V. 1959

1. Damnentur capita doctrinae Communistarum, quae cum Doctrina Catholica componi nequeunt.

2. Sanctitas vitae matrimonialis in tuto ponatur et, non tantum divortium, sed et pessimas deformationes atque abusus ante et durante vita coniugali, debitis poenis plectantur; et Doctrina Catholica circa haec omnia clare definiatur populoque Christiano ubique effective proponatur.

3. Pro Sacerdotibus Saecularibus, quidam mos in communi vivendi inducatur, ita ut numquam dentur sacerdotes vitam individualem degentes; cum satis expertum sit quantum damni tum individuo sacerdoti, cum universo coetui clericali contraria consuetudo attulerit.

4. Ventiletur quaestio de convenientia prohibitionis lectionis Sacrae Scripturae a typis Protestantium editae, cum nunc generaliter omnino cum editionibus Catholicis concordet. Est quaestio momentosa: colluvies enim huiuscemodi librorum ubique terrarum copiosissime et pene gratis distribuitur.

5. Incoepta reformatio Breviarii, quae magis in dies urget, ad terminum perducatur, facta convenienti proportione cum modernae vitae rhythmo. Quoad Matutinum autem attinet, vota et mens omnium fere sacerdotum poscit ut lectiones ad tres tantum reducantur.

6. Missa, administratio Sacramentorum et sacramentalium, et aliae actiones vel functiones liturgicae, *lingua vernacula* compleantur iuxta editiones typicas, Romae a peritis exaratas. Humili nostro iudicio, nedum haec ratio agendi nocumentum reverentiae Deo debitae, vel fidelium pietati; potius frequentia, intensitas et ipsa sanctitas catholici cultus in dies firmabitur augebiturque; quo fiet ut abyssus hodie sacerdotem inter et populum iam proiectus, sensim sine sensu salvetur.

7. In Missa, pro absolutione communi ante Sacram fidelium Synaxim, proponitur vera absolutio sacramentalis, tantum pro peccatis venialibus, dummodo a populo ore prolata fiat confessio per verba « Confiteor », ad hoc ut sanctius et frequentius ad SS. Altaris Sacramentum accedatur.

8. Lux sic dicta electrica, utpote et ipsa Dei creatura et quidem sublimem significationem in se habens, quatenus Splendoris Lucis Aeternae

prae coeteris luminibus imaginem perfectam praesefert, in templo Liturgiae pleno iure admittatur.

9. Expositio SS. Sacramenti sollemnis in praxim ordinariam sine ulla restrictione deducatur, ea mente ut in dies Divinissimi Eucharistiae Sacramenti cultus inter Christi asseclas communis et ardens evadat.

10. Formula administrationis Baptismi brevietur, cum copia baptizandorum id exigat. Item, ritus administrationis S. Viatici, Extremae Unctionis et Benedictionis Papalis, quando ritus unus post alium peragitur.

11. In articulo mortis omnes sacerdotes, ut accidit de poenitentia, S. Confirmationem valeant administrare.

12. Agatur de opportunitate vel minus, permittendi sacerdotibus extra tempus sacerdotalis ministerii, consuetudinem more laicorum ubique terrarum vestiendi, dummodo aliquod signum seu distinctivum dignitatis sacerdotalis praeseferant.

13. Dispersae et pene infinitae Liturgiae rubricae, leges et decreta, immo et inter se aliquoties discrepantia, ad Iuris Can. Codicis instar, in unum corpus quam primum redigantur.

✠ IULIUS M. GONZÁLEZ RUIZ, S.D.B.
Episcopus Puniensis

13

EXC.MI P. D. ALFONSI ZAPLANA BELLIZZA
Episcopi Tacnensis (Tacna)

Tacnae, die 16 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Gratum opus admodum est Nobis humilem Nostram opinionem emittere, cui etiam adlaboraverunt sacerdotes selecti Dioecesis Tacnensis mihi concredita, nullis meis meritis intervenientibus, ab Augusta Persona Sancti Patris Pii XII, immortalis recordationis; quaeque rescriptio est Litteris Circularibus *Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico,* die duodevigesimo iunii huius anni datis, cui dignissime praeest Eminentia Vestra.

Concilii Oecumenici opportunitas

Cognita convocandi Concilium Oecumenicum notitia a dilecto Patre Sancto Ioanne XXIII, quo hisce temporibus saluberrimum nihil oppor-

tuniusque est, Episcopus, Clerus, ac huius Dioecesis populus fidelis uno ore conclamant Deumque deprecantur ut plena sint ipsius pignora ac omnino uberrima fructibus omnibus.

De conformitate ergo cum Litteris Circularibus, quae a Praelatis opinionem exposcunt, ut agitur in can. 223 de quaestionibus maioris momenti in Concilio discutiendis, liceat Nobis, magna sane cum modestia, sequentia proponere:

1. *Dogma.*

Quin omnino substantialia immutentur, accidentalia parvipendenda sunt, ut in Fidei, morum et obedientiae *unitatem* dissidentes atque haereticae ecclesiae valeant redire.

2. *Clerus.*

a) Nihil quidem praeter rationem suiipsius videat necesse est, hac in terra.

b) Educatione eget severissima in Seminariis, verum etiam mentaliter elata.

c) *Missarum stipendia delenda sunt,* ita tamen ut ob aliqua tantum Sacramenta recipere liceat ipsa, et eleemosynas. Missa enim pars essentialis sacerdotii esse debet fidelibusque verum Crucis Sacrificium ex quo cotidie gratiae hauriuntur tum Ecclesiae Universali, tum Sanctorum Communioni.

Horret, proh dolor, *venalia* ubique habeantur.

d) *Caelibatus ecclesiasticus.* O si more Angelorum viveremus; ast ab humanis contingentiis alienum valde. Et revera: verae tragoediae in idipso Sanctuario deplorantur, ubi cotidie plures, *mysterium* sublimius in terra, Sanctam Missam celebrant. Ex partibus enim, quas peragravi, EE. UU. scilicet, Americam meridionalem, Hispaniae eiusdem partem, Galliam, Italiam, et quod dolendum maxime, Romam, hanc luctuosam veritatem confirmant: Missarum Sacrificia millia et millia indigne celebrantur in terra. Episcopi impares ad tantum vitandum malum sumus, nec ideo causae a Nostra Auctoritate et sollicitudine subductae reguntur, eo magis quo dissitis in locis inveniantur.

Religiosorum Communitatum opus esset iuvamine, eo consilio ut aliquis eorum, statis temporibus et permanenter, sacerdotibus, dissitis in locis Ministerio auctis, qua sollicitudine et caritate decet, auxilia spiritualia impertiantur.

Vita communis in Clero Dioecesano colenda est magis magisque; Seminaria enim Orbis hisce communitatis principiis imbuta esse debent, eoque spiritu et fraternitatis consensu vivere et nunc et semper.

e) *Domus pro cleri senectute.* Sacerdotes, hic in America Latina,

tamquam milites incogniti moriuntur alii, aliique omni destituti spe et auxilio. Praelatorum cura pro sacerdotum senectute eodem fere animo ac Seminariorum alumnis providere debet, ita ut senescentibus Auxilii Domus et Hospitia sint.

f) *Vita monastica et contemplativa.* Cuique ius est quidem et libertas vitam solitudinis et contemplationis sibi deligendi, cum de Deo agitur; verumtamen ob sacerdotum penuriam, religiosi utriusque sexus vitae activae, indigent religiosorum vitae contemplativae auxilio; Ecclesia onusta valde est laboribus pro egentibus fortunae bonis et Doctrinae omnino nescientibus, ideoque optandum est ut ad minimum huius Vitae professores redigantur, cum aliorum causa eorum egeat auxilio.

g) *Diaconorum coadiutorum egestas.* Oportet hunc gradum, qui transeunter in sacerdotii scala locum habet, stabilire, cum magna sit penuria Cleri. Diaconorum coadiutorum ordinatio magnae quidem esset utilitatis utriusque cleri sacerdotibus.

h) *Actio Catholica et Mariae Legio.* Earum institutio aeque omnibus Universi Dioecesibus pertinet cum *Domibus studiorum et formationis* pro laicis apostolicis. Nam cleri labor seorsim, palam confitendum est, inefficax et arduus nimis evasit: sicque utilitas omnis fere abest.

i) *Missionarii laici absunt.* Qui vota temporalia emittentes ibi possent laborare, ubi sacerdos locum habere nequit.

k) *Uxorati apostolatui missionario incumbentes.* Iam in praxim deductum est in aliquibus silvae regionibus, et maxima quidem cum utilitate. Ii, saepenumero, sunt coniuges qui spiritu apostolico operantur, eorumque filii *missionandi* Opus sibi vindicant, maxime cum deficiunt sacerdotes dissitis in locis.

Synodi Nationales praeparatorii ad Concilium Oecumenicum.

Arbitror quod unaquaeque natio, ita Sancta Sede disponente, *Synodum Nationalem* faciat in qua, praeter Exc.mos Praelatos, locum habeant *Commissiones Cleri* omnium Dioecesium, Praelaturarum, Vicariatuum et Praefecturarum, eo fine ut, discussa omnium sententia, maxima sit ad *XXI Concilium Oecumenicum* praeparatio.

Ad Sedem Primatialem Praelati omnes sacerdotumque delegationes uniuscuiusque Dioecesis, vel Praelaturae, concurrere oportet. Sicque, data omnibus maxima libertate, et seorsim omnes excussi, facilius quid videndum quidve faciendum sit nosse potest. Huius Synodi Nationalis *Conclusiones* ad *Concilium Oecumenicum* relatae ut *Ponentiae* haberi possint.

Liturgiae uniformitas. Non est dubium quin *unificatio* liturgici Ritus

prodest populo, et in Fidei, morumque *unitate* roboratur, cum saepissime dissidentiae — testante historia — a pluralitate et rituum varietate originem ducant.

Vita Eucharistica quotidiana. Hac de re perdelicata studium oportet profusum fieri ut sacrilegium, hebetudo et torpor plane eradicentur, praesertim in Domibus Formationis a Communitatibus religiosis utriusque Cleri. Sacra Rituum Congregatio anno millesimo nongentesimo trigesimo nono de hac re Decretum tulit; ast, sane profuitne cuipiam? De Vita Eucharistica quotidiana earum Communitatum, idem dicendum videtur, maxime si agitur de mulieribus, quae ob mediocrem educationem, *morem communicandi* sequuntur Regulis, aut timore reverentiali, aut humano respectu adstrictae.

Pavet quispiam cum videt quid in Collegiis atque internatorum Institutis occurrit: puerorum puellarumque millia et millia *communicandi* necessitate compulsi ut prima capiant loca placeantque Praepositis.

1.300.000.000 hominum qui in Dominum Iesum Christum credunt.

Catholici, Apostolici et Romani sunt 500.000.000, scilicet paulo magis quam tertia pars. Nonne optabilius reliqua *in Fidei unitatem* redigere *hoc in Concilio Oecumenico?*

Dominum obsecramus ut ita fiat eiusque Sacratissimam Matrem, Virginem Mariam, ut tantum pignus concedatur legitimae Ecclesiae a Iesu Christo fundatae. Ideoque humiliter imploramus ut « *Carta de Oficialización* » Legioni Mariae detur, ut *Opus Pontificum* habeatur, celebreturque *Primus Congressus mundialis de Mariae Legione Romae.*

Ab imo corde optamus pro Eminentia Vestra Reverendissima pacem et salutem; pro huius *Concilii Oecumenici* magnifico exitu; pro conservatione, felici et plena vita Patris Nostri Sancti Ioannis XXIII, quem Deus sospitem servet, concedanturque innumerae gratiae, animarumque egregie potiri sub *Vexillo* atque ditione Sanctissimae eius Matris, Virginis Mariae.

✠ ALFONSUS ZAPLANA BELLIZZA
Episcopus Tacnensis

14

Exc.mi P. D. FRIDERICI PÉREZ SILVA
Archiepiscopi Truxillensis (Trujillo)

Truxilli in Peruvia, 4 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Mihi pergratum est proponere consilia et vota circa argumenta in proximo Concilio Oecumenico tractanda, et mihi ab Eminentia Vestra petita in littera circulari Prot. N. 1 C/59-1390 diei iunii 18, et in documento 1 C/59-1390 bis iterata, die 21 martii, quia, ut patet, mea responsio 20 augusti 1959 perventa non est ad istam Pontificiam Commissionem.

De disciplina cleri

Sequentia quae proponuntur iudicia animo facile eveniunt Nostro ex eo quod America Latina, regione longe patenti amplitudine, incolarum valde distributo atque magnis persaepe spatiis dissito numero, sacerdotum exigua nimis proportione, christifidelium — ruricolarum praecipue — inculta indole, in familiare societate christiana admodum deficiente vita, catholicis Europae et Septentrionalis Americae nationibus, salvis dumtaxat exceptionibus, nullo modo aequiparari potest. Quae cum ita sint, normas a Concilio decernendas ad fidem moresque reformandos Europae sane profuturas esse evidenter putamus, non ita tamen reliquis universi catholici orbis partibus.

Praeterea, scientiis quas vocant statisticis, aperte monstratur incolarum numerum adeo crescere ut leve, quod in vocatos ad statum sacerdotale augmentum, plane insufficiens evaserit ad ipsorum cum laicis proportionem in melius revocandam. Itaque, non extra viam Nobis videtur, aliquem curae spiritualis excogitari posse modum, ad quem facilius et expeditius delecti progrediantur, quam qui ad sacerdotalem dignitatem promoventur. His de causis mentem in « Diaconorum » institutionem intendimus, ad sua munera rite obeunda sufficienter dispositorum, quae munera non immerito hodiernis ampliora iis praestarent, videlicet: matrimonii assistendi facultas ad normam can. 1098, baptismi adhuc sollemnis administrandi potestas. Nobis non latet apud multos controverti utrum ii coelibes manere oporteret necne. Nostro quidem iudicio ad coelibatum minime sunt adstringendi, nam e contrario perpauci admodum ministerium hoc amplecterentur, ac praeterea in eosdem miserrimos lapsus, quos, magno fidelium scandalo, in sacerdo-

tibus frequenter deploramus, inciderent. Liberali cuidam officio ipsos operam dare oporteret, unde eorum victui commode provisum sit, magisterio nempe, aut scientiis agricolis more technicorum, aegrotorum curae ac sollicitudini, rebus socialibus promovendis atque tuendis, seu aliis huiusmodi, quae imprimis occasionem caritatis erga proximum exercendae eis praeberent et ad rem familiarem sublevandam haud imparia essent. In vicis valde inter se dissitis, ubi sacerdos raro in anno adesse potest, ministerium suum impleturi viderentur, dum sacerdoti ipsis in locis Sacrificium litandi, confessiones audiendi et verbi Dei praedicandi munus incumberet.

Limitationes circa usum matrimonii

Alia tandem sunt quae mentem nostram moerore maximo afficiunt, dum matrimonia perplura, effrenata via natalitiis limitem imponere mediis ab Ecclesia damnatis videmus. Absolutionis sacramentalis denegatione non modo eorum quaestionem non solvi, immo potius maxime aggravari censemus, eo quod huiuscemodi a sacramentorum receptione ab aetatis annis 25 usque ad 45 arceantur, per viginti scilicet annos, in quibus praecipue totis viribus filiorum institutionem curare deberent. Nonne haec est Ecclesiae in dies tristissima clades attente vereque consideranda? Nonne etiam morali novo iudicio praxis haec anticonceptionalis pensanda videtur, dum nova inveniantur media in singulos dies minus repugnantia itemque tutiora, ac mentem intendere utrum matrimonii scopus, iis non obstantibus, attingatur necne? Numinis enim Superni ductu humana ipsa natura fines coniugii adimpletos tenet muliere quintum supra quadragesimum annum agente, quin peccatum tunc in copula deprehendatur, etsi conscia sit generationem inde nullatenus secuturam. Ne quidem interdictum ipsi praegnanti est matrimonio uti, utroque enim in casu praecipuus coniugii scopus adimpletus censetur. Cur aestimari itidem non posset, cum hisce temporibus valetudinis gentium status tantum invaluerit, indeque infantium mortalitas insigniter adeo decreverit ut brevi obtineatur hodie par liberorum numerus quam antea, spatio circiter viginti annorum, genitorum superstitum attigebatur, finem matrimonii primarium adaequate impletum esse, proindeque novos vitari posse conceptus, ut parentes non minori perfungi valeant officio hos filios taliter educandi, alendi et instituendi ut Ecclesiae et Patriae utiles efficiantur iuxta aetatis nostrae exigentias?

Animum solummodo in procreationem intendere, ideoque educationem ac filiorum proventum negligere, ita ut in periculum incidatur liberos omni prorsus educatione destitutos alendi, est etiam inmanis valde so-

lutio, parentibus minime grata et quae tandem ab Ecclesiae societate permultos christifideles avertit et avertet.

Lingua vernacula

In America Latina alumni scholarum, tam a Gubernio quam a religiosis vel laicis rectarum, non excercitantur in lingua latina; inde sequitur notabilis indifferentia fidelium erga functiones sacras in lingua latina. Maior igitur participatio aut usus linguae vernaculae in functionibus liturgicis et in administratione sacramentorum vehementer desideratur.

Divini officii simplificatio

Clerus, tam paroecialis quam formationi iuventutis incubens saepe exoptavit simplificationem Divini Officii, quia non raro dantur anxietates conscientiae propter reductiones aut omissiones horarum in recitatione quotidiana.

Ampliores facultates circa usum instrumentorum reproducentium verba aut musicam.

In hisce regionibus ubi parochus habet commissos 10 aut 20 pagos annexos sedi paroeciali, multum iuvabit ut ampliores facultates tribuantur circa usum instrumentorum quae vocem aut musicam transmittant in commodum fidelium, qui frequentant sine sacerdote locos sacros diebus dominicis et festivis.

Deosculans reverenter Sacram Purpuram me profiteor addictissimum in Domino

✠ FRIDERICUS PÉREZ SILVA
Archiepiscopus Truxillensis

15

REV.MI P. D. LUCIANI METZINGER
Praelati nullius Ayaviriensis (Ayaviri)

Ayaviri, die 10 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est respondere Eminentiae Tuae circa res et argumenta in futuro Concilio Oecumenico pertractanda.

Inter innumeras Ecclesiae necessitates praesentis temporis, praesertim in partibus Americae Latinae, superfluum videtur parvi sacerdotum numero insistendum, damnoque quod exinde Christifideles patiuntur; et vacat recordare spem non exstare quod flebilis iste rerum status brevi componi possit.

Ex altera parte, numerosi habentur laici, virtutibus naturalibus supernaturalibusque adornati, qui libenter validum parochis praestarent auxilium, sive in pueris adultisque edocendis, sive in bonis Ecclesiae temporalibus administrandis, ut parochi curae animarum diligentius se impendant. Quos viros, ex defectu studiorum aliave ex causa, ad ordinem presbyteratus promovere non licet; sed optandum est participes fiant de auctoritate et gratiis quas sacra ordinatio confert.

Quapropter emittitur votum, ut in Concilio tractetur de iterum instaurando diaconatus ordine prout in primaeva Ecclesia institutus fuit; scilicet, ut diaconatus ordo iam non sit solummodo gressus ad presbyteratum, sed etiam ordinentur aliqui diaconi qui in isto ordine consistant nec teneantur lege coelibatus ecclesiastici.

Quod si votum approbatur, nullus est qui non videat, magnam ex illa dispositione profluendam fore utilitatem, praesertim in illis regionibus ubi incolae, etsi religiosissimi, nisi post varias generationes ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri poterunt.

Fausta quaeque a Domino adprecans me profiteor

Eminentiae Tuae
add.mum filium

LUCIANUS METZINGER
Praelatus nullius Ayaviriensis

16

REV.MI P. D. FRIDERICI KAISER

Praelati nullius Caraveliensis (Caraveli)

16 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Bona Vestrae Eminentiae venia mihi liceat manifestare magnum meum esse desiderium quod:

1. Praescriptiones canonum 1060 et 1061 *C.I.C.* multo maiore cum severitate urgeantur, illis praesertim regionibus ubi experientia et argumenta statistica docent matrimonia mixta permultis in casibus vel fere semper afferre parti catholicae eiusque proli maxima damna spiritualia.

2. Missale Romanum reformetur quoad partem nuncupatam « Proprium de Tempore », ita ut quaevis Sancta Missa selectione compositioneque omnium suorum textuum et partium praebeat fidelibus catechesim perspicuam et claram, quarum summa esset quoddam totius doctrinae christianae compendium.

Quae vota et opiniones Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico reverenter exhibet, Vestrae Eminentiae

humillimus servus

FRIDERICUS KAISER

Praelatus nullius Caraveliensis

17

REV.MI P. D. MARCI LIBARDONI

Praelati nullius Huariensis (Huarí)

Huari, 5 aprile 1960

Eminentissimo Signor Cardinale,

È per me sommamente onorevole rispondere alla importante lettera di Vostra Eminenza, N. 1 C/59-1525 bis in data 21 marzo ultimo scorso, chiedendo perdono di non averlo potuto fare prima causa un lungo viaggio di Visita Pastorale e pensando che ormai era scaduto il tempo utile alla risposta.

Ringrazio Vostra Eminenza per avermi concesso questa proroga.

Espongo qui umilmente le mie opinioni sopra alcune cose da trattarsi nel prossimo Concilio Ecumenico.

1. Formare dei centri di vita comune tra i Sacerdoti destinati alla cura d'anime nelle parrocchie più importanti per salvare lo spirito sacerdotale visibilmente minorato per l'isolamento.

2. Facilitare la recita del Breviario riducendolo alla forma della settimana dopo Pasqua.

3. Trattare di uniformare l'abito dei Sacerdoti salvando il decoro e la dignità e venendo incontro alle esigenze della vita di oggi.

4. Appare sempre più urgente e necessaria una maggiore unione e cooperazione tra Clero Secolare e Religioso dando a questo riguardo maggiori facoltà agli Ordinari anche sopra gli Ordini e le Congregazioni Femminili.

5. Egualmente si desidera una più strategica distribuzione delle forze Religiose e Sacerdotali e una più equa ripartizione dei beni economici.

Queste mie opinioni riguardano il Perù e in generale l'America Latina.

Mi perdoni, Vostra Eminenza, se scrivo in Italiano causa le molteplici occupazioni che in questo momento non mi permettono una retta traduzione in Latino.

Riceva Vostra Eminenza i miei più devoti sentimenti di stima e di affetto nel Signore e ci benedica tutti.

Di Vostra Eminenza Reverendissima
obbligatissimo

MARCO LIBARDONI, O. S. I.
Prelato Nullius di Huarí

18

EXC.MI P. D. MARTINI F. ELORZA LEGARISTI

Episcopi tit. Balianensis, Praelati nullius Moyobambensis (Moyobamba)

Moyobamba, 22 de abril 1960

Eminencia Reverendísima,

Agradeciendo de corazón la deferente invitación de V. Emma. a enviar a esa Pontificia Comisión los temas o asuntos que juzgue convenientes se estudien en el próximo Concilio Ecuménico, adjunto una *sugerencia* que, acaso, habrá sido presentada también por algún otro Pre-

lado, especialmente de los que, como yo, están atendiendo zonas atacadas por la propaganda protestante.

Precisamente, el uso de lengua desconocida en la liturgia, es una de las armas que utilizan para atacar a la Iglesia Católica y retraer de ella a los fieles.

Disculpe mi demora en contestar a su primera invitación del mes de junio. Llegó cuando yo viajaba para mi Visita *Ad limina.* Luego, cuando regresé, ya había expirado en plazo que se daba para el envío de temas.

Ahora ante su amable reiteración, me permito mandar la sugerencia dicha.

Aprovecho la ocasión para presentar a V. Emma. mis sentimientos de respetuosa adhesión y sincera estima.

✠ MARTÍN FULGENCIO ELORZA LEGARISTI
Obispo tit. de Baliana
y Prelado Nullius de Moyobamba

UNA SUGERENCIA

Me permito sugerir la conveniencia de hacer la Liturgia Católica má asequible a la inteligencia de los fieles.

El rico contenido de las oraciones y hasta de las exhortaciones, lecciones, epístolas y Evangelio que van dirigidos a los mismos fieles, caen en vacío y quedan sin sentido, si no hay alguien que les explique, por hablárseles en lengua para ellos desconocida.

En la primitiva Iglesia la liturgia era en lengua vulgar, al alcance de los creyentes.

Parece que ello estaría más conforme con la orientación que sugiere el apóstol San Pablo en su I Epístola a los Corintios, cap. XIV.

✠ MARTÍN FULGENCIO ELORZA LEGARISTI
Obispo tit. de Baliana
y Prelado Nullius de Moyobamba

19

REV.MI P. D. NEVIN HAYES

Praelati nullius Sicuanensis (Sicuani)

Die 20 maii 1960

Eminentissime Domine,

Propter deficientiam officiorum tabellariorum in regionibus missionariis primae litterae Eminentiae Tuae de votis et consiliis pro Pontificia Commissione Antepraeparatoria ad me in Sicuanensem dioecesim non pervenerunt. Primum vidi istud monitum hisce diebus in exemplari annexo litteris Tuis de die 21 martii 1960, Prot. N. 1 C/59-2763. Hanc ultimam communicationem Tuam modo recenter accepi, quia absens a praelatura Sicuanensi cum debito permissu Sacrae Congregationis Consistorialis in Statibus Confoederatis Americae iam per plures hebdomadas commoratus sum.

In scheda discreta heic annexa, consilia et vota mea ad Te, Eminentissime Domine, quam primum mitto.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

HAYES NEVIN, O. C.
Praelatus Nullius Sicuanensis

1. Quod status functionesque laicorum in Corpore Mystico accuratius clarificentur et statuantur.

2. Quod conceptus Ecclesiae seu notio *Mystici Corporis* solemniter definiatur.

3. Quod munus officiale Beatae Virginis Mariae tamquam Mediatricis gratiarum omnium utpote doctrina magni momenti nostris in diebus a Magisterio Ecclesiae theologisque amplius investigetur et tractetur.

4. Quod pericopae ex Sacra Scriptura in Missis dominicalibus ac festivis sic mutentur et disponantur, ut maior varietas harum pericoparum attingatur et Novum Testamentum D. N. I. C. magis cognoscatur.

5. Quod Rituale in lingua vulgari pro singulis nationibus praeparetur et approbetur, praesertim pro nationibus Americae Meridionalis hispanice loquentibus.

6. Quod pro sacerdotibus in apostolatu pastorali laborantibus, prae-

sertim in regionibus missionariis, Officium Divinum abbreviatum sit et simplificetur.

7. Quod notio seu definitio « operis servilis » nostris diebus accommodata reddatur, ita ut praeceptum Ecclesiae in materia finem suum magis attingat.

HAYES NEVIN, O. C.
Praelatus Nullius Sicuanensis

20

REV.MI P. D. ANTONII KÜHNER Y KÜHNER
Praelati nullius Tarmensis (Tarma)

Tarma, die 1 augusti 1959

Eminentissime Pater,

Pervoluta quaestione Concilii Oecumenici respondeo:

1. Vehementer gaudeo opportune Concilium Oecumenicum advenisse.

2. Rituale ad administranda sacramenta bilingue sit.

3. *Ad Missam*:

a) sit prima pars usque ad offertorium inclusum in vernacula populi respectivi lingua, ut sit in veritate instructio,

b) Ritus S. Missae accommodatus sit modo cogitandi et sentiendi populi.

4. Ad *Breviarium*: Breviarium liber sacerdotis sit per excellentiam, in quo totum contineatur: et orationes et formulae ad usum sacerdotis, pietatis exercitia quotidiana, seu iussa seu commendata in Codice Iuris Canonici ut sunt: meditatio, lectio spiritualis et Sacrarum Litterarum; examen conscientiae et generale et particulare, studium Theologiae, visitatio Sanctissimi, praeparatio et gratiarum actio ante et post Missam respective, oratio matutina et vespertina, confessio hebdomadalis, Rosarium B. M. V. ut pars Breviarii. Toto considerato duratio Breviarii sit unius horae.

5. Adhibeantur in Concilio omnes linguae mundi.

add.mus
Paternitati Tuae Em.mae

ANTONIUS KÜHNER Y KÜHNER
Praelatus Nullius Tarmensis

21

Rev.mi P. D. IGNATII M. DE ORBEGOZO Y GOICOECHEA
Praelati nullius Yauyosensis (Yauyos)

Yauyos, 12 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

In riferimento alla venerata lettera di Vostra Eminenza, mi onoro manifestare alla stessa Eminenza Vostra le « animadversiones, consilia et vota », di cui appresso, in vista del futuro Concilio Ecumenico, preannunziato da S.S. il Santo Padre Giovanni XXIII:

Sono lieto, innanzi tutto, di portare a conoscenza di V. E. il felice e fecondo esperimento che si sta compiendo in questa Prelatura, con grande profitto delle anime, di un gruppo cioè di sacerdoti diocesani appartenenti ad un noto Istituto Secolare. Poichè il detto esperimento appare pienamente soddisfacente, sotto ogni punto di vista, mi domando, e pongo dunque il quesito, se non sia il caso di favorire e incoraggiare il più possibile questa nuova forma di partecipazione del clero diocesano alla vita di perfezione evangelica. I sacerdoti diocesani appartenenti al detto Istituto Secolare si distinguono infatti, per la loro perfetta e completa ubbidienza al Prelato, e contribuiscono assai a creare, con la loro vita e il loro esempio, una unione più piena tra tutti i sacerdoti della Prelatura.

Le più grandi e gravi difficoltà per il ministero e l'apostolato nei territori di missioni — de iure vel de facto — derivano, come è ben noto, dalla scarsità del clero e dalle numerose esigenze dei fedeli che, per tale motivo, non possono essere soddisfatte. Avendo presenti tali esigenze e considerando il suddetto stato di fatto, passo a proporre alcune idee e suggerimenti, che, convenientemente vagliati e discussi, potrebbero forse offrire il modo di sopperire, in qualche misura, alle attuali difficoltà.

L'inserimento dei laici, mediante forme e modi bene pensati e ponderati, nell'apostolato e nella vita missionaria. Tali laici, tuttavia, dovrebbero essere solidamente formati nelle verità della fede e della morale, ed efficacemente preparati nei problemi specifici della vita missionaria.

In tale prospettiva potrebbe essere di grande utilità per la Chiesa profittare delle nuove energie e dei moderni metodi di apostolato degli Istituti Secolari. Essi, infatti, si raccomandano da soli e si affermano ovunque, nel campo dell'apostolato cattolico.

Gli Istituti Secolari, poi, che raggruppano professionisti tra i loro membri, potrebbero dare un sussidio ancora più efficace nell'apostolato missionario: i membri di tali Istituti potrebbero, infatti, apportare oltre alla loro opera di apostoli, anche il loro lavoro di tecnici ed esperti delle più svariate professioni.

Occorrerebbe occuparsi in modo particolare del problema delle persone che dalle terre di missioni vengono, principalmente in Europa, a fare i loro studi o a completare la loro formazione. Essi sono poi chiamati ad essere i reggitori dei loro paesi, o comunque ad esercitare un profondo influsso nella vita pubblica dei medesimi. Seguire e formare tali persone — meglio se si può fare in forma organica e sistematica, mediante apposite Istituzioni — equivale a mettere le basi sicure di un profondo e vasto apostolato missionario.

Forse potrebbe ritenersi oramai matura, almeno per la discussione nel futuro Concilio, la questione, in questi ultimi tempi più volte agitata, della costituzione come stato, non di transito o di passaggio, ma definitivo e permanente, dell'ordine del diaconato. I diaconi, « senza l'obbligo del celibato ecclesiastico », potrebbero supplire in parte alla gravissima scarsità di sacerdoti ed essere impegnati nella predicazione della parola di Dio e nell'insegnamento catechistico.

In questa linea di supplenza, per la scarsità di sacerdoti, si potrebbe vagliare l'idea se sia o meno conveniente organizzare giuridicamente, in seno all'ordinamento canonico, con funzioni chiare e precise, la figura del sagrestano. Esiste, se non erro, da vecchia data, nell'Austria, una Pia Unione dei Sagrestani, che potrebbe fornire qualche idea e suggerimento circa la sua esperienza in merito al problema.

Sembra, comunque, che tali persone qualora fosse curata bene la loro formazione, e fossero convenientemente retribuite dal punto di vista economico, potrebbero attendere a molte mansioni che, per quanto modeste, sarebbero sempre di grande utilità, e lascierebbero soprattutto i sacerdoti più liberi per dedicarsi al loro specifico ministero. In sostanza i sagrestani attendono oggi a molte mansioni che nella Chiesa primitiva erano proprie di alcuni ordini minori.

Davanti al grave problema delle numerose persone che nei territori di missione vivono in concubinato per la mancanza di sacerdoti che possano tempestivamente trasferirsi da un punto all'altro per benedire i matrimoni, pongo il seguente quesito che deve essere, ovviamente, vagliato e ponderato bene:

Non sarebbe conveniente estendere il caso dl matrimonio « coram solis testibus », previsto nel can. 1098 del Codice di diritto canonico, ad altri casi oltre quelli ivi sanciti? L'estensione di tale ipotesi al caso sopra

accennato della mancanza o grave scarsità di sacerdoti in terra di missione, potrebbe efficacemente contribuire a debellare la piaga del concubinato nelle suddette zone. Si potrebbe, poi, imporre una qualche cerimonia quando il sacerdote giunge, ed il provvedere, ovviamente, alla iscrizione di tali matrimoni negli appositi registri o libri di anime.

Sarebbe ancora opportuno chiedersi se non sia il caso di ridurre ulteriormente l'Ufficio divino. La recitazione del Breviario non dovrebbe richiedere ai sacerdoti impegnati in cura di anime uno spazio di tempo superiore ai venti minuti. Ritengo siano molti i peccati che oggi si commettono nella Chiesa per l'omissione della recitazione dell'Ufficio. D'altra parte, si è costretti ad ammettere che oggi i sacerdoti sono assai più impegnati di quanto lo erano una volta, in necessari ed estenuanti lavori di apostolato. Si potrebbe, pertanto, lasciare l'obbligo attuale per i religiosi che hanno come fine specifico tale mansione, nonchè per i canonici, e ridurlo, invece, per tutti gli altri, al tempo sopra accennato.

È ancora il caso di notare come uno dei problemi che richiama di più l'attenzione degli Stati e degli Organismi internazionali, sia quello dei paesi sottosviluppati. La soluzione che si dia a questo problema e i metodi e le forme che verranno adottate, non potranno non avere una profondissima influenza nell'andamento dei territori di missioni, in quanto tali territori sono, almeno al momento presente e di fatto, delle zone sottosviluppate. Ciò premesso appare quanto mai necessario un intervento ed un influsso della Chiesa e dei Suoi rappresentanti nello studio e nella soluzione dei detti problemi. Sarebbe da augurarsi che rappresentanti della Chiesa fossero presenti in tutti gli organismi internazionali creati allo scopo di occuparsi dei problemi concernenti i paesi sottosviluppati, e che la loro presenza in tali organismi avesse una veste più qualificata di quella di semplici osservatori. Se in detti organismi potessero anche essere rappresentati quegli Istituti o Istituzioni che sostengono in buona parte il peso delle missioni cattoliche, portando il loro contributo di apostolato e di civiltà, ciò segnerebbe un ulteriore passo in avanti nella soluzione di molti problemi missionari.

Tutto ciò è quanto sento di dover comunicare all'Eminenza Vostra in vista del futuro Concilio Ecumenico, mentre mi chino al bacio della Sacra Porpora e, con sensi di profonda venerazione, mi dico

dell'Eminenza Vostra Rev.ma
devotissimo nel Signore
IGNAZIO MARIA DE ORBEGOZO Y GOICHOECHEA
Prelato Nullius di Yauyos

22

Exc.mi P. D. ANGELI RODRIGUEZ GAMONEDA

Episcopi tit. Gazerensis, Vicarii Ap. Iquitosensis (Iquitos)

Iquitos, 17 octobris 1959

Eminentissime Pater,

Humillime ante Eminentiam tuam Rev.mam offero responsiones in litteris 1 C/59-1779, diei 18 iunii 1959 a me gratiose quaesitas circa res maximi momenti in proximo Concilio Oecumenico tractandas simulque consilia et vota quae adiuvare poterunt ad eas feliciter persolvendas.

Necessitatibus Ecclesiae mature perpensis et prae oculis habens quae ad nostrum Vicariatum spectant, ante Eminentiam Tuam Rev.mam, filiali fiducia, sequens expono:

a) *Quoad doctrinae capita*: Declaratio dogmatis Beatam Virginem Mariam Mediatricem esse omnium gratiarum.

b) *Quoad cleri disciplinam*: 1), Ut Pastores a protestantismo conversi recipere valeant ordines sacros, dummodo virtute praediti, in sacris disciplinis versati fuerint, non obstante vinculo matrimoniali quo fortasse sint ligati. Et hoc etiam applicari liceat ministris ex schismate provenientibus; 2), Ut vita paroecialis communis clero saeculari restauretur; 3), Ut clerici veste uti valeant non talare, sub Episcoporum tamen vigilantia et prudente iudicio; 4), Ut in Seminariis et Religiosorum formationis domibus, rationes studiorum ad mentem Pii Papae XI in eius Encyclica *Ad Catholici Sacerdotii* et Pii Papae XII in sua Encyclica *Sedes Sapientiae* expressam, in moderatione iuvenum ad sacerdotium aspirantium, stricte imponantur.

c) *Quoad disciplinam populi christiani*: 1), Ut pristina restauretur disciplina, scilicet, ut ad sacrum diaconatum ordinem saeculares viri, virtute et competenti scientia praediti, seligantur; 2), Ut in administratione baptismatis, Confirmationis et Sanctae Unctionis Sacramentorum lingua vernacula uti liceat, et etiam in aliquibus S. Missae partibus; 3), Ut fideles Panem Eucharisticum horis vespertinis etiam extra Missam accipere possint, servato tamen ieiunio et adstante rationabili causa; 4), Ut in omnibus formationis sacerdotalis domibus, tam saecularibus quam regularibus, iuvenes in scientiis psychologicis, debite exerceantur; 5), Ut, quantum fieri possit, saltem ad experimentum, laicalia virorum Instituta erigantur, eo ut opifices unice apostolatum exerceant, salva semper tamen vita communi.

Haec sunt, Eminentissime Pater, quae, paucis verbis, exponere censui. Interea mihi pergratum est pro felici successu Oecumenici Concilii opem a Deo implorare.

Addictissimus in Domino
✠ Angelus Rodriguez Gamoneda
Episcopus tit. Gazerensis
Vicarius Ap. Iquitosensis

23

Exc.mi P. D. XAVERII M. ARIZ HUARTE

Episcopi tit. Baparensis, Vicarii Ap. Portus Maldonadi
(Puerto Maldonado)

30 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Periucundum mihi est responsum aggredi Eminentiae Tuae Circulari 1 C/59-2178, qua tua benignitas me honoravit.

Imprimis veniam Tibi precor, Eminentissime Domine, propter notabilem huius responsionis moram variis circumstantiis causatam, praesertim quia praedicta Epistola Circularis tarde mihi advenit, vel propter inesperatum decessum Antecessoris Nostri Exc.mi et Rev.mi Fr. Iosephi M. García Graín, O. P., Vicarii Apostolici Portus Maldonadi, cuius officium ex statuto *C.I.C.* 355, mox assumere debui.

Post igitur maturam considerationem necnon virorum prudentium ac peritorum consultationem, opportunum mihi visum est sequentia breviter ad Pontificiam Commissionem modeste proponere:

1. Urgeantur Catholici ut caritatem evangelicam ad praxim reducant: praecipue quando agitur de his qui bona fide militant in sectis dissidentibus, et caritate atque practica benignitate has oves deperditas instanter quaerant, et recipiant.

2. Plurimum valeret ad incrementum influentiae doctrinae mariologicae in vita spirituali fidelium ut S. Concilium Oecumenicum *Dogma* fidei proponat atque declaret *Mediationem Universalem* B. M. V.

3. Attenta magna penuria vocationum sacerdotalium (praesertim his in regionibus) precamur ut Concilium Oecumenicum videat utrum possibile sit Ordines Maiores ad modum status permanentis constituere, scilicet, ut admittantur vocationes ad diaconatum et subdiaconatum, ita ut candidati possint efficacius collaborare cum presbyteris quoad publicum apostolatum, videlicet praedicationem, quorumdam sacramentorum ad-

ministrationem, catechesim, et alia huiusmodi. Insuper quod Ordinibus Minoribus concedatur maior activitas in Ecclesia, saltem quoad propria uniuscuiusque. Sic, ni fallor, facilius pararetur accessus iis qui ex aliis confessionibus christianis ad nos volunt se convertere.

4. Ut sacramentorum frequentia magis in dies foveatur, fortasse oporteret iurisdictionem ad confessiones fidelium audiendas magis amplificari, verbi gratia, hoc modo: quod, dum constet habilitas seu actualis approbatio sacerdotis, a proprio ordinario prolata ad excipiendas confessiones, hoc sufficiat ad quamcumque dioecesim indistincte, servata tamen potestate Ordinarii loci.

5. Item, ut praeceptum annuale communionis adimpleri possit per totum annum, tum propter difficultatem attendendi omnibus fidelibus tempore praescripto, tum quia multi extra hoc tempus, ut v. g. in fine vel initio anni, ad Eucharistiam malunt accedere.

6. Item, ut perpendatur possibilitas recitandi lingua vernacula formulam aliquorum sacramentorum praesertim Baptismi, Matrimonii et Extremae Unctionis saltem quoad partes quae faciliorem reddant subiecto intelligentiam sacramenti significationis.

7. Attentis rerum adiunctis, considero dispositiones circa observantiam tum abstinentiae, tum ieiunii Ecclesiae ad arbitrium Ordinarii loci relinqui debere, nam dispositiones *C.I.C.*, eo quod sunt universales, frequenter propter varias circumstantias absque effectu remanent.

8. Item, pensatis temporibus et exigentiis hodiernis, opportunum mihi videtur ut ad praxim quantocius feratur simplificatio habitus clericalis in via deferendi.

9. Relate ad congregationes vitae activae utriusque sexus, et praesertim femininae, bonum esset si statuta propria simplificarentur, praecipue quoad quaedam pietatis opera valde secundaria, quae, ut non raro contigit, certe maiorem et efficacem influentiam socialem impediunt. Item praedictis congregationibus enixe insistere ut quamvis sint ex iure pontificio, tamen in his quae apostolatum respiciunt, strictam subiectionem ad Ordinarium loci habeant.

Denique, ex corde Augusto Pontifici Ioanni XXIII, fel. regn., gratias agimus propter convocationem S. Concilii Oecumenici. Siquidem, hac de causa, sua suprema voce fidem credentium roboraverit, animumque erexit, necnon spem totius mundi hodierni in abyssum pessimismi atque desperationis cadentis sublevavit ac magnifice refovit.

Quapropter, ex his dissitis et selvaticis regionibus una cum fidelibus et neofitis, ex corde huic salvifico proposito adhaeremus, et, ut desideratum exitum obtineat, quotidie nostras humiles preces ad Patrem Luminum elevamus.

Interim humiliter impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus
✠ XAVERIUS M. ARIZ HUARTE
Episcopus tit. Baparensis
Vicarius Ap. Portus Maldonadi

24

EXC.MI P. D. VALERIANI L. ARROYO

Episcopi tit. Gomphensis, Vicarii Ap. Requenaënsis (Requena)

31 augusti 1959

Eminentissime Princeps!

Dissitis ex peruvianis regionibus, quo die 18 iunii anni currentis litteras mihi miseras, absens cum per tempus essem, nunc die 31 augusti easdem a te accepi. Cum vero, pro viribus meis, parvis quidem, ad magni futuri Concilii Oecumenici exitum collaborare velim, haec de re missionaria, quae ad me certe pertinet sub oculis vestris ponere opportunum censeo:

1. Si praevisioni humanae inhaereamus factum quoddam lamentabile mox futurum cernimus, Catholicismum, scilicet, apud nationes hispano-americanas invalescente propagatione protestantica, validis quidem mediis materialibus suffulta, labefactandum esse. Quibus in adiunctis urget communis catholicarum virium conspiratio qua quidquid sit cristiani nomini et extendatur et ad statum splendoris reducatur.

2. Item, quamprimum sacerdotes ad missiones hispano-americanas mittantur; sed qui mittendi sunt, iidem efformatione theologica et philosophica accurata et solida clarescant.

3. Quod ad munus tradatur nostris in seminariis theologia quae, more augustiniano-bonaventuriano, non sedes dumtaxat argumentorum, sed potius sit fons sapientialis.

4. Necesse quoque est apud Religiosos Ordines Procuratorem missionum nationalem pro sua quaque missione institui, cuius sit procuratores provinciales constituere, quibuscumque impedimentis ad munus eorum rite exercendum omnino sublatis.

5. Superiores Religiosi ne audeant suos subditos vocatione missionali adauctos devios reddere neque frustrari.

6. Necesse quoque est necessitates omnes missionum inspicere et circumspicere, ut opportunum eisdem paretur remedium.

7. Denique, apud catholicos, efformationi tam intellectuali quam spirituali ad sacerdotii culmen evehendorum, maxime attendatur ut ad ardua quae aetas nostra praebet tractanda, apprime sint parati.

Haec tibi, Eminentissime Princeps, summa per capita affero, ad hoc ut pro exiguitate mea communi oneri humerum quoque meum supponam.

Tibi addictissimus in Christo

✠ VALERIANUS L. ARROYO
Episcopus tit. Gomphensis
Vicarius Ap. Requenaënsis

25

EXC.MI P. D. IOSEPHI D. LABERGE

Episcopi tit. Clypiensis, Vicarii Ap. Sancti Ioseph de Amazones
(San José de Amazonas)

Lourdes, 15 augustis 1959

Excellentissime ac Reverendissime Domine,

Pergratum mihi est, Exc.me ac Rev.me Praeses, summa cum reverentia et devotione erga Sanctam Sedem, humillima ac paucissima vota mea, brevi oratione, proponere, secundum postulatum a Pontificia Commissione antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico benigne mihi transmissum.

Religiosus ex ordine Seraphici Sancti Francisci, plurium annorum decursu missionarius ac postea Vicarius Apostolicus Sancti Iosephi de Amazones, nihil in Domino mihi optatius est quam ut Christi Regnum citius sese extendat ad illos omnes qui huc usque *verbum Evangelii* (*Act.* XV, 7) non audierunt.

Quia *venit hora ut clarificetur Iesus Christus* (*Io.* XVII, 1-2), exopto ut proximum Concilium Oecumenicum media requirat firmiterque statuat regulas aptas quibus efficacius ac universalius Vocationes Missionales, quas apud Instituta Religiosa et Congregationes Monialium *gratia Domini nostri* superabundanter suscitat (*I Tim.*, 1, 14), de facto et in effectu *ad profectum Evangelii* (*Phil.* 1, 12) in Missionum regionibus applicentur. Non raro pro re comperta habui Religiosos, Fratres Docentes et Mo-

niales, ad *opus Christi* (*Phil.* 2, 30) anhelantes optimeque sese habentes, propria vocatione omnino deterreri, quod etiam apud Instituta, regula, iure ac constitutionibus Missionalia, saepius accidit.

In votis insuper haberem quod proximum Concilium Oecumenicum, Institutis religiosis, praesertim Monialium, quae Exc.morum Ordinariorum auctoritati immediate subiiciuntur, facultatem plenam *libertatemque Christi* (*Gal.* 4, 31) concedat, ita ut iure possint sive mittere Missionarios vel Moniales ad infideles sive quodcumque opus, ad Evangelii propagationem spectans, intra Missionum territoria instituere vel in regimen accipere ad instantias Apostolicorum Vicariorum, cum saepe saepius ita ante et exclusive ad utilitates propriarum dioecesium extra Missiones applicentur ut via omnis ad Evangelizationis ministerium undique illis clausa sit.

Hoc tandem in votis esset ut proximum Concilium Oecumenicum clare definiat quae sint propria ac specifica opera Missionalia et quae sint conditiones qualitatesque quibus iure meritoque quis ut missionarius habendus sit. Non raro enim nimis extenditur ratio sive conceptus Missionis, ita ut quodcumque opus pium, intra regionum catholicarum limites actum, hac voce designetur, nec desunt qui sese gloriantur rem missionariam agere, etsi unice ad dioecesium vel Paroeciarum utilitates ac servitium, intra catholicas regiones intendant. Quae cum ita sint, non raro ea quae a fidelibus, intuitu Missionum inter infideles, offeruntur, nullius proventus pro Missionibus et fidei propagatione extant ac conditiones Missionum in peius de die in diem vertuntur.

Haec sunt, Exc.me Domine, humillima vota quae proximi Concilii Oecumenici deliberationibus proponere exoptarem, si id clarissimae Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae opportunum visum fuerit.

Gratos sensus animae, Exc.me ac Rev.me Domine, tibi ex ipso cordis intimo profiteor

In Christo addictissimus

✠ IOSEPH D. LABERGE
Episcopus tit. Clypiensis
Vicarius Ap. Sancti Ioseph de Amazones

26

Exc.mi P. D. LEONIS DE URIARTE BENGOA

Episcopi tit. Madaurensis, Vicarii Ap. S. Raymundi
(San Ramón)

San Ramón, 8 septembris 1959

I. *Circa rem dogmaticam*

1. Mihi videtur convenire definitio dogmatica *Mediationis Beatae Virginis* in genere, his simplicibus verbis: *Beata Maria Virgo, una cum Christo Domino, est vere Mediatrix Universalis apud Deum.*

2. Mihi videtur etiam convenire definitio dogmatica *Beatae Mariae Virginis* in sua *Maternitate Universali* totius generis humani ita ut dicatur: *Beata Virgo per voluntatem Filii sui Iesu Christi redemptoris est vere mater spiritualis totius generis humani.*

3. Videtur denique definiri posse S. Ioseph ob suum munus princeps Patris putativi Domini Iesu Christi et veri sponsi Beatae Mariae semper Virginis Matris Dei, ideoque omni iure vere caput Sacrae Familiae Patronusque Ecclesiae Sanctae Dei, post Iesum et Mariam, omnium Sanctorum Princeps esse apud Deum atque hyperduliae Cultus tribuendus, *Sancto Ioseph.*

II. *De rebus ad Disciplinam pertinentibus*

1. Modus procedendi Congregationis Sancti Officii mihi videtur nimis durus et aliquando etiam inhumanus et inquisitorialis nimis, repugnans modo agendi in iudiciis nostris his temporibus eo quod non datur fere, supposito reo, possibilitas sciendi accusatorem neque accusationem in concreto neque locum defensionem agendi; sed praecipue durissimae videntur poenae non raro quin fere detur locus paenitentiae satisfactoriae neque spei rehabilitationis emendatoriae cum hic videatur finis praecipuus Sanctae Matris Ecclesiae: ex quo oritur impaenitentia sacerdotum usque in articulum mortis cum innumeris sacrilegiis in vita et obdurationem cordis in ipsa morte. Videntur ergo, desiderari clementia atque misericordia Sanctae Matris Ecclesiae absque praeiudicio iustitiae et iustae paenarum vindictae.

2. Ut in dies magis ac magis effulgeat *unitas Ecclesiae* in Oratione

Liturgica videtur convenire omnimodam uniformitatem tum in recitatione Divini Officii tum in celebratione Sanctae Missae, saltem in Patriarchatu occidentali; ita ut tum Breviaria tum Missalia sint omnino identica pro omnibus Sacerdotibus tum Saecularibus tum Religiosis.

3. Ut Apostolatus in dies amplior atque facilior evadat instituantur homines *Diaconi* et etiam *Diaconissae* qui possint praedicare Verbum Domini, administrare sacram Communionem, ita ut Sacerdotibus reservetur tantum id quod omnino requirit characterem sacerdotalem ut est confectio Sacrae Eucharistiae et absolutio in Sacramento Poenitentiae. His Diaconis permittatur matrimonium quin tamen possint postea Sacerdotes fieri perdurante matrimonio quod inierunt.

4. Ut habitus ecclesiasticus sit simplex sicut etiam religiosus tunc pro viris quam pro mulieribus, sed praesertim uniformis pro omnibus.

5. Ut Vota pro omnibus Religiosis sive viris sive mulieribus sint simplicia tantum atque de tempore in tempus renovanda sub dependentia Superiorum.

6. Ut Clausura Papalis non amplius subsistat sed tantum Clausura Ordinario loci subiecta.

7. Ut Omnes ecclesiastici vel religiosi vel saeculares possint sub licentia Ordinarii Loci Apostolatui incumbere vel etiam ad Missiones pergere cum licentia suorum Superiorum.

8. Ut omnes ecclesiastici sive viri sive mulieres *signum distinctivum* suae Professionis ferant; possit tamen Ordinarius Loci ob rationes sibi bene visas ab illo portando aliquando eximere aliquem.

9. Ut matrimonium civile solemne et legaliter celebratum inter christianos possit habere effectus religiosos sive Sacramenti, cum obligatione quamprimum Curiae sive paroeciali sive episcopali nuntiandi huiusmodi celebrationis notitiam.

10. Ut praeter Liturgiam Sacrae Ordinationis atque sancti Sacrificii Missae omnia Sacramenta Ecclesiae ministrari possint in lingua vernacula.

11. Ut Corona clericalis non amplius subsistat.

12. Ut Episcopi et Ordinarii Locorum in sua iurisdictione maiori iure et libertate agendi gaudeant ad normam tamen Sacrorum Canonum.

13. Ut decimo quoque anno in quacumque provincia ecclesiastica Concilium provinciale habeatur et quinto quoque anno eadem provincia ecclesiastica Conferentias episcopales, habere possit.

14. Ut pro abiuratione massonica vel haeretica sufficiat receptio publica ac devota Sanctorum Sacramentorum.

His humiliter expositis Eminentiae Tuae Rev.mae ac Tuam Sacram Purpuram devote exosculans,

Add.mus maneo in Domino
✠ LEO DE URIARTE BENGOA
Vicarius Ap. S. Raymundi
Episcopus tit. Madaurensis

27

EXC.MI P. D. ALCIDAE MENDOZA CASTRO
Episcopi tit. Metrensis, Auxiliaris Abancaiensis

Dabam Abancai die 18 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Magna cum reverentia, pergratum est mihi notum facere tibi me tuas venerandas litteras 1 C/59-2694 accepisse quas scripsisti omnibus loci Ordinariis, communicans Summum Pontificem Ioannem XXIII, feliciter Regnantem, die 17 maii 1959, in Festo Pentecostes, pro futuro Concilio Oecumenico Commissionem Antepraeparatoriam instituisse, et Te Eidem praeesse.

Cum desiderium Augusti Pontificis, opiniones Episcoporum sit cognoscere, libenter et cum humilitate, quas probatos sacerdotes huius Dioecesis consultans formulavi, tibi expono:

1. Sunt Parochi in locis in quibus vigilantia Ordinarii immediata, distantiae causa, non est possibilis, qui habitualiter duas celebrant Missas et quidam eorum, a vera necessitate moti, nam in pastoralibus nostris visitationibus notitiam accepimus paupertatis eorum. Suggero, ut omnes Ordinarii facultate sint praediti permittendi sacerdotibus vere egentibus, duarum Missarum celebrationem ut sic a culpa liberi sint.

2. Ut ad fidelium maius servitium spirituale consuletur, omnes Parochi Altaris portatilis privilegio gaudeant, et pro ara antimensium permittatur.

3. Cum Parochorum magnus sit labor, istis in regionibus, inopia sacerdotum causa, et ad consulendum Altissimi ministrorum pietati, Officium Divinum reducatur, ita ut omnes hanc sacram obligationem adimplere possint.

4. Sunt regiones in quibus recursum immediatum ad Ordinarium impossibile est. Omnes Parochi Baptismum adultis cum parvulorum formula ministrandi facultate gaudeant, servando conditiones quas Codex Iuris Canonici, quoad notitiam Doctrinae Christianae statuit.

5. Ut fideles, Sacri in auditione, magis ac magis proficiant, statuatur ut pars instructiva Sanctae Missae, v. g. Epistola et Evangelium, in vernacula lingua dicatur. (Et in regionibus a vulgo « Sierra » appellatis, etiam in propria lingua incarum « Quechua »). Statuaturque pro omnibus regionibus Rituale in lingua vernacula.

6. Provideatur ad specialem Commissionem statuendam quae Doctrinae capita et principia studeat ut Christianarum Confessionum unio assequatur.

7. Ordinum Regularium exemptio ordinetur; omnesque Religiosarum Ordines, ad Ordinarii loci auctoritatem submittantur; imponaturque religiosis obligatio in Ministerio Paroeciale laborandi. Similiterque Ecclesiarum Cathedralium Canonicorum conditio reguletur, ita ut omnes Canonici in paroeciis laborent.

8. In tota Ecclesia Ritus et Ordo Missae et Divini Officii persolvendi et peragendi, etiam in Religiosorum Ecclesiis unificetur. Simili modo, vestis ecclesiastica omnibus sacerdotibus dioecesanis etiamque religiosis, unica sit.

9. Cum ad Ecclesiae proventum, Conferentia Episcoporum Latinae Americae (Celam) multum contribuat, ad totam Ecclesiam haec institutio extendatur.

Humiliter Sacram Purpuram osculans, Eminentissimum Dominum Cardinalem Praesidem adprecor, ut meam adhaesionem, sinceramque considerationem acceptare dignetur, dum in Christo addictissimus maneo.

✠ Alcides Mendoza Castro
Episcopus tit. Metrensis
Auxiliaris Abancaiensis

URUGUAY

1

Exc.mi P. D. MICHAËLIS PATERNAIN

Episcopi Floridensis (Florida)

Floridae die 1 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Responsionem ad litteras Eminentiae Vestrae Reverendissimae diei 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-449, via aerea die 11 augusti anni transacti misi.

Nunc honorem mihi duco aliud exemplare istius responsionis ad Eminentiam Vestram mittere.

Qua par est reverentia, Sacram Purpuram deosculans, me profiteor Eminentiae Vestrae Reverendissimae humillimum servum

✠ Michaël Paternain
Episcopi Floridensis

Floridae, die 10 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litterae Eminentiae Vestrae Reverendissimae 1 C/59-449 die 18 iunii datae, ad me die 15 iulii proxime transacti pervenerunt, easque iterum coram Deo sedulo perpendi.

Inter res atque argumenta quae proponi poterant ut in proximo Concilio Oecumenico tractarentur, hoc unum, brevissime, huic minimo Episcoporum significare liceat, scilicet: ut in Concilio definiantur tamquam dogmata fidei: *Mediatio universalis* B. Mariae Virginis atque eiusdem *maternitas spiritualis* hominum in ordine supernaturali gratiae.

Hae veritates a fidelibus piissime profitentur, a sacerdotibus praedicantur, ab Episcopis ubique docentur; Summi Pontifices passim in documentis allocutionibusque de B. Maria Virginis agentes, Eam Mediatricem Universalem omnium gratiarum Matremque spiritualem hominum devotissime proclamant; Sancti Patres, Scriptores Ecclesiastici, Ecclesiaeque Doctores praedictas veritates apertissime tradunt. Ad haec addere iuvat postulationes innumeras Nationum, Dioecesium, Societatum, Instituto-

rum, Congressuum, iam ad Petri Cathedram pervenisse hanc duarum veritatum marianarum definitionem enixe humiliterque implorantes.

Quam vero peropportuna, hac nostra aetate praesertim, cum homines ope auxilioque Mediatricis Matrisque dulcissimae maxime indigeamus, sit haec duplex definitio; quantopere Ecclesiae Christi, inter tanta quibus premitur discrimina, sit profutura; quanta denique coelestia bona ipso allatura sit Concilio, facile intelligi potest.

Adsit Beata Virgo Maria isti Pontificiae Commissioni; adsit Concilio « quod universae Ecclesiae permagni interest », atque a Deo Optimo Maximo « eius felicem exitum impetret, votisque faveat atque spem cumulet » Beatissimi Patris Ioannis XXIII, Quem Deus diu nobis sospitem servet.

Interea, qua par est reverentia, Sacram Purpuram deosculans, Eminentiae Vestrae Reverendissimae permaneo in Iesu et Maria humilis servus

✠ MICHAËL PATERNAIN
Episcopi Floridensis

2

EXC.MI P. D. IOSEPHI M. CAVALLERO
Episcopi Melensis (Melo)

Meli, die 23 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Cum litteras tuas acceperim, Prot. N. 837, valde mihi honorabiles, die 18 iunii huius anni, a te Praeside Tribunalis Antepraeparatorii, pro futura Oecumenica Synodo missas; quibusque litteris, in nomine Augusti Pontificis petis nonnullas opiniones, circa illa quae possint pertractari, a dignissimo Tribunale, cui laudabiliter Eminentia tua Romae, praesidet.

Quapropter, post diligentissimam et accuratissimam disquisitionem, necnon adiutorio Domini invocato, humiliter adducere audeo propositiones subsequentes:

I

a) Sit Ordinario maior auctoritas in eo quod attinet ad disciplinam et scientiarum inquisitionem in Scholiis, Collegiis, Universitatibus etc. a religiosis rectis.

b) In directione Catecheseos habeat Ordinarius maximam auctoritatem praesertim circa textum, programmata, systemata docendi christianam doctrinam etc.

c) Examen et revisio circa exemptionem seu immunitatem canonicam religiosorum in genere.

II

Revisio et examen circa legislationem dispositivam de administratione SS. Sacramentorum.

III

a) Summa directio Apostolatus externi sit omnino in manibus Ordinarii loci.

b) Ubinam sit in concreto, laicorum locus, circa rem ecclesiasticam.

IV

a) In Seminariis Maioribus: legislatio et recta directio.

b) In Seminariis Minoribus: accuratissima revisio et correctio secundum tempora hodierna.

V

a) Augere aetatem ad ordinationem sacerdotalem; necnon revocare pristinum diaconatum ad iuvamen parochorum praesertim ubi necesse sit.

b) Praebere Ordinariis ampliores facultates, ut reducere possint ad statum laicalem sacerdotes indignos, rebelles, renuentes mandata Superiorum vel Episcopi; aut qui Spiritum sacerdotalem infeliciter perdiderint, et non amplius sentire valeant cum Ecclesia.

c) Curare, disponere, ut Clerus magis ac magis religiosus sit, severiore mediante disciplina in Seminariis, ita ut eradicetur et expellatur lugendus spiritus modernus, sese manifestans per absentiam omnino austeritatis et subiectionis; per excessum summae libertatis in rebus profanis; per despectum et contemptionem morum et traditionum maiorum; per frivolam agitationem, multoties et mundanam (activismus).

Curandum est, ut Religiosi laborent ad mentem Episcopi, una cum Clero Dioecesis, in Vinea Domini.

IV

Circa Praeceptum Paschale: ut valide et licite adimpleri possit, quocumque anni tempore, cum receptione S. Confessionis et Sanctissimae Eucharistiae.

Relatis praecedentibus opinionibus, iam vero opportunum mihi videtur Eminentiam Tuam Rev.mam humiliter salutare cum profunda benevolentia in Christo Iesu, dum reverenter Sacram deosculor Purpuram.

Addictissimus in Christo
✠ IOSEPH M. CAVALLERO
Episcopus Melensis

3

EM.MI P. D. ANTONII M. CARD. BARBIERI
Archiepiscopi Montisvidei (Montevideo)

Montisvidei, die 26 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Propositiones quas a me Eminentia Tua humanissime postulaverat litteris die 18 iunii, Prot. N. 1 C/59-45 datis, libenter nunc Eminentiae Tuae Rev.mae hac cum epistula remitto.

Res, ut Eminentia Tua hisce litteris asseverabat, certe magni momenti cum sit, magna cum prudentia procedere volui.

Ob hanc causam, Commissionem, cui Ego Ipse praefui, accurate institui et ad eam convocavi viros et Ecclesiasticos et Religiosos, inter quos recensere liceat Exc.mum D.num Antonium Corso, Episcopum Auxiliarem huius Archidioeceseos: Ill.mum D.num Aloysium R. de Santiago, Vicarium eiusdem Generalem; Ill.mum D.num Michaëlem Balaguer, Provisorem Iustitiae; Ill.mum D.num Omar Mangado, Cancellarium Curiae; Ill.mum D.num Canonicum Vincentium Petingi; R.dum D.num Praesb. Haroldum Ponce de Léon; denique R.dos PP. Ioannem Albertum Sancho, S. I.; Ildephonsum de Santa Fé, O. F. M. Cap.; Aloysium Muro, O. P.; Ferdinandum Falgade, S. D. B., qui omnes, una mecum postquam suppliciter Spiritum Sanctum invocaverimus et labori indesinenter incumberimus, has quas Tuis Venerabilibus Manibus pono, propositiones tandem conficimus.

Quod a me Eminentia Tua postulavit ad finem existimo fideliter me perduxisse et hac de causa sciat Eminentia Tua me obsecuturum quod a me Eminentia Tua fraterne deprecetur in illis rebus quibus Tibi utilis ego videar.

Hanc occasionem arripiens Tuas sacras Manus deosculor atque addictissimum ac devotissimum servum Me profiteor

✠ ANTONIUS M. CARD. BARBIERI
Archiepiscopus Montisvidei

I. BIBLIA

Maior eius cognitio in populo foveatur.

Ad id obtinendum sequentia proponuntur:

a) Diem Universalem Bibliae instituere;

b) Typis mandare, magna exemplarium quantitate, Editiones universales in lingua vernacula cum notis acclaratoriis circa partes quae obiciuntur.

II. THEOLOGIA DOGMATICA

1. Dogmatica Proclamatio Deiparae Virginis Mariae omnium gratiarum Mediatricis enixe postulatur.

2. Vividius ac practice studium Dogmatum fiat, ita ut ipsa exponantur non solummodo ad argumentationes sustinendas, sed ad vitam christianam excolendam.

3. Prae oculis etiam habeantur apportationes Theologiae Orientalis.

4. Exponatur sensus communitarius Corporis Mystici, i. e., Theologiam ad laicorum actionem individualem et familiarem referendo.

5. Ostendatur Ecclesia, Corpus Mysticum, vivificans societatem hierarchicam.

III. CODEX IURIS CANONICI

De normis generalibus

Clarius determinetur dispositiones canonicas, quae obligant sub peccato, acatholicos non obstringere, nisi ex ipsa rei natura exigatur.

De personis

A) *De clericis*:

1. Canonice et definitive designetur Clerus usque modo Saecularis vocatus, Clerus Dioecesanus.

2. Propter necessitatem in labore intensivo erga curam animarum restauretur in Ecclesia officium atque ordinatio Diaconorum.

3. Imponatur onus Clero Dioecesano vacandi Exercitiis Spiritualibus omnibus annis, loco tertio quoque anno, et praedicta Exercitia proten-

dantur ad septem integros dies; modo Ordinariis liceat ab hac obligatione eximere.

4. *a*) Simplificetur et imminuetur, diebus dominicis et festis praecipue, Officium Divinum, quibus maior est Sacerdotum labor.

Manente duplici ritu ut simplex recitetur, i. e., cum novem Psalmis et tribus Lectionibus: una de Sacra Scriptura, altera de festo Sancti et tertia de Homilia. Supprimantur Psalmi de secundo loco et feriales preces.

b) Lectiones seligantur tum ex Sacra Scriptura tum de Sanctis Patribus ut constituant aptam materiam ad meditationem et praedicationem Sacerdotum.

c) Vocentur partes Breviarii non secundum partes anni quae in utroque hemispherio non coincidunt, sed simpliciter nominentur: *prima, secunda, tertia, quarta pars.*

5. Omnibus Sacerdotibus, vel saltem Superioribus localibus et Parochis concedantur facultates ex privilegio concessae aliquibus Ordinibus vel personis, e. g., Viam Crucis erigendi, Rosaria et Crucifixos benedicendi solo signo crucis atque imponendi scapularia.

6. *a*) Ad quaedam praeiudicia destruenda, quae unitati obstant christifidelium, universalitas procuretur in constituendis Congregationibus Romanis quae intersunt in Ecclesiae gubernatione, ita ut in talium Congregationum constitutione universalitas appareat.

b) Evidens enim est efficacitas personarum quae laborant in Congregationibus Romanis postquam acceperint experientiam in rebus gerendis quas resolvere debent.

7. Coetus creentur Religiosorum et Laicorum in Curiis Dioecesanis cum apta et necessaria auctoritate ad interveniendum in negotiis propriis sub iurisdictione Episcopi.

B) *De religiosis*:

1. Fiat totalis recognitio systematum Domuum Probationum Religiosorum et Religiosarum, secundum activitates quas postea evolvere debebunt.

2. Solutio indicetur parvis Congregationibus quae, ob earum exiguitatem membrorum et domiciliorum difficultates habent in recta candidatorum efformatione.

Impediantur ergo novae fundationes Congregationum quorum fines iam ab aliis fundatis praevidentur.

3. Recognoscantur, Sanctae Sede mediante, Religiosarum « Consuetudinaria » seu « Directoria » quae decimo quoque anno examinabuntur

ut talia, temporibus moribusque nationis ubi labores exercent, accommodentur.

4. Urgeatur praecise et concrete Religiosarum collaboratio in apostolatu paroeciali ad nutum Ordinarii loci.

5. Simpliciores reddantur Religiosorum ac Religiosarum vestes.

6. Leges proponantur ut maior collaboratio sit inter Clerum Dioecesanum et Religiosum.

7. Superiores locales et provinciales Religiosorum compellantur ad lucrum atque utilitates domiciliorum in ipsa natione in qua degunt expendenda, ita ut eis non liceat ad externas nationes mittere nisi quantitatem a Sancta Sede praestabilitam.

De rebus

1. Hac in natione, quo ex omni loco et gente immigrantes confluunt difficilis exoritur circumstantia ex eo quod parentes baptizare debent filios secundum proprium ritum; eis igitur libertas relinquatur ut seligant ritum baptismi erga filios secundum commoditatem et convenientiam (can. 756).

2. Leges instituantur praeparationis ad Confirmationem recipiendam; et insuper aetas duodecim annorum ad eam accipiendam stabiliatur (can. 788).

Relinquatur tamen discretioni Ordinariorum haec lex, si forte feratur, nam aliquibus in locis difficile erit omnibus pueris ad Confirmationem accedere quando praedictam agunt aetatem.

3. Gaudeant Ordinarii loci facultate permittendi binationem (manente hodierna legislatione circa stipendia) diebus ferialibus quando ita exigit bonum animarum.

4. Liceat eisdem permittere, iuxta eorumdem criterium, usum altaris portatilis, celebrationem Missae sine acolithis et usum Antimensium.

5. Liceat Missam celebrare quacumque hora diei secundum necessitates christifidelium.

6. Recenseatur lex ieiunii eucharistici reducendo tempus praescriptum ante Communionem, tum quoad liquidum, tum quoad solidum cibum, sine determinatione temporis pro aqua vel medicamentis.

7. Facultas impertiatur communicandi quacumque hora diei.

8. Extendatur, ad urgendam obligationem, tempus Communionis Paschalis.

9. Liceat Sacerdotibus guadentibus facultatibus in propriis Dioecesibus, eisdem uti in tota natione et per octo continenter dies quando ad aliam nationem pervenerint.

10. Liceat Sacerdotibus ubique terrarum aliorum Sacerdotum audire confessiones.

11. Protendatur tempus validum confessionis et communionis quindecim dies ante et quindecim dies post signatum diem ad lucrandam indulgentiam.

12. Recitatio Divini Officii valida sit pro Sacerdotibus, loco aliarum precum, ad indulgentiam toties quoties lucrandam.

13. Regimen Seminariorum Minorum recognoscatur et libertas Ordinariis loci praebeatur ut faciant experientias in Seminariis propriis, quin excludantur alumni externi.

14. Curriculum sacerdotale extendatur ad alium annum studiorum et ad alium annum practicae pastoralis ante Ordinationem.

15. Examinetur regimen Seminariorum Maiorum ut Seminaristae ad calcem studiorum, habeant, quoddam contactum cum vita familiari et paroeciali.

16. Plus incumbant Seminaristae studio Liturgiae, Asceticae et Mysticae, Historiae Ecclesiae ac Historiae Ecclesiasticae propriae nationis.

17. Adunentur Clerici Dioecesani et Religiosi in studiis coniunctim Philosophiae et Theologiae in Facultatibus Regionalibus vel Nationalibus ut cognitio foveatur quae inter eos maiorem unionem producat et professorum selectio melior evadat.

18. Stabilire in Paroeciis regimen aeque oeconomicum ita ut ad Curias Dioecesanas tota res oeconomica conveniat, lente excludendo actuale systema beneficiorum. Sed vero, si hac in re, abusus forte exoriatur, poenis canonicis eum liceat punire.

19. Ius Patronatus totaliter obsoleat.

De processibus

Impedimenta dirimentia Iuris Canonici fiant solummodo impedientia; vel, post tempus iuridice in pacifico matrimonio, ipso facto, dirimentia ex Iure Ecclesiastico, convalidentur; vel saltem eliminetur impedimentum ex cognatione legali.

De delictis et poenis

Recognitio totalis Iuris Poenalis fiat simul ac simplificatio poenarum « in specie ».

IV. De liturgia

1. Codex instituatur circa leges liturgicas.
2. Missale reformetur prae oculis habita Theologia Pastorali Liturgica, i. e. Liturgia relate ad vitam spiritualem fidelium.
3. Administrare Sacramenta in lingua vernacula liceat; recognoscantur praeterea quidam exorcismi.
4. Sint in Breviariis Officia Votiva cum Missis Votivis concordantia.
5. In templis in quibus altare maius cum tabernaculo infixo structum est, permittatur Missae celebratio coram populo, etiamsi retro sit praedictum altare cum tabernaculo.
6. Ad altarium consecrationem petra artificialis (caementum armatum) petrae naturali aequiparetur.

V. Index librorum prohibitorum

Fiat actualis et eum vertere liceat ad alias linguas ut adquisitio facilis sit.

V. Syllabus

Fiat actualis et explicetur, leges ferendo circa novos errores.

VII. De iure publico

Recognitio fiat terminorum in relationibus hodiernis inter Ecclesiam et Statum.

✠ Antonius M. Card. Barbieri
Archiepiscopus Montisvidei

4

Exc.mi P. D. ALFREDI VIOLA
Episcopi Saltensis in Uruguay (Salto)

Salto, die 29 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Litteras diei 18 iunii, Prot. N. 1 C/59-1171, quibus Eminentia Tua Reverendissima a me exposcere voluit argumenta quae, meo iudicio, in futuro Concilio Oecumenico tractare oporteret, accepi.

Huic petitioni obsequens, quaedam quae forsitan utilia esse possunt, tum pro meliore apostolatus successu, tum et praecipue pro meliore cleri institutione, humiliter expono.

Coordinatio cleri Regularis et Saecularis in apostolatu

Apostolatus Ecclesiae multoties inefficax evadit ex defectu unitatis. Defectus unitatis, autem, ex duabus causis originem sumit:

a) a spiritu independentiae quo impraesentiarum Sacerdotes saepe ducuntur, de quo postea loquar;

b) a defectu coordinationis actionis apostolicae religiosorum cum actione ab Episcopis Dioecesanis ordinata.

Doctrina clara Iure et a Summis Pontificibus tradita de officio et auctoritate Episcoporum quoad apostolatum externum, optime cognoscitur et docetur, sed in praxi ei multoties religiosi non obsequuntur.

Oporteret, ergo, praeceptis et mediis inveniendis studere, quibus haec unitas, ab omnibus theoretice agnita, in praxim reducatur.

Melior sacerdotum formatio, ita ut difficultates hodiernas Sacerdotes superare possint et efficaciorem apostolatum exercere valeant.

Uti superius dixi, maximus ex omnibus defectibus multorum iuvenum Sacerdotum est spiritus summae libertatis personalis quo, suo in ministerio exercendo, reguntur, ita ut Episcoporum vel Parochorum instructiones et normas sequi, saepe renuant.

Haec deformatio absque dubio a spiritu summae libertatis, qui omnes societatis ordines hodie invadit, magnopere provenit; sed etiam ab erronea interpretatione aliquorum verborum sapientissimae Encyclicae *Menti Nostrae* originem sumit, nempe, cum ea, quae immortalis Pius XII dicit de conformatione puerorum indolis (*A.A.S.,* anno 1950, pag. 686), a contextu avelluntur ita ut deveniatur ad « autoformationem » quam vocant, et disciplina penitus pessumdetur, indeque spiritus oboedientiae detrimentum patiatur.

Aliud magnum periculum Sacerdotes hodie inveniunt in spiritu sensualitatis, qui totum mundum grassatur, quo fit ut castitatem servare multo difficilius evadat, et hac de causa non paucae apostasiae habeantur.

Ut autem iis et aliis malis remedium afferatur, et omnia quae Summi Pontifices statuerunt ad sanctos educandos Sacerdotes melius adimpleantur, quae mihi opportuniora videntur propono:

1. In omnibus Seminariis Maioribus annum statuere formationis

asceticae et mysticae ad instar Novitiatus, quem omnes religiosi praescriptum habent.

Si, enim, pro religiosis, qui postea vitam communem gerent, qua magnopere a periculis mundi tuebuntur, hic annus Novitiatus necessarius habetur, pro Sacerdotibus cleri saecularis, qui in medio mundi vitam acturi erunt, magis necessarius non erit?

Quod si, uti hodie frequenter accidit, Seminarium Maius regionale sit pro plurium Dioecesium alumnis, hic « quasi-novitiatus » opportunum medium habebitur pro alumnis, ut a diversis Seminariis Minoribus provenientibus, in unum et idem spiritum adducantur.

2. Periculum etiam maxime vitandum est de quo loquitur immortalis Pius XII, in supradicta adhortatione (l. c.), cum dicit quod neosacerdotes si « in locis ducentur ab hominum societate paulo nimium seiunctis » ... « fiet eis plurimum, ut aut inconsiderate cum christiano populo se gerant, aut, quam acceperint institutionem, secus existiment ».

Quod quidem periculum non solum, reor, ex allata in Adhortatione Summi Pontificis, causa exoriri potest, sed etiam ex hodierna conditione iuvenum qui, cum praecoces in multis sint, manent tamen psychologice immaturi, praesertim quoad ea de quibus loquitur Pius XII, in eodem documento et loco, cum dicit: « In universum elaborandum praecipue est, ut singulorum puerorum indoles cuiusque propria recte conformetur; in iisque magis magisque se explicet conscientia quid ex actibus suis in se recidat periculi, quid ipsi de hominibus ac eventibus iudicii ferant, quid denique ipsi operis ultro sponteque suscipiant ».

Huic periculo, quam frequens esse experientia docet, ut obveniatur, maximopere iuvare poterit interstitia, quae a Iure praescribuntur, non solum stricte servare, sed et protrahere, etiam ad annum et amplius, inter Diaconatum et Presbyteratum, ita tamen ut tempus horum interstitiorum, finitis studiis theologicis, initium sumat et non in Seminario decurrat, sed in aliqua Paroecia, apud Parochum seniorem et prudentem, qui praedictos Diaconos advigilare et dirigere possit, simulque eorum cognoscendis qualitatibus studeat.

3. Ex his duobus propositis mediis ad meliorem Sacerdotum institutionem, consequenter tertium sequitur, quod quidem magni momenti est, nempe, aetatem Iure statutam pro Presbyteratu suscipiendo ad vicesimum septimum vel octavum annum aetatis, ita ut magis probati et maturi iuvenes ad sacerdotalem ordinationem accedant.

De vestis talaris usu

In Concilio facillime de usu vestis talaris et de tonsura clericali agatur; multi, enim, hanc quaestionem agitant.

Haec quaestio non unam eamdemque solutionem pro universa Ecclesia habere potest, sed in America Meridionali usum vestis talaris servandum esse puto.

Eius usus nullam admirationem in populo suscitat, qui generatim maxime vestem talarem honorat, et Sacerdotes veste talari induti veram et continuam praedicationem et apostolatum exercent.

Insuper, quamvis pericula quae in animarum cura subire debent, Sacerdotes nonnisi sua interiore supernaturali vita innixi superare poterunt, tamen maximum auxilium et tutamen in usu vestis talaris habebunt, uti experientia docet; immo, ipsa vestis talaris non paucas occasiones periculorum Sacerdotibus vitabit.

Hac occasione nactus, Sacram Purpuram osculans, Eminentiae Tuae Reverendissimae me profiteor

Dev.mum in Domino
✠ ALFREDUS VIOLA
Episcopus Saltensis in Uruguay

5

EXC.MI P. D. ALOYSII BACCINO
Episcopi Sancti Iosephi in Uraquaria (San José de Mayo)

San José, marzo 31 de 1960

Eminencia Reverendísima,

En el día de hoy he tenido el honor de recibir una amable carta de la Comisión Pontificia Antepreparatoria pro Concilio Ecuménico, de fecha 21 de marzo, Protocolo N. 1 C/59-1188 bis, por la que se me reclama la respuesta a la Circular de fecha 18 de junio de 1959.

Cúmpleme manifestar a Vuestra Eminencia que la respuesta a dicha Circular, la envié en fecha 19 de Julio de 1959, con el número de Protocolo 389/959, de este Archivo Episcopal.

Ante el reclamo de esa Pontificia Comisión de su dignísima presidencia, veo que la carta no llegó a su destino, por lo que me apresuro a enviar junto con ésta, una copia de mi respuesta N. 389/959.

Ago propicia esta oportunidad para saludar respetuosamente a Vuestra Eminencia, besando reverente Vuestra Sagrada Púrpura.

✠ LUIS BACCINO
Obispo de San José de Mayo

* * *

San José, die 19 iulii 1959

Eminentissime Domine,

Libenter atque gratissimo animo litteris Eminentiae Tuae Rev.mae respondeo, quibus mihi petis animadversiones, consilia et vota quae utilia esse possunt pro futuri Concilii Oecumenici argumentis apparandis.

Argumenta quae in futuro Concilio tractari possunt, ni fallor, duo capita respicere debent, scilicet, errores ac haereses et deinde, illa quae ad disciplinam cleri populique christiani pertinent.

Ad primum quod attinet, videtur *Communismus* obtinere primum locum; revera apparet ut maximum periculum Ecclesiae generique humani. Puto quod Ecclesia hunc diabolicum errorem considerare debeat tum sub aspectu doctrinali, tum etiam pastorale ut errantes ad Evangelium redire possint. Etenim, operae pretium est determinare quaenam sint remedia adhibenda ad tantum malum curandum apta; quae sane ita quaerenda sunt ut sint efficacitate validissima.

Ad secundum, inter multa quae tractari possunt de disciplina cleri et populi christiani, haec propono:

a) Concrete determinare iura, obligationes et *missionem* laicorum in Ecclesia. Apud laicos et sacerdotes contrariae opiniones asseruntur, et tristia consectaria ex hoc capite defluere possunt.

b) Incorporare Codici Iuris Canonici materiam « Actionis Catholicae », iuxta documenta Pp. Pii XI et Pii XII.

c) Studere convenientiam promovendi ad Diaconatus ordinem, Religiosos laicos, tum in territorio Missionum, tum in America Latina, propter extremam Ecclesiae necessitatem.

d) Considerare Religiosorum exemptionis privilegium, propter difficultates non paucas nec leves quas inveniunt Episcopi, tum in exercenda secundum canones, auctoritate episcopale, tum in pastorale munere adimplendo.

e) Aptare varia Instituta et opera apostolatus ut, servatis indole et spiritu cuiusque propriis, melius respondeant necessitatibus et condicionibus huius temporis, ac praesertim necessitatibus Ecclesiae Christi.

Haec sunt quae communicanda putavi Paternitati Tuae Eminentissimae.

Interim, optima quaeque Tibi ex animo ominor et ex corde profiteor Paternitatis Tuae Eminentissimae

add.mus in Christo Iesu
✠ ALOYSIUS BACCINO
Episcopus Sancti Iosephi in Uruguay

VENEZUELA

1

Exc.mi P. D. CRISPULI BENÍTEZ FONTÚRVEL

Episcopi Barquisimetensis (Barquisimeto)

Barquisimeto, die 25aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Pro litteris decimotertio kalendas iulias datis, Prot. N. 1 C/59-196 iucundum mihi est Reverendissimam Eminentiam Vestram monere de gravissimis quibusdam, ut mihi videtur, quae animo contemplabitur Pontificia Commissio pro Oecumenici Concilii praeparatione:

1. Oportet simpliciorem efficere ritum sive Sancti Missae Sacrificii, sive in reliquis Sacris.
2. Quod ad Sanctum Sacrificium Missae attinet, necesse est lingua vernacula Missam celebrare, excepto Canone, quem lingua latina reddere decet.
3. Simpliciorem ritum Sacramentorum administrationis efficere, linguaque vernacula, pro maiore fidelium intelligentia.
4. Ordinarias potestates Ordinariis locorum, quae velut extraordinariae dantur in Quinquennalibus, Decennalibus, etc., dare.
5. Breviarium minuere et prorsus componere.
6. Ultimam petere solutionem sacerdotum divinae legis disertorum et in concubinatu viventium, qui civilem, ut dicitur, matrimonium contraxerunt.
7. Legem de cautione cleri sociali pro ingravescente aetate, ac de aequa fructuum partitione sciscere.
8. Concedere ut in Ecclesia Universali « Klergyman », ut dicitur, adhibeatur, et in tropicis regionibus, albi vero coloris.
9. Multa in iis quae ad scientiam in Seminariis pertinent, emendanda sunt.
10. Legem rogare de « Quaestione Sociali » ut dicitur.

Sacram Eminentiae Vestrae Purpuram deosculor

✠ Crispulus Benítez Fontúrvel

Episcopus Barquisimetensis

2

Exc.mi P. D. DOMINICI ROA PÉREZ
Episcopi Calabocensis (Calabozo)

Die 30 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

De receptione litterarum diei 18 iunii 1959 nunc nuntium mitto pergratissimum. Desiderium non defuit aliqua puncta indigitandi quae momentosa mihi videntur: sed tacere potius existimavi. Ad novam instantiam diei 21 martii, mihi nunc liceat « omni cum libertate et sinceritate animadversiones » aliquas mittere non nisi cum protestatione praevia de mea adhaesione ad Cathedram S. Petri.

1. Vivo animi dolore tangor de conditione plus quam sexaginta sacerdotum apostatarum in una Urbe Caracensi. Ad servitium Ecclesiae non redibunt nec debent cum numerosa prole. Humiliter pro ipsis et omnibus apostatis sacerdotibus totius mundi rehabilitationem postulo eos reducendo ad statum laicalem cum sanatione in radice matrimoniorum civilium eorum in ordine ad vitandum omne scandalum in alia celebratione.

Hoc pro apostatis nunc existentibus. Pro futuro aliqua facilitas statuatur ad hanc reductionem petendam pro iis qui amplius in statu clericali nolint manere. Hac via media omnino remedium paratur miseriis quibus alii occurrere cum matrimonio clericorum volunt.

2. Perspicuum est distinctionem inter matrimonium ratum tantum et ratum et consummatum omnino artificiosam esse ex errore Gratiani circa matrimonium provenientem. Consummatio nihil addit matrimonio. Tunc si Ecclesia potest dissolvere matrimonium tantum ratum, potest etiam dissolvere matrimonium ratum et consummatum, cum potestate vicaria; etenim indissolubilitas est proprietas iuris naturalis secundarii (iuxta terminologiam D. Thomae), dispensabilis a Deo et consequenter dispensabilis ab Ecclesia potestate vicaria secundum dictum divinum « quidquid solveris... ». Et iuxta hoc videtur possibilitas hodiernis temporibus solutionis inveniendae in casibus urgentioribus a divortio civili creatis.

3. Missae celebratio etiam horis vespertinis devotionis causa tantum.

4. Usus linguae vernaculae tantum in Missae celebratione quam in sacramentis administrandis ut fideles possint sequi caeremonias quod certe certius serviet ad pietatem nutriendam.

Humiliter osculor Annulum Vestrum

Addictissimus in Domino
✠ Dominicus Roa Pérez
Episcopus Calabocensis

3

Exc.mi P. D. RAPHAËLIS I. ARIAS BLANCO
Archiepiscopi Caracensis (Caracas)

Caracis, 12 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Litteras Eminentiae Vestrae diei 18 iunii nuper elapsi, num. Prot. 1 C/59-309 signatas accepi, et de notitia Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico, cui Eminentiae Vestrae praeest, valde gratulor, agitur enim de magno eventu catholici orbis, pro cuius felici exitu, seu celebratione speciales preces in hac Archidioecesi Caracensi Sacratissimo Cordi Iesu duxi faciendas, a mense iunio huius anni usque ad mensem iunii anni 1960.

Quoad opiniones, seu sententias, quae, iuxta praefatas litteras, desiderat Augustus Pontifex colligere, haec prout mea interest videntur notanda, omni fidelitate, sicut in Domino existimor hisce temporum adiunctis expedire.

1. Concilium Oecumenicum imprimis censeo valde opportunum ad praesentiam (ut hodie dicunt) Ecclesiae in mundo moderno asserendam et unitatem christianorum fovendam contra minas hodierni atheismi, qui societatem etiam civilem et occidentales institutiones evertere conatur.

2. Ex hoc, igitur, capite, magni momenti videretur nova doctrinae communistarum in forma sollemni condemnatio, utpote contrariae sacro officio reddendi debitum cultum Deo, omnium Creatori, et etiam humanae societati ac ipsorum hominum libertati sane perniciosae.

3. Exinde, quum ex materialismo, praesertim « historico », ut illud vocant, plures effluant errores circa originem ipsius mundi, vitae, materiae, « energiae » atque iis similium, nova forsitan etiam de his rebus doctrinalis declaratio expediret, quae catholicis professoribus et legitimam Ecclesiae « positionem » circa haec capita cum omni perspicuitate ostenderet.

4. Porro evincitur etiam necessitas instituendi, seu in compendio redigendi, magnificam Ecclesiae socialem doctrinam, praecipue circa « quaestionem operariam », iuxta communem phrasim, et alia, quae de « summa mediorum productionis » (capital) et labore, et de opificibus, in mundo moderno agitantur.

5. Doctrina etiam de « Actione Catholica » videretur expolienda, il-

lius praxis in commune bonum christianae societatis urgenda, et tandem in Codicem Iuris Canonici rite inserenda.

6. Quod ad disciplinam spectat, forsitan evaderet valde utilis institutio diaconorum (ad instar primaevae Ecclesiae) quibus delegari possint, ob sacerdotum inopiam, plures functiones sacrae, quae nunc necessario a sacerdotibus peraguntur. Censeo valde opportunum exhaustivum huius capitis studium, in commodum totius Ecclesiae, Americae praesertim, quae tanta sacerdotum egestate laborat.

7. Ob praefatam sacerdotum inopiam, desideratur etiam a plurimis amplior coordinatio religiosorum (et horum apostolatus laborum), sub dioecesanis Antistibus. Ita absque dubio in maiorem dioecesium profectum verterentur seiuncti labores seu operae, saepe a particulari nutu Ordinis seu Congregationis promanantes.

8. Maior etiam coordinatio cupienda foret in operibus apostolatus et animarum laboribus, ita ut visus totalis (visión de cojunto) in iis fovendis praevaleret: Dioeceseos, scilicet, erga nationem, nationis autem erga continentales exigentias (Americae, nempe, Europae, etc.) et ita porro, ut unitas et universalitas Ecclesiae magis elucesceret.

Haec omnia magna cum reverentia Eminentiae Vestrae subiicio, dum ipsius Eminentiae me profiteor in Domino addictissimum

✠ Raphaël I. Arias Blanco
Archiepiscopus Caracensis

4

Exc.mi P. D. IOANNIS IOSEPHI BERNAL ORTÍZ

Archiepiscopus Civitatis Bolivarensis (Ciudad Bolívar)

Ciudad Bolívar, 26 octubre del año 1959

Eminentísimo Cardenal,

Adjunto remito a Vuestra Eminencia las observaciones para la Comisión ante-preparatoria Pro Concilio Ecuménico. Quiera Vuestra Eminencia disculpar mi tardanza, pero ha sido debito primaramente por mi Visita Ad Limina y ultimamente por mis multiples ocupaciones ante el lamentable accidente automovilístico en el que perdieron la vida los Exc.mos S.res Arzobispo de Caracas, Obispo de Barcelona en Venezuela y P.bro Hermenegildo Carli.

Aprovecho la nueva oportunidad para suscribirme de V. Eminencia humilde servidor y devoto en Cristo.

✠ Juan José Bernal Ortíz
Arzobispo de Ciudad Bolívar

Archiepiscopus Civitatis Bolivarensis in Venezuela (Ciudad Bolívar), desiderat ut in Concilio Oecumenico venturo, haec tractentur:

1. Ut omnibus Sacerdotibus concedatur Sacrum litare necnon Sacramenta omnia administrare lingua vernacula. Ratio huius petitionis est ignorantia religiosa harum regionum et maior fructuum participatio pro fidelibus. Praeterea missalium manualium maior pars invenitur lingua vernacula scripta.

2. Ut doctrina socialis Ecclesiae accommodetur hodiernis temporibus et problematibus et, si possibile est, ut haec ipsa doctrina in Codice Iuris Canonici includatur.

3. Ut « Actioni Catholicae » maius incrementum detur et normae scriptae et practicae recolantur.

4. Religiosorum utriusque sexus maior dependentia auctoritati ecclesiasticae.

5. Ut restaurentur Diaconi ut in Ecclesia Primaeva cum omnibus iuribus et obligationibus; praesertim ut facultatem matrimonium contrahendi habeant.

6. Ut doctrina Mediationis Universalis Beatae Mariae Virginis ut dogma definiatur.

7. Ut damnetur solemniter in Concilio communistarum doctrina et, si possibile est, damnatio ad illos qui nomen dederint societati extendatur necnon lex poenalis in Codice Iuris Canonici includatur.

Reverenter qua par est oboedientia Eminentiae Vestrae Sacram Purpuram deosculor.

✠ IOANNES IOSEPH BERNAL ORTÍZ
Archiepiscopus Civitatis Bolivarensis

5

EXC.MI P. D. CHRYSANTHI MATA COVA
Episcopi Cumanensis (Cumaná)

Die 20 maii 1960

Em.me et Rev.me Domine,

Episcopi huius Orientalis Provinciae Reipublicae Venezuelanensis, in mense septembris anni elapsi, congregati, ex communi omnium consensu, Pontificiae illi Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, decisionem sumimus exponendi opiniones nostras, circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt. Ob infaustum obi-

tum fratrum nostrorum in Episcopatu, Raphaëlis Arias et Humberti Paparoni, (Q. I. P. D. R.) omnia incompleta manserunt.

1. Prae omnibus muneribus Episcopi, ut evidenter patet, fidelium cultus et instructio religiosa eminent. Nunc vero nulla actio neque opportunitas ad hoc grave munus implendum praesertim nostris in temporibus et nostris Christifidelibus ut Sacra Liturgia.

Magna cum sinceritate recognoscere debemus fideles nostros defraudatos esse in ipsis liturgicis actionibus. Dialogus et participatio intima inter Sacerdotem et fideles ratio exsistendi non adest quia simpliciter non intelliguntur neque ea quae fiunt neque, multo minus, quae dicuntur. Illae solutiones in praxi positae in Missae Sacrificio (Missae Communitariae etc.) evidentius manifestant problematis gravitatem et nostram conscientiam apostolicam practice magis gravant.

Omnino evidens est ut Episcopi in suo Oratorio private celebrantes, hanc necessitatem fidelibus suis instructionis impertiendae et orationis fovendae non videant, maxime si multos Sacerdotes et Populum cultum habeant. Proh dolor! Fidelium nostrorum ignorantia maxima est et plus quam centum Sacerdotes postulamus. Proinde urget « in Ecclesia quinque verba, sensu meo, loqui ut et alios instruam, quam decem millia verborum in lingua... » (*I Cor.,* 14-19).

2. De disciplina cleri censeo necessarium esse in re oeconomica ad administrationem communem Dioecesanam pervenire adeo ut non inveniamus differentias illas notissimas Paroecias pecuniosas inter et egenas Paroecias; Clericos divites inter et pauperes; extensos conglomeratos Fidelium sine assistentia spirituali quia Episcopus non potest Sacerdoti commendare, deficiente beneficio; demum parvo vivere in Seminariis dum ex alia parte Paroeciae in ipsa Dioecesi valde divites sunt.

3. Ad maiorem Apostolatus flexibilitatem, necesse est Auctoritati Episcopali Religiosi utriusque sexus magis subiiciantur, conformantibus exigentiis vitae claustralis et gravissimis penuriis in campo apostolico.

4. Si contra iustitiam socialem ob non aequitativam repartitionem bonorum materialium peccatur, etiam hoc maiore ratione propter excellentiam in ordine spirituali accidit dum non servatur illa aequitativa distributio bonorum spiritualium. Etenim iniustum est ut in aliquibus Dioecesibus cum exiguo numero habitantium ordinentur per annum viginti et supra Sacerdotes, in aliis Dioecesibus autem nullus Sacerdos habeatur in plures annos. Quod non potest in maxima indifferentia haberi neque iustificationem ullam admittit quia grave problema constituit et quasi haeresis contra Mysticum Christi Corpus est.

Multa alia possunt dici. Dicta vero magni momenti puto. Nihil solvitur de aliis rebus agendo dum non attendamus ad ipsam structuram organicam quae revisionem petit.

Eminentiae Tuae cuncta a Domino fausta adprecans

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus
✠ CHRYSANTHUS MATA COVA
Episcopus Cumanensis

6

EXC.MI P. D. PETRI P. TENREIRO
Episcopi Guanarensis (Guanare)

Guanare, 16 iulii 1959

Eminentissime Domine,

Pergratum mihi est respondere Officio N. 1 C/59-565, diei 18 iunii huius anni quod a Tua Eminentia missum accepi.

Per ephemerides notum erat mihi Romani Pontificis ac dilectissimi Patris, Ioannis XXIII propositum quamprimum celebrandi Concilium Oecumenicum cuius necessitas ac opportunitas, in his nostris temporibus in aperto sunt et omnibus patent.

Desideriis tuis libentissime annuens, humillimam meam opinionem, « omni cum libertate ac sinceritate » Eminentiae Tuae, quam brevissime exponam.

Inter quaestiones in futuro Concilio tractandas, maxime conveniens immo ac necessarium mihi videtur enucleare *modum sese agendi* Ordinum ac Congregationum Religiosorum, quoad assistentiam et auxilium praestandum Episcopis ac Ordinariis earum regionum, praesertim Americae Latinae, quae clerum sufficientem non habent pro magnis ac urgentissimis illarum necessitatibus spiritualibus.

Etenim Religiosi, generatim, in magnis Civitatibus ubi commoditas adest ac media oeconomica abundant, magnifica Collegia et Domus fundare ac constituere solummodo volunt. Pro ceteris locis, in oppidis nempe dissitis, ubi clima est ardens et media oeconomica pauca, ac fideles in maxima ignorantia degent, sine Sacerdotibus et communismo ac protestantismo expositi, Religiosi absolute nolunt accedere et permanere, quia, dicunt, « Personali sufficienti carent », dum in Civitatibus omnes

commoditates ac media habentibus, plures ac saepe inutiles Sacerdotes, nihil fere facientes, degent.

Interea, Eminentissime Domine, protestantismus ac communismus libere ac commode errores suos diffundunt!

Est, ni fallor, quaestio magni momenti pro futuro Sacrae Nostrae Religionis, maxime in illis regionibus, praesertim Americae Latinae, uti Venezuela, ubi extensae sunt regiones quae Sacerdote multos abhinc annos carent ac paroecias plurimas sine pastore habent.

Guanarensis mea dioecesis, ex. gratia, pro 220.000 incolis, 15 tantum Sacerdotes habet, quorum quidam infirmi ac aetate iam provecti. Nec Vicarium generalem, nec Sacerdotem *a secretis* nec Assessores pro Actione Catholica habeo, quia Sacerdotes qui exercere possent eiusmodi *officia,* ad Paroecias attendere debent. Pluries ac humillime Sacerdotes a Superioribus Religiosis rogavi sed inutiliter, dum, repeto, Caracae et in aliis civitatibus abundant et animae pereunt et errores grassantur!

Eminentissime Domine,

Maxime necessaria mihi videtur dispositio quaedam (Decretum aut canon) stricte obligans Religiosos et, si Domum aut Collegium habent in civitatibus principalibus, tres aut plures Sacerdotes permanenter mittant qui Episcopos adiuvent in Paroeciis serviendis. Hoc urgentissimi momenti est, in illis locis praesertim, oppidis dissitis, sine Parocho multos abhinc annos, ubi animae pereunt ac pueri ac iuvenes crescunt sine Christo ac Doctrinis Evangelii!

Eminentissime Domine,

Pascas, quaeso, hanc humillimam meam opinionem, ex imo corde exortam, dum Purpuram Sacram humillime osculo.

Eminentiae Tuae
in Christo servus

✠ Petrus Paulus Tenreiro
Episcopus Guanarensis

7

Exc.mi P. D. IOSEPHI R. PULIDO MENDEZ
Episcopi Maracaibensis (Maracaibo)

Maracaibo, 30 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Problemata huius Dioecesis Maracaibensis sunt ita ardua et supra vires meas ut totam insumant sollicitudinem, maxime cum sim solus Praesul inter fere 900.000 fidelium per 50.000 km. dispersorum, cum 42 parochis quibus ipsam Curiam constitutam invenerim. Ideo parum audeam dicere quoad materias pertractandas in futuro Concilio, ad normam certo Commissionis Antepraeparatoriae et initio huius mensis receptas.

Puncta doctrinae: compleri debet doctrina de Ecclesia et clara participatio in medio eius tam cleri dioecesani quam fidelium activitatis; ita ut nota Unitatis Ecclesiae fulgeat in exponenda sacra Hierarchia, contra damnosum criterium eorum qui tali modo procedunt quasi specialem habeant facultatem agendi pro domo sua (in educatione, activitate pia, sociali) cum detrimento aut saltem positiva negligentia paroeciae, dioecesis, provinciae.

Disciplina cleri: necessariae sunt normae certae quae concilient spiritum vere clericalem cum exigentiis modernis. Oportet clericum qua talem moderari actuositatem hodiernam: ergo et cognoscere et ponderare, quin ullo modo status clericalis detrimentum patiatur.

Institutio catechetica: tam pro pueris quam pro adultis debet ita urgeri ut clerici et religiosi, iam a primis annis proprii tirocinii, se esse sentiant revera vocatos ad illam impertiendam, et suo exemplo et criterio alumnos et iuvenes catholicos ad idem trahere valeant. Nam ignorantia religiosa certe grassatur, sed par est difficultas adiutores obtinendi.

Conceptus Paroeciae: iuxta placita S. S. Pii XII f. m. Paroecia debet esse « activa et efficax »; oportet hoc enucleari, ita ut actus cultus appareant praecipui sed parochus nullo modo exhauriatur intra parietes templi quum talia tantaque extra moveantur, et ibi foras animae fidelium vivant, senescant et eius ductum spectent forsitan incassum.

Educatio ut aiunt iuventutis catholicae debet funditus renovari: deest generatim vita ad Evangelium conformata quia alumni nimis subiiciuntur normis et convenientiis proprii instituti, ita ut vera co-

gnitio D. N. I. C. sit tenuis et sine profectu pro vita reali; ideo alumni, finitis studiis in collegio, praxim religiosam aut derelinquunt aut certe minuere videntur.

Quaestio socialis: exigit studium proprium in Seminariis et in scholis. Debet ergo confici summula notionum fundamentalium pro omnibus, cum adumbratione aliqua circa modum tractandi res agricolas, industriales et negotia. Uno verbo, sit iam quaestio pastoralis.

En Em.me D.ne, quae modo pro posse de consilio trium sacerdotum suggerenda videntur pro magno Coetu Oecumenico. Cetera permulta addenda magis sunt defectus loci aut regionis, cuius iudicium ego praesul dimidii anni et aegrotus continuo ferre non valeo.

Omnia fausta adprecans et in oratione ad invicem cupiens manere, me profiteor in Christo Iesu

Eminentiae Tuae Reverendissimae
servum

✠ Ioseph Raphaël Pulido Mendez
Episcopus Maracaibensis

8

Exc.mi P. D. IOSEPHI A. LEBRUM MORATINOS
Episcopi Maracayensis (Maracay)

1 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Libentissime ad Eminentiam Tuam Reverendissimam respondeo propter litteras Prot. 1 C/59-810 ad Concilium Oecumenicum spectantes.

Humiliter ex corde Beatissimo Patri Ioanni XXIII, fel. regn. submissus meas opiniones expono:

De re dogmatica

Mihi videtur Concilium agere debere de Ecclesiae unitate. Quid in ea sit essentiale iure divino statuatur ita ut omne impedimentum sinceris unitatem quaerentibus removeatur.

Valde conveniens videtur definire Ecclesiologiae Theses quarum schemata Vaticano in Concilio parata erant.

Praesertim ea quae referuntur ad Mysticum Corpus, Ecclesiae notas, laicalem Theologiam ...

De re disciplinari

1. Facultates Episcoporum praesertim ad matrimonium ampliandae.

2. Maxima attentio ad seminaria; maiora restringantur, propendatur ad regionalia seminaria quae maiore cum facilitate requisita adimplere possunt.

3. Agilitatem vitae paroeciali tribuere et ipsam centrum facere christianae vitae. Omnia quae Ecclesiam ordinent coram moderno mundo (Methodus) examini subiciantur.

4. Nova organizatio in Sacerdotum sustentatione ita ut iustitia socialis inter eos melius servetur. Fortasse ipsa Curia Episcopalis singulis in Dioecesibus hoc ordinare posset.

5. Vitae sacerdotalis austeritas, luxus eliminatio v. g. in autocinetis.

6. Distributio sacerdotum egentibus in regionibus unice a Sancta Sede pendeat ut illius efficacia firmetur.

7. Organizatio et centralizatio virium apostolicarum.

8. In periculo mortis omnis sacerdos minister extraordinarius Confirmationis sit.

9. Sacrum possit litare horis vespertinis quilibet sacerdos.

10. Obligatio sacri et non laborandi festis de praecepto abolenda.

11. Reductio ieiunii et abstinentiae.

De re liturgica

12. Promulgatio Iuris liturgici novis necessitatibus adaptati.

13. Officii divini reductio.

14. Orationes etc. Sacramentorum in administratione et in Missae parte didactica lingua vernacula dicantur.

15. Reductio caerimoniarum in functionibus pontificalibus praesertim in Ecclesiae et altarium consecratione.

16. Simplificatio vestium liturgicarum, a fortiori praelatorum, religiosorum etc.

Varia

17. Praxis processus matrimonialis facilior reddenda, praesertim in casibus expeditioribus.

His expositis Eminentiae Tuae Reverendissimae omnia bona adprecor interea qua par est reverentia me profiteor

Obsequentissimum in Domino

✠ IOSEPH A. LEBRUM MORATINOS
Episcopus Maracayensis

9

Exc.mi P. D. ANTONII I. RAMIREZ SALAVERRÍA

Episcopi Maturinensis (Maturín)

Maturín, 4 noviembre 1959

Em.mo y Rd.mo. Señor,

A las especiales circunstancias de ser ésta Diocesis de muy reciente creación se debe el notable retraso de nuestra respuesta a la comunicación de Em.cia R.ma fecha 18 del pasado iunio, Prot. N. 1 C/59-824.

Nos complacemos, hoy, enviando iuntamente con ésta y a la dirección indicada, un breve y conciso escrito con nuestra humilde opinión sobre aquellos problemas que juzgamos más importantes y más conformes con las necesidades del momento presente.

Cuéntenos siempre adictisimo y dev.mo de Vuestra Eminencia Reverendisima en C. I.

✠ Antonius Ioseph Ramirez Salaverría

Episcopus Maturinensis

1. *De linguae vulgaris usu*:

Habita ratione conditionis nostrorum fidelium, *usus linguae vulgaris* valde utilis esset in Missae celebratione et etiam in Sacramentorum administratione quamvis, nunc haec nova forma seu « modalitas » agendi posset solum tamquam experimentum et ad tempus permitti.

Ratio potissima ad gratiam consequendam fundatur in eo quod credimus ut ex experientia quotidiana constat, Sacramentorum significationem facilius a fidelibus capturam esse et consequenter reverentia et amor erga sacramenta, praesertim erga Ss.mum Eucharistiae Sacramentum tunc, crescerent in dies, una cum desiderio illa magno cum fructu recipiendi.

2. *De diaconatus instauratione*:

Credimus etiam diaconatus ordinis instaurationem esse non tantum convenientem, immo necessariam, ac praesertim pro illis regionibus in quibus sacerdotales vocationes hodie vix florent aut omnino desunt vel tandem quod gravius est, scilicet, ubi absentia seu carentia illarum vocationum diu — pro dolor — duratura praevidetur.

3. *Problema Sociale*:

Opus etiam erit ut normae quaedam generales seu « directrices » a viris in hac materia peritis statuerentur circa illud arduum atque implicatum negotium « Problema Sociale » nuncupatum ex quo, ut experientia docet, oriuntur usque adhuc graves commotiones in populis et nunc quoque constituit praecipuum caput dissentionum et tamquam malorum omnium causa, inter homines, habetur.

4. « *Actio Catholica* »:

Cum autem ex ipsis nostris sint non pauci qui, notabilem discrepantiam relate ad vitam et organizationem « Actionis Catholicae » sustinent et ostendunt, uti in praxi saepe vidimus, oporteret, immo pergratissimum esset quod leges aliquae, in concreto, ita, ad hoc statuerentur, ut, data occasione, in omni casu et natione, omnes ad eas rite servandas et adimplendas tenerentur.

5. *De Religiosorum collaboratione*:

Humiliter quoque rogaturi sumus ut, quantum fieri possit, urgeatur ad id obtinendum quod quidem magni momenti putamus, nempe, ut omnes familiae religiosorum — Ordines et Congregationes — tam virorum quam feminarum intra Dioeceseos limites commorantes, sedulo scire debebunt atque prae oculis habere quod, efficaci aliquo modo, tenentur praestare Episcopo seu Ordinario loci illam diu desideratissimam ac intimiorem collaborationem quae, iuxta iudicium Ordinarii loci, magis conveniat et videatur necessariam ad animarum salutem efficaciter consequendam.

6. *De clericorum vita spirituali*:

Praeter ea iam nota quae in *C.I.C.* continentur, opus esset tamen, propter specialia adiuncta, hodie, adhibere aliquod novum modum ad arcendas et removendas difficultates, quae fortasse solverentur, saltem, aliquo modo, si scilicet, sub auctoritate vel tutela parochi, clerici tenerentur vivere veram communitatis vitam.

Quae antecedunt nobis videntur praecipua exponenda atque consideranda capita.

✠ ANTONIUS IOSEPH RAMIREZ SALAVERRÍA
Episcopus Maturinensis

10

Exc.mi P. D. ACACII CHACÓN
Archiepiscopi Emeritensis (Mérida)

Emeritae, die 24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Admodum gratae mihi fuerunt litterae Tuae, datae die 18 iunii huius anni, sub N. 1 C/59-843, quibus significabas institutionem Commissionis Ante-Praeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico.

Augusti Pontificis desiderio obtemperans, opinionem circa aliquas saltem res et argumenta quae in Concilio tractari poterunt, submisse exponam:

a) in re dogmatica, argumenta quae iam parata erant ut a Vaticana Synodo perpenderentur et quae tunc definiri non potuerunt;

b) definitio doctrinae socialis Ecclesiae et damnatio omnium errorum qui nostris diebus huic doctrinae opponuntur;

c) in re disciplinari, legislatio circa laicorum apostolatum.

Hanc opinionem isti Commissioni communicans, occasionem arripio ut venerationis sensus Eminentiae Vestrae profitear.

Eminentiae Vestrae servus in Christo
✠ Acacius Chacón
Archiepiscopus Emeritensis

11

Exc.mi P. D. ALEXANDRI FERNANDEZ-FEO TINOCO
Episcopi S. Christophori in Venezuela
(San Cristobal de Venezuela)

Sancti Christophori in Venezuela, die 21 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Accepi litteras Eminentiae Tuae Reverendissimae, scriptas die 18 iunii huius anni, quibus institutionem Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico grato animo cognovi.

Summi Pontificis votis e corde obtemperans, circa quaestiones quae in Concilio tractari poterunt quae mihi in mentem venerunt, breviter proponere studeo:

1. Ad rem dogmaticam quod attinet, quaestiones illae, quae licet tunc temporis tractandae paratae erant, in Concilio Vaticano definiri non potuerunt.

2. Definitio doctrinae socialis Ecclesiae et damnatio omnium errorum qui, postremis temporibus, huic doctrinae opponuntur.

3. In re disciplinari, legislatio circa laicorum apostolatum illum praesertim qui Actionis Catholicae nomine venit.

Haec dum istae Commissioni submissus expono, qua par est reverentia me profiteor Eminentiae Tuae Reverendissimae in Christo addictissimum

✠ ALEXANDER FERNANDEZ-FEO TINOCO
Episcopus S.ti Christophori in Venezuela

12

EXC.MI P. D. ANTONII I. CAMARGO

Episcopi Truxillensis in Venezuela (Trujillo)
Administratoris Ap. Praelaturae Nullius S. Ferdinandi Apurensis

Truxillo in Venezuela, 13 augusti 1959

Eminentissime Pater,

Mihi pervenerunt litterae Eminentiae Vestrae, signatae in Civitate Vaticana 18 iunii 1959 sub N. 1 C/59-1391, quaestiones poscentes proximum Concilium Oecumenicum attingentes in Urbe celebraturum.

Haec mihi tantum puncta in mente veniunt:

1. Ut fiat generalis revisio Codicis Iuris Canonici et in ipsum inserantur modificationes observatae ab ipsius promulgatione usque nunc, generalia Decreta Pontificia, et in quantum possibile sit, interpretationes Commissionis Canonicae.

2. Etiam revisio super inamovibilia beneficia et praevisio sacerdotibus ministerio inhabilibus.

3. Detur aliqua mentio Actionis Catholicae et Actionis Socialis Catholicae in Codice, earum finibus specificis bene determinatis.

4. Media efficacia statuere ita ut in praxim veniat principium determinans bona superflua beneficiorum ecclesiasticorum in pauperes erogari.

5. Normae caritatis assignentur, quae applicari debent in casibus sacerdotum ob qualemcumque passionem deviatorum a rectitudine vitae, ita ut illis minus difficilis sit via redeundi ad Christi Ecclesiam.

6. Respectu facultatum audiendi confessiones, quarum mentio facta

est in can. 883 et in Motu Proprio *Animarum Studio* (*A.A.S.* XL, 17), si possibile sit extensas facere etiam ad quos terrestre iter agunt.

7. Facultas sit celebrandi Missam in quacumque hora diei, servatis servandis de ieiunio eucharistico reformato, et distributio sacrae communionis aequo modo etiamsi Missa non celebretur. Utinam etiam amplietur concessio S. C. de Sacramentis 5 ianuarii 1928 (*A.A.S.* XX, 79).

8. Mea extat adhaesio propositionibus quorumdam restituendi ordinem diaconatus ad officia et in forma et circumstantiis priorum saeculorum Ecclesiae.

Rogo Eminentiam Vestram accipere sensus devotae adhaesionis et securitatem precum mearum et quorum sub iurisdictione mea sunt pro efficaci exitu Concilii.

Devotissimus in Domino

✠ Antonius Ignatius Camargo
Episcopus Truxillensis in Venezuela
Administrator Ap. Praelaturae Nullius
S. Ferdinandi Apurensis

13

Exc.mi P. D. GREGORII ADAM
Episcopi Valentini in Venezuela (Valencia)

Valentiae, 25 februarii 1960

Eminentia Reverendissima,

Iam denuo post visitationem ad Limina in qua permansi usque ad septembrem pene; hic inveni Tuam iunii elapsi anni sub Prot. 1 C/59-1426, significantem Commissionem Antepraeparatoriam Concilii Oecumenici advenientis a Sanctissimo Pontifice Ioanne XXIII constitutam esse et Te illi praesse. Fausta Tibi, Eminentissime Pater, in re tanti momenti eluceant, et Tibi addo peramanter; veniant pro bono Sanctae Romanae Ecclesiae ac totius orbis, dona coelestia, ut ipsum Coelum petimus. In mensibus octobris et novembris debui Conventioni primae Educationis Dioecesis adesse, siquidem accipe meam istam etsi ignavam certe addictissimam.

Tenore Tuae venerabilissimae, optavi consilia virorum prudentium attendere sed moderamus appetitum et studium quaestionum iuxta criterium Sanctae Sedis verae fontis veritatis, disciplinae atque sollicitudinis ob bonum animarum. Placet hic vero nobis, nonnulla breviter annotare: ac primo, circa necessariam revisionem Codicis Iuris Canonici; secundo, in Missale non leviter sunt includendae modificationes fa-

vore S. Liturgiae, fidelium, ipsius celebrantis et etiam ad incrementum pietatis; tertio, multoque observandum in Rituale Romano, praesertim quoad usum linguae vernaculae per ministrum sacramentorum atque sacramentalium; quarto, expeditio, salva ponderata validitate sacramenti matrimonii, in causis ad ecclesiasticam Curiam commendatis; quinto, ut iuxta articulum 697 decretorum Concilii Plenarii, in unaquaque provincia ecclesiastica, in Seminario Metropolitano vel alio de communi Suffraganeorum voto designando, erigi possint Facultates Philosophiae Scholasticae, Theologiae, Iuris Canonici, Oeconomiae, Pedagogiae ac Litterarum, cum privilegio conferendi gradus academicos, servato interim Statuto pro facultatibus in Doc. « Deus Scientiarum Dominus » imperato. Cf. Estudio General de Navarra; Sexto, aliqua dispositio in auxilio Paroeciarum sine congrua ut Episcopi sumere possint, de pleno iure, portionem adaequatam ex illis paroeciis supercongruatis in auxilium parochorum. Septimo, ut Ecclesia cum normis realissimis faveat pauperibus in novo organismo Assistentiae Socialis in quo laborent omnes ecclesiastici sine exceptione aliqua. Octavo, pro maiore interventione clericorum ut sit beneficiata conditio pauperum in unaquaque paroecia.

Quo facto, Eminentissime Pater, levamen faveas ferre, dum in Oecumenico Concilio, volente Deo, effusis verbis exponam quae nunc brevissimo modo mitto ita ut vastis cum viribus Tuae Commissionis aliorumque fratrum coepta mea ad finem adducantur.

Deosculor Tuam Purpuram, et me profiteor in Christo devotissimum

✠ GREGORIUS ADAM
Episcopus Valentinus in Venezuela

14

EXC.MI P. D. CONSTANTINI GOMEZ VILLA

Episcopi tit. Cucuseni, Vicarii Ap. Caronensis (Caronì)

Santa Elena del Uairén, 21 de setiembre de 1959

Eminentísimo y Reverendísimo Señor,

Tengo el alto honor de avisar a V. E. R. que, a mi regreso de la visita *ad limina*, recibí su comunicación en que me pide coopere con mis sugerencias, pareceres y votos al eficaz éxito de la celebración del futuro Concilio Ecuménico.

Con el máximo rendimiento adjunto a V. E. R. las humildes suge-

rencias que se me han ocurrido y que me dicta la experiencia de mi oficio pastoral, ya como párroco, ya como Vicario Apostólico. Y como supongo que los asuntos aprobados en el Concilio, serán incluídos en la nueva codificación del Derecho Canónico, por eso he hecho alusión a varios cánones del actual Código.

Me es grato aprovechar esta oportunidad para ofrecerme de Vuestra Eminencia Reverendísima af.mo siervo en Cristo, que devotamente besa S. A. P.

✠ Fr. Constantino Gómez Villa
Vicario Apostólico del Caroní

Can. 126 - Omnes sacerdotes saeculares singulis annis per saltem quinque dies spiritualibus exercitiis vacare oportet.

Can. 135 - In officio divino matutinum ad unum nocturnum reducatur cum tribus lectionibus.

Can. 136 - Utrum sit conveniens permittere pastoribus acatholicis, qui tempore conversionis vinculo matrimoniali sunt ligati et sacerdotes catholici esse volunt, ut in eodem statu permaneant. Itemque utrum sit conveniens sacerdotes catholicos, qui cum muliere definitive fugam arripuerint, lege generali, a caelibatu dispensare.

Can. 500 - Eritne conveniens sacerdotibus qui in suo Ordine vel Congregatione valde incommode vitam agunt ampliorem ab Ordinariis locorum portam aperire ut ad statum sacerdotalem saecularem transire valeant? Itemque concedere Superioribus maiorem facilitatem seu potestatem ad dimittendos religiosos qui in proprio Ordine seu Instituto permanere non debent?

De Baptismo

Can. 755 - Abbrevientur ritus sacri in adultorum baptismatis administratione.

De Eucharistia

Desideratur:

1. Ut in feria V Maioris Hebdomadae tot Missae celebrentur quot sint necessariae ut fideles sacrum audiant et divinum sacramentum suscipere possint.

2. Ut Sancta Missa celebrari possit quotidie quacumque hora et sacra communio distribui, servato ieiunio ecclesiastico.

3. Ut Ordinariis locorum detur facultas suo in territorio sacerdotibus permittendi ut diebus ferialibus bis Missam celebrent, ter vero diebus dominicis atque festis de praecepto, ita ut bono spirituali Christifidelium consulatur.

Can. - 782 Oportet ut detur coadiutoribus parochorum facultas confirmandi infirmos in periculo mortis.

Reducatur Liber IV de *processibus C.I.C.* ad formam breviorem et quidem in singulis processibus.

Minuantur et simplificentur *poenae ecclesiasticae.*

✠ Constantinus Gómez Villa
Episcopus tit. Cucusenus
Vicarius Ap. Caronensis

15

Exc.mi P. D. MICHAËLIS AURRECOECHEA PALACIO

Episcopi tit. Dolicheni, Vicarii Ap. Machiquesensis (Machiques)

Machiques, 18 septembris 1959

Libenter ad respondendum pergo quae a me, in Prot. N. 1 C/59-1815, a Pontificia Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico exquiruntur.

De translatione Sacerdotum

Ampliorem iudico facultatem esse elargiendam pro Sacerdotibus ab uno in aliud transferendis, scilicet, ab una in aliam Paroeciam, ab hac in alteram Dioecesim, a quacumque insuper in quamlibet nationem, prout inopia Cleri et utilitas populi christiani exquirat. Ita, remedium, in quantum possibile, inaequali Sacerdotum distributioni praeberetur qua impraesentiarum laboramus.

De annuis Exercitiis Spiritualibus a Sacerdotibus peragendis

Peroptandum videtur ut Sacerdotes saeculares, aequaliter ac Religiosi, ad spiritualia exercitia singulis annis teneantur.

De veste talari Sacerdotum

Quam maxime opportunum censeo ut magis magisque insistatur atque urgeatur ut a Sacerdotibus, tam Saecularibus quam Religiosis, vestis talaris habitualiter deferatur, experientia enim teste medium summe efficax evadit pro decore sacerdotali servando insuper et augendo.

De istitutione Diaconatus

Si candidati ordinandi, sedulo praeparandi votoque castitatis muniendi sunt, perutile videtur ad bonum Ecclesiae sanctae. Si vero voto castitatis non erunt ligandi, valde periculosum videtur.

De expulsione Religiosorum

Amplioribus facultatibus ditentur Superiores maiores ut eos ex Religione expellere possint quorum mores in vita religiosa nocent.

De dispensatione caelibatus ecclesiastici

Sacerdos in caelibatu deficiens publiceque cum femina vivens, absque ulla emendationis spe, ab obligatione eiusmodi caelibatus relaxetur, una cum ceteris obligationibus clericalibus, cum ad statum laicalem reducitur, incongruum enim videtur ut obstrictus maneat obligatione quae causa fuit vel ansam praebuit eius ruinae spirituali.

De processibus

Ad faciliorem concentum redigantur quae de processibus in genere a Iure statuuntur.

Tam impedimenta matrimonialia, quam causae ad matrimonium pertinentes difficultatibus permagnis in praxi perficienda scatent.

De reductione Officii Divini

Officium Divinum plus aequo longum videtur, habita ratione praesentium temporum; qua de causa, utilitas quae ab Ecclesia praecipue intenditur, non obtinetur. Pro eius igitur diminutione stamus. Exempli gratia, Matutinum ad unicum nocturnum redigatur, cum tribus lectionibus, quarum prior, de Scriptura, secunda, de Sancto vel de festo, tertia, denique, de consueta homilia, ita tamen ut haec homilia eo modo conficiatur ut prae oculis habeantur progressus exegetici ceterarumque scientiarum huius temporis.

De Evangeliis dominicalibus

Ea pro dominicis diebus Evangelia seligantur quae magis ac magis ad praedicationem sacerdotalem atque profectum fidelium iuvare possint.

✠ MICHAËL AURRECOECHEA PALACIO
Episcopus tit. Dolichenus
Vicarius Ap. Machiquesensis

16

Exc.mi P. D. IOSEPHI H. QUINTERO

Archiepiscopi tit. Achridensis, Coadiutoris c. s. Emeritensis in Venezuela

Emeritae, die 20 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Paucis abhinc diebus accepi epistolam, datam die 18 iunii currentis anni numeroque 1 C/59-2117 signatam, qua Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico institutionem mihi significare Eminentia Vestra dignabatur, simulque notum faciebat Beatissimi Patris desiderium cognoscendi opiniones seu sententias Episcoporum circa res et argumenta in maximo illo Conventu tractanda.

Cum perspicuum mihi sit agi de re magni momenti et aliunde meae parvitatis omnino sim conscius, tacere certe velim; sed Augusti Pontificis desideria mihi praecepti vim habent. Itaque humilem opinionem meam paucis verbis fidenter patefaciam.

Inter futuri Concilii argumenta, perspectis aetatis nostrae adiunctis, Ecclesiae doctrinae in re sociali propositio ac definitio opportunissima videtur. Pro Concilio Vaticano quaedam schemata dogmatica, ni fallor, iam parata erant quae, temporum iniuria, tunc expediri nequiverunt. Ea schemata reassumere et, si casus ferat complere futura Synodus nonne poterit? Inter res ad disciplinam pertinentes, ea omnia quae ad laicorum apostolatum provehendum conferunt, Concilium statuat fortasse oportebit. Nec praetereunda convenientia providendi ut in fidelium cura arctior coordinatio laboris inter Clerum regularem et saecularem obtineatur.

Mihi ad Eminentiam Vestram rescribenti periucundum sane est hanc nancisci occasionem ut impensae venerationis sensus erga tantum Patrem ex corde profiteear.

Sacram Purpuram deosculans faustaque omnia ominans, rogo Eminentiam Vestram me habere uti addictissimum in Christo servum,

✠ Iosephus H. Quintero
Archiepiscopus tit. Achridensis
Coadiutor c. s. Emeritensis in Venezuela

17

Exc.mi P. D. NICOLAI E. NAVARRO
Archiepiscopi tit. Carpathiensis

Caracis, die 13 augusti 1959

Eminentia Rev.ma,

Libenter obsequens excitationi factae litteris circularibus istius Pontificiae Commissionis cui Eminentia Vestra tam digne praeest, die 18 mensis iunii datis, quarum exemplar N. 2322 die 5 currentis mensis augusti accipere mihi honor fuit, primum significare me iuvat quam gratum mihi fuerit consilium Sanctitatis Suae Ioannis XXIII Oecumenicum Concilium celebrandi, et quam fervida vota faciam ut tantum inceptum ad exitum pro bono Ecclesiae feliciter perducatur.

Quod autem ad suggerentias a me postulatas spectat, cupiens ut quamprimum Romam perveniant, praeter alia quae occurrere deinceps possint, propositum promovendi efficaciore modo dissidentium cum Catholica Ecclesia unionem, faciliore ad hoc reddita modo magis consentaneo eorundem incorporatione legitimo Christi gregi, summi momenti esse puto, ut ille quem mundum christianum dicimus, praevaleat et copiosior fructus ex divino Redemptionis opere in genus humanum redundet. Dolendum sane est quod praesenti tempore christianismus adeo disgregatus inveniatur, et catholicorum proportio in orbe terrarum tam exigua sit, et fidei periculum immineat ne a mendacibus evangelii praeconibus ad gentes nondum cultas forma devia feratur. Olim Ecclesia et Supremus Pontificatus favore potestatum civilium, etsi multis abusuum periculis, frui valuerunt; hodie vero easdem sibi contrarias habet: idcirco praesto esse debet virtus cohaerentis religiositatis populorum sub firmissima Supremae Hierarchiae Sancti Petri directione.

Qui haec scribit, clero Americae Latinae adscriptus, ad vitam Ecclesiae in iis regionibus circumscribitur. Apud nos christianismus, seu Religio Catholica, opera colonizationis hispanae est constitutus, nulla haeresis vel regalismi contagione, ac fides tam altas radices in animis populorum egit, ut seriore aetate nec falsarum propagandarum influxu, nec spiritualis cultus defectu ob sacri ministerii penuriam vel etiam totalem absentiam, illa christiana traditio, quam a patribus accepimus, aliquantulum sit imminuta. Huius tam stupendi facti in propria patria, Venezuela, testis sum ipse, qui, cum plene derelictam religionem, quo laborabat, adolescens vidissem, hodie contemplari possum mirabiliter reflorescere fide, pietate, operibus sanctis, quae sectarismi et idearum falsarum influxui obsistunt.

Etenim perpendi debet istum laudatum catholicismum latino-americanum apud gentem communem maxime valere, at praxes illius activitati femineae reservari, dum praetensus flos et delectus intellectualium, vel eorum qui directionem vitae publicae sibi arrogant, incredulitatem iactant, et malesuadum anticlericalismum arteriis legum nationalium inicere nituntur. Haec indifferentia religiosa nostrorum intellectualium magna ex parte saltem in quibusdam regionibus attribui debet defectui existimationis, quem clerus diu passus est, crassae ignorantiae fama haud immerito notatus, et a litteratis hominibus in despectu habitus. Talis conditio hodie melior efficitur, etsi nondum dici possit clericos laicis cultura pares esse, ab eisque debitum honorem ipsorum illustrationi agnosci. Urget igitur ut superioritate genuina polleant, et hac praesenti aetate mendacis culturae incursibus obsistere sciant, aggressionibus scientificorum progressuum occurrant, ac splendenti exitu revincant argumenta, quae ex speciosis scientiae triumphis contra firmissimas fidei veritates petere contendunt. Quae urgens necessitas eo gravior evadit, quod vel ipsa mulier in periculo est ne suam naturalem religiositatem imminuat, cum studiis sexui parum consentaneis se dedat, et curis litterarum se admisceat, quae illam a propria in sociali vita evolvenda missione avocent.

Tamen in hac re caveri omnino debet ne spiritus ecclesiasticus profanior fiat propter studium sive modernizationis, quae hodie in honore est, sive adaptationis temporum vicissitudinibus, quam in vitam sacerdotis eiusque externos mores inducere contendunt. Indubium enim est fidelibus placere in sacerdote hominem Dei videre, ipsumque a communibus mortalibus vel veste distingui. Sacerdoti ipsi magno praesidio est, quod ad austeritatis exercitium pertinet. Advertitur crebrior in dies tendentia ad supprimendum usum publicum vestis talaris. Sub specie mentitae cuiusdam commoditatis sacerdos vestem civilem induit, mundanam vanitatem iactans in dedecus traditionalis habitus, ac se omnibus libertatibus exponens, ad quae fruenda ista saecularizatio allectat. Adsunt clerici iuniores, qui cum arbitris elegantiae masculinae certare gloriantur, iure canonico posthabito, nec ulla Auctoritatis Ecclesiasticae licentiae habita ratione. Mihi quidem ista praetensa suppressio vero triumpho protestantismo et impietati concesso aequivaleret. Cum hic de disciplina mutanda agatur, ad extremum sufficeret ut res sinantur ut sunt, et habitus talaris in iis regionibus, ubi in usu est, retineatur, facta licentia illum ad tempus deponendi, dum iter fit per loca ubi insuetus est, vel cum aliqua adiuncta temporaria et verae commoditatis id exigant.

Alius aspectus in activitate sacerdotali, ut credo, non negligendus, est ingerentia cleri in sic dictis quaestionibus politicis. Certum est

haec problemata a clero nullatenus negligi oportere, at quo pacto id liceat adverti debet, quia in multis nationibus, ubi Status Ecclesiam agnoscit eique favet, ideologia moderna in directionem Status multum influit, et cum crebrae sint mutationes luctis partium impositae, Ecclesia gravia persecutionis pericula facile subire potest propter notam adhaesionem causis indolis mere politicae. Specialiter est insistendum incursionibus, quas prelum catholicum, a sacerdotibus moderatum, agit in rebus politicis. Utinam Concilium Oecumenicum medium inveniat, quo haec activitas cleri efficaciter ordinetur. In quo agitur etiam sollicitudo consulendi vitae sanctae sacerdotum, cui postremi Pontifices suis Encyclicis tantum institerunt.

Ut has rapidas adnotationes concludam, velim attentionem converti in activitates proselytismi protestantici, quae ex exteris nationibus profectae, in nostris augescunt, ac falso conceptu libertatis cogitationis vel cultus ad apostasiam provocant. Certi quidem propagandistae dispersi, qui nec militant quidem in legionibus infaustae Reformationis ut Adventistae et Testes Jehovah, multum nocumentum fidelibus simplicibus causant, et magna motuum libertate gaudent, ob recursus pecuniarum, quos dictae externae nationes suppeditant.

Has breves notas nunc colligere potui, attentis Litteris circularibus, quas indicavi. Utinam alicui utilitati sint quibuslibet decisionibus futuri Concilii Oecumenici, cuius sessionibus assistere quidem vellem, quamquam propter provectissimam aetatem id non licebit (iam expleturus XCII aetatis annum) sicut Concilio Plenario Americae Latinae plane iuveni assistere datum est.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
add.mus

✠ Nicolaus E. Navarro
Archiepiscopus tit. Carpathiensis

OCEANIA

AUSTRÁLIA

1

Exc.mi P. D. MATTHAEI BEOVICH
Archiepiscopi Adelaidensis (Adelaide)

20 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Responsum faciens litteris Tuis acceptissimis die 21 martii 1960 datis (Prot. N. 1 C/59-75-bis) suppliciter rogo ut res sequentes tamquam dignae notatu, ut reor, ad instar rerum agendarum in proximo Concilio Oecumenico habeantur.

1. Media varia promovendi magis magisque vitam interiorem spiritualem sive sacerdotum e clero dioecesano sive virorum et mulierum ex Institutis religiosis seu saecularibus.

2. Ecclesia Christi tamquam Eius Corpus Mysticum collatione facta documentorum ipsius S. Sedis hac super re; etiam elucubratio urgeatur doctrinae salutiferae « extra Ecclesiam nulla salus », attenta praeterea epistula S. Congregationis S. Officii ad Archiepiscopum Bostoniensem in Statibus Foederatis Americae anno 1949 directa.

3. Maior expolitio fiat doctrinae socialis Ecclesiae prouti in Litteris Encyclicis SS. Pontificum exstat, attentis etiam relationibus Ecclesiam inter et Statum Civilem.

Tractetur insuper quaestio de periculis Nationalismi effrenatissimi.

4. Reductio et simplificatio Censurarum ecclesiasticarum.

Omni quo par est obsequio Eminentiam Tuam prosequor meque profiteor

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mum

✠ Matthaeus Beovich
Archiepiscopus Adelaidensis

2

Exc.mi P. D. EDUARDI I. DOODY

Episcopi Armidalensis (Armidale)

14 augusti 1959

Eminentissime Princeps,

Invitationi Eminentiae Tuae Reverendissimae die 18 iunii 1959 datae accedentes, humiliter communicamus infrascriptas animadversiones et vota pro Concilio Oecumenico futuro.

Cum magno animi sensu venerationis me subscribo olim discipulum

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mum
✠ Eduardus I. Doody
Episcopus Armidalensis

I. De Doctrina

a) Petimus ut considerationi Concilii proponatur definitio tamquam dogmatis Fidei veritatis:

Beata Virgo Maria cum Filio Suo Redemptore perfecto humani generis Co-redemptrix est et Mediatrix Omnium Gratiarum.

Talis definitio meliorem aestimationem hominum animis inculcaret muneris Beatae Virginis Mariae in Ecclesia cum devotione proinde dilatata vel augmentata.

b) Petimus insuper ut clarificetur veritas:

Extra Ecclesiam nulla est salus.

II. De Disciplina

A) *Cleri*:

a) Postulamus ut consideratio detur ad brevius et simplicius *Officium Divinum* conficiendum sacerdotibus aliisque recitandum qui laboribus actuosis in paroeciis vel in dioecesibus adscripti sint.

Tale officium sic ordinari posset:

Matutinum. Unus Nocturnus, 3 psalmi et 3 lectiones, tamquam meditatio et praeparatio ad Missam.

Laudes. Gratiarum Actio post Missam.

Vesperae. Preces Vespertinae.

Sacerdotes laboriferi tale Officium rite persolvere valerent quippe qui

plerumque nunc id multa nocte fatigati et cum difficultate recitare coacti sint atque idcirco sine debita attentione et devotione.

Si tamen hoc adhuc fieri nequit, multum iis sacerdotibus prodesset si tenerentur obligatione recitandi tantum:

vel Matutinum cum Laudibus,
vel Horas, Vesperas et Completorium.

Postulatur insuper ut:

b) Sacerdotes qui diebus Dominicis vel de praecepto duas Missas *etiam in eadem ecclesia* celebrent, ab obligatione recitandi vel Matutinum cum Laudibus vel Horas, Vesperas et Completorium absolvantur.

c) Sacerdotes qui, approbante Ordinario loci, facultate tres Missas celebrandi utantur (diebus item Dominicis vel de praecepto) obligatione Officii recitandi plane liberentur.

d) Sacerdotes qui diebus Dominicis vel de praecepto duas Missas rite celebrent et, ratione aliqua, nil per modum potus ante primam Missam sumere possint, possint aliquid (per modum potus) ante secundam Missam sumere *etsi non interiiciat spatium unius horae.*

e) Petimus ut normae statuantur utiles quibus seminaristae castitatem optime servare discant ita ut proinde post Ordines susceptos vitam sine ruga ducant.

III. De actuositate Ecclesiae et negotia maioris momenti

A) *Ad omnes populos Christianos coadunandos*:

a) Ut promoveatur et rite ordinetur opus reconciliandi dissidentes cum Ecclesia Catholica, favemus institutioni Commissionum vel Congregationum pro *protestantibus.*

Est hic quaestio de possibilitate novi Ritus Anglici cui attraherentur multi protestantes, ii praesertim qui in Insulis Britannicis, Canada, Australia, Nova Zelandia, Africa Meridionali, India et insulis sectae anglicanae (Church of England) adhaerent, necnon ii qui in Statibus Unitis Americae « episcopalians » vocantur.

Omnes isti lingua anglica loquuntur et magni aestimant officia lingua vernacula persoluta quae non raro se appropinquant similitudini formae Missae. Ministri harum sectarum plerumque matrimonio obstricti facile convertuntur ad Fidem si spes adeat statum sacerdotalem amplectendi et, servatis servandis, sine obligatione caelibatus, sacerdotes novi Ritus fieri possent subsequentibus suis plurimis.

b) Similiter, commissiones instituti possent pro *iudaeis, macometanis,*

buddistis etc. qui difficilius ad Fidem convertuntur, ut omnibus ad unitatem Ecclesiae redeundi via pateat.

B) *De communismo*:

Optandum videretur Concilium sententiam edere de natura intrinsece mala Communismi atheistici necnon de necessitate certaminis communis ab omnibus Christicolis et bonae voluntatis hominibus contra hostem religionis pariter et societatis.

C) Operae pretium esset Concilium perpendere utrum annon Pascha die fixo seu immutabili celebrari deberet.

IV. De ceteris rebus

a) An consulere vellet Concilium fratribus religiosis laicis, doctioribus et puerorum magistris praesertim, qui sacerdotes fieri cuperent, ut studiis vacarent et ordines sacros, servatis servandis, reciperent quin tamen Ordinem vel Congregationem suam derelinquerent.

Obstat enim plerumque voluntas praepositorum qui subiectos amittere nolunt propter penuriam personarum.

b) An haberi posset formula brevior ac simplicior pro solemni consecratione ecclesiae et altaris pro usu praesertim in locis dissitis missionum et dioecesium.

c) An laicis fidelibus dari posset facultas actuosius in sacrosancto Missae sacrificio offerendo participandi, et quo modo.

d) An haberi possent mutationes in rubricis Missae Solemnis vel et Pontificalis ita ut celebrans omittere valeret omnia quae aut a ministris sacris aut a cantoribus recitari debent.

e) An ad Ecclesiam universalem extendi deberet celebratio festorum:

1. S. Mariae Bernardae (Bernadette Soubirous).
2. S. Catharinae Labouré.

✠ Eduardus I. Doody
Episcopus Armidalensis

3

EXC.MI P. D. IACOBI P. O'COLLINS
Episcopi Ballaratensis (Ballarat)

21 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Nonnihil iucunditatis ex Tuis litteris habui, nempe litteris datis 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-185, in quibus significas mihi Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. regn., die 17 maii 1959, in Festo Pentecostes, instituisse Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico.

Rogat Eminentia Tua ut, audito consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium, communicem Pontificiae Commissioni, animadversiones, consilia et vota, quae pastoralis sollicitudo suggerat circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt.

Pergratum mihi est significare Eminentiae Tuae, audito consilio plurimorum virorum ecclesiasticorum, statum Ecclesiae hoc in loco sat sanum esse; propterea circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt, nihil in mentem nostram venire.

Mentio debet fieri observationis a quodam sacerdote prudentissimo factae, nempe: « Iudicium censuramque de Ecclesiae regimine administrationeque facere, pro nobis aliquid novum et inauditum est ».

Addictissimus in Christo servus
✠ IACOBUS P. O'COLLINS
Episcopus Ballaratensis

4

EXC.MI P. D. IOANNIS F. NORTON
Episcopi Bathurstensis (Bathurst)

7 iulii 1960

Eminentissime Domine Praeses,

Ad litteras Eminentiae Vestrae diei 1 C/59-204 bis, responsum proferens, sequentes sententias vel consilia Pro Concilio Oecumenico excutienda humiliter propono:

1. Ut doctrinae de Beata Maria Virgine Mediatrice et Co-Redemptri-

ce necnon Matre Spirituali generis humani magis excutiantur; itemque doctrina de potestate episcopali (ad Vaticanum complendum).

2. Ut facultas administrandi Sacramentum Confirmationis in periculo mortis, tamquam Minister Extraordinarius, cuilibet sacerdoti concedatur.

Ut Ordinarius possit delegare quemlibet sacerdotem ad Sacramentum Confirmationis administrandum extra mortis periculum, sed nonnisi ex gravi causa.

3. Ut aegroti, cum licentia confessarii, aliquid per modum cibi sumere possint usque ad unam horam ante celebrationem (in casu sacerdotis celebrantis) vel ante Communionem (in casu fidelium communicantium).

4. Ut filii matrimonii mixti, initi iuxta leges ecclesiae, ab Ordinibus suscipiendis ne arceantur.

5. Ut excommunicationes latae sententiae, quantum fieri possit, aboleantur.

6. Ut impedimenta matrimonialia, ex iure ecclesiastico provenientia, sint prohibentia tantum, exceptis impedimentis ortis ex Ordine Sacro vel ex Solemni Voto castitatis.

7. Ut Ordinariis Locorum facultas sanandi in radice matrimonia, sive Catholica sive mixta, invalida propter quemcumque defectum formae necnon propter impedimenta iuris tantum ecclesiastici, dum modo cautum sit de Catholica educatione prolis forte nasciturae, si agatur de matrimoniis inter partem Catholicam et partem acatholicam.

Haec dum scribo manus Eminentiae Vestrae humiliter et reverenter deosculans permaneo

Addictissimus famulus in Domino

✠ IOANNES F. NORTON
Episcopus Bathurstensis

5

EXC.MI P. D. LANCELLOTTI I. GOODY
Episcopi Bumburiensis (Bunbury)

Die 22 iulii 1959

Eminentissime Domine,

Ad Litteras Tuas die 18 iunii inscriptas responsionem istam de tractandis in futuro Concilio Oecumenico Eminentiae Tuae dare mihi pergratum est.

Quoniam SS. Dominus Noster Papa Concilium Oecumenicum indicit praesertim ut in pace et in veritate unitati Ecclesiae consulatur et ut dissidentes et haeretici ad Matrem Romanam revocentur, mihi videtur omnia in Concilio statuenda sive dogmatica sive ad disciplinam pertinentia ad hunc finem orientari oportere.

In re dogmatica

Quamobrem, vellem quod includantur clarificatio et, in quantum possibile sit, simplificatio eorum dogmatum quae de processione Spiritus Sancti a Patre et a Filio et de duplici natura in persona Christi agunt, quatenus historiographi moderniores non pauci affirmant divisiones schismaticas his dogmatibus innixas terminis non bene intellectis potiusquam reali diversitate sententiarum fundatas fuisse.

Item quod fiat brevis et accurata recapitulatio definitionum dogmaticarum Conciliis Tridentino et Vaticano editarum praesertim quae de gratia et de iustificatione, de Sacrificio Eucharistico et de Primatu Romani Pontificis agebant; quatenus his Conciliis Ecclesia Orientalis quam minimam repraesentationem habuit.

De devotione vitae christianae

Quod cultus e. g. erga SS. Cor Iesu, Quinque Vulnera Christi, Vultum Sacrum et similia aliquo modo ad totam personam Christi pressius vinculetur ita ut rudiores ducantur facilius ad intelligentiam Christi Amantis vel Salvatoris Patientis potius quam ad Amorem Christi vel ad Passionem Christi. Aliis verbis, quod ad Iesu Christi personam concretam respiciant potius quam ad aliquam abstractionem. Nisi fallor, Orientalibus parum placet cultus partium Christi.

Item, quatenus Protestantes nobis exaggeratum cultum Beatae Mariae Virginis imputant quem minui officium Christi Mediatoris autumant, quod finis et limites cultus Matris Dei clare et expresse definiantur. Certe in praxi nimis saepe verum est populares orationem ante statuam Beatae Virginis vel alicuius Sancti adorationi ipsius Iesu Christi in ostensorio expositi praeferre.

De Ecclesiae Universalis regimine

Iterata veritate de potiore principalitate Ecclesiae Romanae eiusque illustrissimi Rectoris, Summi Pontificis, in omnem gregem Christi, optandum videtur quod ampliores facultates aut Metropolitis aut Primatibus devolvantur. Videretur scriptori hoc utilitatis esse non tam Ecclesiae Occidentali, propter expeditiorem tractationem negotiorum praesertim

quae ad rem disciplinarem se referunt sed etiam Ecclesiae Orientali dissidenti quae, ut nunc est, pluribus ecclesiis autocephalis complectitur.

Item, etiamsi status caelibatus pro Clero universalis Ecclesiae et traditione saeculari et Patrum praesertim Orientalium testimoniis status perfectior sine dubio sit, Concilium Oecumenicum iterare posset iura Orientalium Ecclesiarum de clero nupto retinendo.

Provisio forsitan opportuna daretur viros non caelibes ad diaconatum promoveri posse etiam in Ecclesia Occidentali, dummodo ad sacri Presbyteratus ordinem ascendere cupientes non essent.

De Iure Canonico

Quod leges ecclesiasticae, praesertim quae de Religiosis, de nullitate Matrimonii, de Privilegio Fidei eiusque extensione in favorem Fidei, et de Delictis et Poenis, simplificentur et ad moderniorem usum revocentur, ita ut competentes saepe fiant Ordinarii locorum ad tales quaestiones definitive solvendas.

Item, quod reservatio peccatorum et censurarum ad Sedem Apostolicam cesset nisi pro paucis omnino gravissimis delictis.

De praxi liturgica

Quod usus linguae vulgaris in administratione omnium Sacramentorum permittatur, Pontificali ritu non excluso.

Item, usus linguae vulgaris in Missa tam solemni quam quotidiana introduci posset, eo tamen sensu ut Canon Missae nonnisi lingua latina exclusive recitandum esset.

Item, quod ad Officium Divinum attinet, hoc ritu valde simplificato, exclusive lingua latina esset perficiendum ne ignorantia officialis linguae Ecclesiae Occidentalis crescente in Clero vinculum hoc unitatis gradatim debilitaretur.

Quod semper et ubique licitum maneret et Missam celebrare et Sacramenta conferre latina lingua.

Quod strictissime invigilaretur ut una tantum versio vernacula pro unaquaque lingua moderna sit approbata; alioquin facile, exempli gratia pro lingua anglica, versiones anglicanae, americanae, hibernicae, australianae et ceterae, introduci possent cum magna confusione multorum praesertim itinerantium.

Interim humilis et observans servus Eminentiae Tuae semper manet

✠ LANCELLOTTUS I. GOODY
Episcopus Bumburiensis

6

Exc.mi P. D. THOMAE V. CAHILL

Episcopi Cairnensis (Cairns)

Die 1 octobris 1959

Eminentissime Princeps,

Augusti Pontificis desiderio in litteris Eminentiae Tuae Reverendissimae diei 18 iunii 1959 expresso libenter obsequens, sequentes animadversiones circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent omni cum humilitate submitto.

a) Cum omnes fructum Concilii esse sperent ut fratres dissidentes in unitatem Ecclesiae Christi revertantur, forsan utile esset praecipua doctrinae capita referre quae in Conciliis Tridentino et Vaticano sunt definita, ita ut fides catholica omnibus sine ulla ambiguitate pateat.

b) Quaestio usus linguae vernaculae in Ecclesiae liturgia tractari posset, quia saluti animarum proficere videretur si lingua vernacula adhiberi posset in iis functionibus in quibus fideles active participare deberent, ut in sacramentorum administratione, exequiis, benedictionibus, processionibus, et in prima parte Missae dictae Catechumenorum.

c) Optandum esse videtur ut rubricae Missae et functionum liturgicarum ad normam Hebdomadae Sanctae restauratae simplificentur.

d) Tractari posset de nova editione Breviarii et Missalis Romani exaranda, cum revisione festorum celebrandorum et unica versione Sacrae Scripturae adhibenda.

e) Cum Caeremoniale Episcoporum multa contineat quae nunc aut non possunt observari aut de facto non observantur, revisio illius libri ad normam decretorum Sacrae Rituum Congregationis et secundum exigentias temporum valde esset utilis.

f) Auctoritas Episcopi dioecesani posset elucidari et defendi, cum saepe inter laicos et aliquando inter sacerdotes tendentia inveniatur talem auctoritatem minuendi ex quodam falsi democratismi spiritu qui omnes etiam in Ecclesia tamquam aequales haberet.

g) Relationes inter episcopum et religiosos viros et mulieres in dioecesi laborantes clarificari possent, ita ut tales religiosi auctoritatem episcopi etiam in praxi recognoscerent, sese considerantes episcopi cooperatores et adiutores in omnibus quae salutem animarum respiciunt.

h) Episcopi auctoritas ordinaria forsan augeri posset, ut comprehenderet quasdam facultates nunc ab Apostolica Sede delegatas quae ad dioecesim regendam sunt necessariae.

i) Cum tot fideles in omnibus fere regionibus religionem negligant et numerus in dies crescat, Concilium causam talis defectionis posset considerare et media ad problemata solvenda proponere.

j)Lex observantiae diei dominicae quoad opera servilia prohibita nova interpretatione indigere videretur, quia quaedam opera tamquam servilia considerata nunc pro populo sunt potius forma recreationis vel etiam necessaria, dum alia opera pro lucru peracta quae inter servilia non comprehenduntur melius prohiberentur.

Haec omnia maxima cum humilitate et debita Summo Pontifici obedientia submitto, prae oculis habens solummodo salutem animarum, bonum Ecclesiae et maiorem Dei gloriam.

Manus Eminentiae Tuae humillime osculatus, maxima qua par est veneratione maneo

Eminentiae Tuae Reverendissimae
hum.mus addictissimus servus

✠ THOMAS V. CAHILL
Episcopus Cairnensis

7

EXC.MI P. D. ERIS M. O'BRIEN
Archiepiscopi Camberrensis et Gulburnensis (Canberra and Goulburn)

Una cum eo responsum dedit:

EXC.MUS P. D. IOANNES CULLINANE
Episcopus tit. Flumenzeritanus, Auxiliaris Camberrensis et Gulburnensis

Goulburn, die 19 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Litteras Eminentiae Tuae, Prot. N. 1 C/59-304 et Prot. N. 1 C/59-2717, pleno obsequio accepimus.

Ad futurum Concilium Oecumenicum quod attinet, nobis infrascriptis in mente veniunt breves animadversiones quae sequuntur:

1. Modum alloquendi acatholicos valde personalem et fraternum (v. g. « ego sum frater tuus Ioseph ») laeti adnotavimus, et reactionem favorabilem in nostris regionibus testamur.

2. Cum Ecclesia numquam impeccabilem se professa sit, nobis videtur quod possumus, imo debemus ad reconciliationem fovendam, plus

quam antea, publice assumere partem culpabilitatis pro divisionibus saeculis undecimo et decimo sexto exortis. Abusus enim in Ecclesia illis temporibus non quidem iustificationem, certe vero ansam dederunt Orientalibus et Protestantibus.

3. Nobis videtur quod debemus fovere reactionem hodiernam contra iuridicismum in theologia, praesertim morali; ultimis enim saeculis, in educatione tum laicorum tum clericorum, emphasis videtur potius posita fuisse in tradenda scientia casuistica quam in educanda conscientia delicata; quae substitutio regularum pro conscientia personali ducere potest generosos in scrupulos, minus generosos vero in laxismum, in quantum negatur obligatio nisi iuridice formulari poterit.

4. Inquieti sumus de periculo scandali vel saltem admirationis quod oritur ex numero percrescente causarum matrimonialium, praesertim dissolutionis vinculi naturalis. Nam informationes de huiusmodi causis, etiam in ephemeridibus saecularibus quotidianis divulgatae, viam effugiendi obligationes suggerunt iis qui quadam difficultate in vita coniugali laborant. Ideoque numerus petitionum de die in diem crescit.

Proponitur utrum vertant in bonum Ecclesiae salutemque animarum tot dissolutiones, quarum natura, etiam a catholicis non bene intellecta, cum divortio facile confunditur.

5. Ad Codicem Iuris Canonici quod attinet, nobis videtur opportunum simplificare, in quantum possibile, disciplinam de impedimentis matrimonialibus ecclesiasticis.

a) Proponitur consideratio eliminationis quorumdam, vel saltem restrictionis extensionis (v. g., affinitatis, criminis). Nam, in praxi, aliqua impedimenta non amplius revera impediunt, sed, uti dicitur, « existunt impedimenta tantum ut dispensentur».

b) Discriminatio inter impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis — unum quidem dirimens, alterum vero prohibens — non amplius mereri videtur.

Nam, saltem in nostris regionibus, periculum perversionis partis catholicae non est maius in casu disparitatis cultus, imo saepe minus est, quia cum pars acatholica non sit addicta ullae sectae haereticae, indifferens est nec vult partem catholicam a vera religione trahere.

Praeterea, apud nos dantur multi protestantes quorum status baptismalis valde incertus est propter dubium de baptismi collatione vel de validitate.

Ideoque, proponitur reditus ad disciplinam quae vigebat usque ad saeculum decimum tertium, secundum quam disparitas cultus, sicut mixta religio, erat tantum impediens.

6. Optanda est clarificatio status catholicorum Rituum Orientalium

in terras Ritus Latini immigrantium, nam saepe movetur dubium de iuribus, praesertim in re matrimoniali, Ordinariorum et parochorum latinorum relate ad hos Orientales.

7. Ad Officium Divinum quod attinet, grato animo notamus recessum a nimio formalismo qui apparet in recenti Breviarii simplificatione, et recitationem adhuc fructuosiorem expectamus si haec tendentia perseveraret in ulterioribus revisionibus iam adumbratis et summopere optandis.

Omnia supra scripta, quae aliqua consideratione digna saltem nos aestimamur, Commissioni Antepraeparatoriae humiliter submittimus.

Interim, Sacram Purpuram deosculantes, impensos animi sensus ex corde profitemur

Eminentiae Tuae Reverendissimae
Addictissimi

✠ Eris M. O'Brien
Archiepiscopus Camberrensis et Gulburnensis

✠ Ioannes Cullinane
Episcopus tit. Flumenzeritanus
Auxiliaris Camberrensis et Gulburnensis

8

Exc.mi P. D. IOANNIS P. O'LOUGHLIN
Episcopi Darvinensis (Darwin)

Darwin, die 11 septembris 1959

Excellentissime Domine,

Laetus nuntium accepi Summum Pontificem Ioannem XXIII Concilium Oecumenicum convocaturum et iam Commissionem Antepraeparatoriam instituisse.

Nunc autem, Excellentia Tua, utpote Praeses Commissionis huius opiniones et consilia quaeris quibus melius Concilii praeparatio ineatur.

Imprimis, Litteras Tuas, 18 iunii datas me accepisse refero. Attamen, nullas res proponere habeo quas alii magis periti proponendas habere videantur. Sufficit mihi, Dioecesi parvae missionariae praeposito, Deum precare pro felici exitu Concilii.

Excellentiae Tuae addictissimus
✠ Ioannes P. O'Loughlin
Episcopus Darvinensis

9

Exc.mi P. D. GUILFORD YOUNG

Archiepiscopi Hobartensis (Hobart)

Die 12 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Enixe et humiliter rogo Eminentiam Vestram ut mihi moram facienti in responsione litteris vestris de Concilio Oecumenico remittenda veniam clemens des. Ab hinc pluribus mensibus operationem gravem chirurgicam passus sum et tempus convalescentiae sat prolongatum est. Tandem bona salute iterum gaudens grato animo Eminentiae Vestrae responsionem remitto.

Humillimus et obedientissimus servus Vicarii Christi animadversiones et vota a Concilio tractanda suggero.

Eminentiae Vestrae manus reverentissime deosculor tibique fausta quaeque a Domino adprecor

Eminentiae Vestrae
add.mus

✠ Guilford Young
Archiepiscopus Hobartensis

De sacra Liturgia

Filiali animo rogo ut in ipsis ritibus liturgicis, incluso Sacrificio Missae, lingua vernacula magis adhibeatur. Argumenta et vota Congressus Studiorum Internationalis de Liturgia in Missionibus, Neomagi, mense septembri 1959, habiti mihi videntur valida et sobria. Ex experientia mea pastorali mihi videtur valde necessarius usus linguae vernaculae in pluribus ritibus liturgicis ut populus Christianus in liturgia rite actuoseque participet et plenum fructum, prout Sancta Sedes in permultis documentis ultimis annis proposuit, obtineat.

De legibus et processibus matrimonialibus

Desideratur revisio legum ecclesiasticarum de matrimonio, e. g. de impedimentis matrimonialibus, ita ut, si possibile sit, clariores et minus implexae fiant. Etiam sacerdotes sat periti qui ministerium pastorale exercent gravem difficultatem hodie saepius experiuntur in hisce legibus cognoscendis atque in praxi applicandis et consequenter animae detrimentum patiuntur. Mihi videtur quod in unaquaque natione tribunalia

matrimonialia cum maiori iurisdictione constitui debent ut processus absque tanta mora perficiantur. Quasi ubique terrarum periti in lege canonica hodie inveniuntur qui tales processus magna cum prudentia perficere possunt et cum media communicationis moderna celeriora sint facile esset pro Sancta Sede invigilare ne abusus irrepant.

De relationibus familias religiosas inter et Ordinarium loci

Ex corde opto ut variae Familiae Religiosae maiori iurisdictioni Ordinarii loci subsint ita ut apostolatus ipsius Ecclesiae efficacior sit. Ordinarius loci, qui circumstantias et conditiones totius dioeceseos bene scit, bono animarum et educationi christianae saepe nostris temporibus consulere nequit quia auctoritate de religiosis disponendi non gaudet. Ad eundem finem perutile esset si congregationes religiosae sic dictae contemplativae quaedam opera activa pro bono animarum obirent.

De habitudine Ecclesiam inter et Statum

Desideratur propositio clara et authentica doctrinae de relatione Ecclesiam inter et Statum cum societas civilis nostris temporibus evoluta sit et controversia de applicatione principiorum novis circumstantiis vigeat.

De laicis

Opinor doctrinam de statu laicali tractandam esse quia laici ob « Actionem Catholicam », apostolatum generalem laicorum et renascentiam liturgicam maiorem partem in ipsa vita actuosa Ecclesiae nostris temporibus habent.

De ipsius Ecclesiae forma seu organizatione

Opinor plures dignitates quibus tam clerici quam laici ab Ecclesia ornantur non consonas esse nostris temporibus, proindeque abolendas.

Iterum, mihi videtur quasdam sedes episcopales quibus secundum traditionem dignitas cardinalatus assignatur non amplius habere titulum ad tantum honorem quia propter evolutionem historicam plures ubique terrarum urbes inveniuntur quae ratione numeri Catholicorum et fervoris vitae Catholicae longe digniores sunt.

Necesse est, ut opinor, ut Congregationes, Tribunalia et officia Curiae Romanae reformentur atque conditionibus praesentibus magis adaptentur.

Doctrina de bello

Instrumenta ad bellum gerendum quae ultimis decenniis inventa sunt spiritus Christianorum valde disturbant et exinde quaestio orta est de moralitate belli ope talium instrumentorum gesti. Ecclesia Christi igitur tamquam magistra gentium doctrinam de moralitate belli clara voce proponere debet.

✠ GUILFORD YOUNG
Archiepiscopus Hobartensis

10

EXC.MI P. D. PATRICII I. FARRELLY
Episcopi Lismorensis (Lismore)

Lismore, die 18 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Maiores quaestiones doctrinales sapientioribus relinquens, res pastorales tantum tractabo, memor quanti momenti est veritatem annuntiare et omnibus aperire aerarium Christi.

Verba Magistri in S. Lucae evangelio referta « Praedica evangelium omni creaturae » sumi possunt ut commentarium in verba « Docete omnes gentes »; ideoque habetur obligatio recte tractandi verbum Dei et docendi et salvandi omnes homines singillatim sumptos. Haec obligatio onerat conscientiam pastorum, quibus traditum est mandatum divinum et quorum imperio subsunt oves et agnelli Christi necnon illae « aliae oves » de quibus Ipse locutus est. In re tanti momenti pastores sibi ipsis comparare debent coadiutores ex omni gradu fidelium, sacerdotes, religiosos et religiosas et laicos dedicatos.

1. Imprimis episcopus prae oculis habere debet necessitatem, copiam sacerdotum et religiosorum supplendi, vocationes indigenas fovendi, seminaria et novitiatus extruendi et scholas Christianas disseminandi per totam dioecesim.

2. Sacerdotes muniri debent bona disciplina academica et formatione spirituali cum zelo pro causa Christi. Oves debent cognoscere et fovere, visitationem gregis regulariter obeundo, pios iuvando et perditos lucrando. Imprimis debent colere consociationes iuvenum et laicorum ad pietatem fovendam et ad fidem propagandam. Sacerdos debet esse homo

Dei et dux hominum. Remuneratio adaequata sacerdotum requiritur ad aestimationem publicam fruendam.

Relate ad conversos ad fidem sacerdotes debent praebere post conversionem curam, et conversos mittere in vineam ut apostolos, saltem ad intimos familiarum suarum.

Ad evitandum individualismum in vita christiana et ad sensum Catholicum promovendum valde necessarius est conceptus congruens Ecclesiae ut Corpus Christi Mysticum seu ut « Totus Christus ». Dato tali concepto membra Christi facile possunt sentire cum Ecclesia, et habetur ratio compellens pro omni opere bono. « Sentire cum Ecclesia » est specimen raro inventum etiam inter pios. Instrumenta omnia adhiberi debent ad hoc specimen promovendum, v. g., Catechismus, praedicatio, Liturgia, et opera missionum et Apostolatus laicalis, ita ut omnes viventes in Christo et per Ipsum et cum Ipso dent gloriam Deo et victoriam Ecclesiae.

Sacerdos specialiter fovere debet scholas Catholicas. His in regionibus schola Catholica est propugnaculum fidei et nullae impensae nimis graves sunt in his scholis aedificandis.

Superiores in domibus religiosorum et religiosarum subiectis suis praebere debent formationem gradus altioris, methodis recentioribus in scholis formationis utentes, et laureas academicas in finem illis proponentes.

Ante omnia spiritum religionis foveant et magna cum cautela directores et magistros novitiorum et magistras novitiarum eligant. Magistra novitiarum non debet assumere munus directoris spiritualis, praesertim in materia conscientiae, et nulla religiosa debet sibi arrogare munus consiliatoris unici ad vocationes promovendas.

Pericula aliqua et incommoda habentur in restrictione facultatum pro confessionibus religiosarum. Suadeo, cum debita humilitate, saltem in communitatibus simplicium votorum, ut, directore spirituali retento, sacerdotes ad audiendas confessiones mulierum approbati hac facultate gaudeant. Sacerdos ante Missam quotidianam semper pro aliquo tempore in confessionali sistere debet.

Sacerdos debet fovere fluxum migratorium et omnem operam dare ut immigrantes, etsi in terra aliena, inter suos se sentiant. Praeberi debent cappellani suorum idiomatis saltem pro migrantibus novis, et seminaria attentionem debitam tribuere debent linguis modernis. His in regionibus filii migrantium facile assimilantur et ut indigeni considerari volunt.

Denique ut adimpleatur mandatum divinum et Christus regnare possit per totum orbem terrarum habetur ingens necessitas precandi et

systematice supplicandi « ut omnes unum sint » et ut sit « unus pastor et unum ovile ». Exemplar insigne huius precationis est « Cathedra Unitatis Apostolatus ».

De Libro Pontificali

Caerimoniae praescriptae pro aliquibus rebus consecrandis nempe pro ecclesiis, altaribus et altaribus portatilibus abbreviari debent.

Sacram purpuram reverenter deosculans, summa qua est devotione permaneo

Eminentiae Vestrae humillimus servus

✠ PATRICIUS I. FARRELLY
Episcopus Lismorensis

11

EXC.MI P. D. IOANNIS TOOHEY
Episcopi Maitlandensis (Maitland)

Die 6 mensis aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Acceptis litteris ab Eminentia Tua Reverendissima missis, quibus Nos certiores facere digneris Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. regn. instituisse Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico, Nos Episcopus Maitlandensis sequentia capita pro consideratione Eminentiae Tuae humiliter proponimus.

1. Cum Augusto Pontifici Ioanni XXIII fel. regn. unio omnium christianorum (immo omnium hominum) cordi sit, Nobis persuasum est sollemnem definitionem dogmaticam Maternitatis spiritualis B. M. Virginis omnium hominum huiusmodi unioni quam maxime profuturam fore.

2. Magna quaestio praeterea nostris temporibus movetur, scilicet de sic dicta periodica continentia matrimoniali. Ex doctrina auctorum probatorum certum est hanc continentiam periodicam licitam esse quando adsunt graves causae sive medicae, sive oeconomicae, sive sociales. Nobis autem timendum est ne haec methodus vitandi conceptionem in vulgus inconsulto spargatur, ita ut plures coniuges catholici a vita matrimoniali rite ducta deflectant, atque ad vitanda coniugii onera, numerum filiorum nimis limitent.

Faveas Eminentiae Tuae huiusmodi considerationes accipere, quae Nobis videntur Ecclesiae animarumque bono profuturae.

Cuncta fausta a Domino adprecor et Eminentiae Tuae Reverendissimae permaneo,

addictissimus servus

✠ Ioannes Toohey
Episcopus Maitlandensis

12

Exc.mi P. D. REDMUNDI PRENDIVILLE
Archiepiscopi Perthensis (Perth)

26 augusti 1959

Em.me et Ill.me Domine,

Omni qua par est reverentia opiniones sequentes exprimo ita ut a Commissione Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico considerentur.

Humiliter suggeritur:

a) ut notio de operibus servilibus die Dominica prohibitis clarificetur;

b) ut causae canonicae pro dispensationibus matrimonialibus concedendis noviter enumerentur praesertim quoad concessionem dispensationis mixtae religionis necnon disparitatis cultus in nationibus ubi catholici totius populationis minoritas sint;

c) ut gradus consanguinitatis et affinitatis, intra quos matrimonia nunc prohibentur, restringantur;

d) ut parochi valide assistere possint matrimoniis subditorum tam extra quam intra territorium suarum paroeciarum sed si extra proprium territorium licite assistant solummodo cum consensu parochi loci.

Eminentiae Vestrae Rev.mae
add.mus

✠ Redmundus Prendiville
Archiepiscopus Perthensis

13

Exc.mi P. D. BRENNI GALLAGHER
Episcopi Portus Piriensis (Port Pirie)

21 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Notitiam de Concilii Oecumenici convocandi proposito Beatissimi Patris, Papae Ioannis XXIII, laetus accepi, ac velim Supremum Pontificem certiorem facere orationes esse oblaturas ut deliberationes Concilii ad bonum totius Ecclesiae dirigat Sanctus Spiritus.

Multae res magni momenti haud dubio Pontifici subiciuntur pro deliberatione in Concilio. Cum de doctrina agitur, in votis est ut aliqua fiat discussio de iurisdictione Episcoporum. Non raro hisce diebus invenitur, etiam inter Catholicos Ecclesiae fidelissimos, tendentia circumscribendi in re sociali auctoritatem episcopalem rebus quae pertinent tantummodo ad fidem et mores. Etiamsi annis recentibus a Sede Sancta emanatae sunt plures declarationes illuminantes, adhuc dubia occurrere possunt non solum ex parte laicorum sed etiam in mente Episcoporum.

Leges liturgicae pluribus modificationibus subiectae sunt recentibus annis. Cum istae modificationes impetum dederunt vitae fidelium spirituali, tota Ecclesia grata est in perpetuum Pio XII s. m. Ad promovendam vitam spiritualem, serio commendarem reformationem Breviarii Romani specialiter quantum refert bono cleri in cura pastorali. Certa officia, etiam festorum recentiorum, sunt nimis protracta et ideo non fovent pietatem sacerdotalem.

Proderit etiam si tempus normalis celebrationis Sacri Missae Sacrificii extenderetur ad totam diem viginti quattuor horarum.

Alia res, quam habeo in mente, non est forsitan materia Concilii sed actus exsecutivi Sanctae Sedis. Accidit saepe ut a Sancta Sede publicentur Romae decreta quae immediatam et universalem habent applicationem. Prima notitia quam habet Ordinarius communicatur ab ephemeride locali. Aliquando confunditur Episcopus. Placeret mihi cooperare quovis modo ut Sancta Sedes monere possit Ordinarios de talibus rebus, antequam divulgentur per ephemerides et transmissiones radiophonicas saeculares.

S. Purpuram reverenter deosculor.

Addictissimus famulus
✠ Brennus Gallagher
Episcopus Portus Piriensis

14

Exc.mi P. D. ANDREAE G. TYNAN
Episcopi Rockhamptoniensis (Rockhampton)

7 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Ego, vocatu tuo, oro ut Concilii Oecumenici Patres quaestionem de legibus ad laicorum apostolatum moderandum examinent, praesertim ad controversias componendas.

Nostris regionibus tum Ordinariorum tum laicorum in mentibus confusio orta est de:

1) functione harum societatum laicorum apostolatus,

2) earum relatione iuridica tum ad Ordinarium loci tum ad Ecclesiam in genere,

3) liceitate erectionis harum associationum independenter ab Ordinarii auctoritate, cum titulo non specifice catholico, sed in mentibus omnium ad Ecclesiam Catholicam pertinentium.

4) Sacerdotum participatione in earum activitate: *a*) si eriguntur Ordinarii approbatione; *b*) si Ordinarii approbationem non habent, sed tamen principiis catholicis reguntur et finem omnino catholicum petunt.

Mihi videtur ut Canones de hac re inserti in Codice Iuris Canonici magni intersint ad mentem Sedis Apostolicae manifestandam necnon ad controversias componendas.

Devotissimus in Domino
✠ Andreas G. Tynan
Episcopus Rockhamptoniensis

15

Exc.mi P. D. PATRICII F. LYONS
Episcopi Saliensis (Sale)

23 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Grato animo recepi epistolam Eminentiae Vestrae, datam die 18 iunii 1959, de futuro Concilio Oecumenico necnon de opinionibus, consiliis votisque Episcoporum quae, iuxta desiderium Augusti Summi Ponti-

ficis, Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro eodem Concilio mittenda sunt.

Itaque, Eminentiae Vestrae, uti Praesidi eiusdem Pontificiae Commissionis, sequentia submitto quae, secundum experientiam meam pastoralem in Dioecesibus Melburnensi, Christipolitana, Sydneyensi, et Saliensi, fructum adferre fortasse possent Ecclesiae et populo christiano:

De Magisterio Ecclesiae necnon, de Magisterio Episcoporum

Concilium Vaticanum, postquam studium compleverat de officio et magisterio Summi Pontificis, primatum et magisterium infallibile ipsius Vicarii Christi solemniter iam definivit.

Bonum et utile nunc esset, mihi videtur, si Patres Concilii futuri studerent magisterium ipsius Ecclesiae, ad finem exponendi quomodo et quando exerceatur et fruatur nota infallibilitatis.

Uti corollarium talis studii, Patres Concilii possent fortasse studere et definire quomodo quisque Episcopus suam propriam partem habeat in officio magistrali Ecclesiae, ita ut docens populum sibi traditum particeps fiat quovis modo totius Episcopatus ideoque exercitatio eius muneris doctrinalis ornata est auctoritate speciali pro eis quos docere tenetur.

Talia studendo, Patres Concilii considerare etiam possent et forsan definire utrum Episcopus iurisdictionem suam derivet iure divino immediate aut iure divino mediate, mediante scilicet Summo Pontifice, qui actualiter eum vocat ad Episcopatum.

De Disciplina Religiosorum

In multis dioecesibus difficultates oriuntur inter Episcopum et Congregationes (vel Ordines) Religiosorum (vel Religiosarum) quae in eius territorio laborant, e. g., in paroeciis, in scholis et in domibus caritatis, praesertim quando Religiosi ad Congregationes (vel Ordines) clericorum pertineant.

Religiosi pro tempore in quo in dioecesi commorantur saepe, et quidem in bona fide, proprium Superiorem, utpote Provinciae aut Regionis, uti solum moderatorem eorum eorumque operum habent: nec ideo consulunt bono dioecesis in qua solummodo ad tempus, ut bene sciunt, degunt.

Vix non semper recurrunt solum ad proprium Superiorem, qui frequenter extra dioecesim invenitur, pro consilio de rebus ad opera eorum pertinentibus, quin etiam Episcopum territorii in quo laborant certiorem reddant de tali recursu vel consilio.

Sic habetur imperium in imperio. Praeterea talis modus agendi facilius contradicere potest, etiamsi sine malevolentia, statutis et consuetudinibus dioecesanis ideoque erigitur obex unitati et caritati quae pro felici statu dioecesis omnino requiruntur.

Valde desiderabile videretur ut Concilium vias et regulas determinaret quibus Religiosi, dum in aliqua dioecesi laborant, consulere Episcopo semper tenerentur in rebus scilicet quae ad opera eorum pertinent, quaeque ipsam eorum vitam religiosam minime reapse spectant, eodem modo ac pro eis, sicut sacerdotibus Cleri Saecularis, qui apud dioecesim semper manent.

Item et utiliter Concilium vim forsan dare vellet officio Parochi in proprio suo territorio, modo quo Religiosi ei consulere tenerentur ita ut rationes et horaria operum eorum operibus et bono paroeciae non adversarentur.

Sic Parochus agnosceretur a Religiosis qui in eius paroecia laborant uti locum tenens, aliquo sensu, ipsius Episcopi, cui de rebus in eius parochiali rationem reddere debet.

De Breviario

Cum in territoriis missionariis saepe difficile sit Officium Divinum uti nunc praescriptum recitare, etsi omnes de facto id recitant, sperandum est quod Concilium poterit sancire novum Officium in forma quidem breviori saltem pro eis qui quotidie in talibus territoriis laborant.

De Emendatione Codicis Iuris Canonici

Desiderabiles videntur mutationes in Lib. 5, Parte Secunda, Codicis Iuris Canonici, de Poenis, ad finem reducendi numerum poenarum et simplificandi media ab eis absolvendi.

De Communismo

Necessarium videtur pro bono Ecclesiae et christifidelium ut in Decretis quae e Concilio effluent, iterarentur condemnationes contra Communismum quae iam pluries a Sede Apostolica et a Summis Pontificibus temporibus praesertim recentioribus emanatae sunt, simul cum poenis congruentibus pro eis qui quocumque modo, directe vel indirecte, huic pesti lethali favere auderent.

Spero quod hae submissiones Eminentiae Vestrae acceptabiles sint

et utiles pro Pontificia Commissione quae nunc agenda praeparat pro Concilio Oecumenico.

Cum sensibus venerationis profundae et fausta Eminentiae Vestrae a Deo adprecans

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
devotissimus

✠ PATRICIUS F. LYONS
Episcopus Saliensis

16

EXC.MI P. D. BERNARDI STEWART
Episcopi Sandhurstensis (Sandhurst)

2 martii 1960

Eminentissime Princeps,

Honorificum atque pergratum est mihi, infrascripto, Dei gratia et Sedis Apostolicae favore episcopo Sandhurstensi in Australia, pluribus abhinc mensibus recepisse litteras Eminentiae Vestrae circa res et argumenta Commissioni Pontificiae Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico proponenda.

Attamen mentem meam simpliciter patefacio negando me, facto verbo cum fratribus episcopis et quidem multo peritioribus, de rebus et argumentis futuri Concilii aliquid transmittendum non habere.

Ast ea qua par est reverentia necnon magno cum gaudio, intentionem firmam, Deo volente et adiuvante, in futuro Concilio Oecumenico partem faciendi hisce litteris significare volo.

Haec sunt quae cum Eminentia Vestra mihi sunt communicanda; et interim, simul ac semper, sit Eminentiae Vestrae omnis benedictio coelestis.

Me profiteor, Summae Romanae Sedi devotissimum et fidelissimum,

✠ BERNARDUS STEWART
Episcopus Sandhurstensis

17

EM.MI P. D. NORMANNI T. CARD. GILROY
Archiepiscopi Sydneyensis (Sydney)

20 augusti 1959

Em.me Domine Praeses,

Ad litteras Eminentiae Tuae Reverendissimae, die 18 iunii, Prot. N. 1 C/59-18, currentis anni datas, respondere placet, sequentes sententias, consilia et vota pro Concilio Oecumenico proferendo.

Opportunum esse videtur, ut Concilium quibusdam doctrinae capitibus primum locum tribuat. Etenim concilia magis doctrinalia semper maiorem in vitam Ecclesiae habuerunt influxum.

Si ergo, Spiritu Sancto quaestiones quasdam dogmaticas illustrante et maturante, ut puta, quaestiones de mariologia (de Virgine Mediatrice et Co-redemptrice), de episcopali potestate (Vaticanum complendo), de mutua relatione Sacrae Scripturae et Sacrae Traditionis, huiusmodi quaestiones eminere quodammodo in tractationibus Concilii oporteret.

Ad disciplinam quod spectat haec occurrunt:

1. Ut exemptio religionum laicalium omnino aboleatur, et religionum clericalium ita temperetur ut illarum ab Ordinario in operibus ministerii exercendis dependentia magis explicite determinetur.

2. Ut quilibet confessarius ab Ordinario loci approbatus ad confessiones mulierum, confessiones Religiosarum audire semper valide possit.

3. Ut cuilibet sacerdoti, tanquam ministro extraordinario, concedatur facultas Sacramenti Confirmationis in periculo mortis ex quacumque causa constitutis, valide administrandi. Ut Ordinarius possit quemlibet sacerdotem ad Sacramentum Confirmationis administrandum delegare etiam extra periculum mortis, ob gravem tamen causam.

4. Ut Ordinariis locorum facultas tribuatur permittendi sacerdotibus Missam celebrare ter, diebus dominicis et diebus festivis de praecepto et bis aliis diebus, ob bonum spirituale notabilis partis fidelium.

5. Ut aegroti, cum consensu confessarii, aliquid per modum cibi sumere possint, usque ad unam horam ante celebrationem (in casu sacerdotum) vel communionem (in casu fidelium communicantium).

6. Ut filii matrimonii mixti, iuxta leges Ecclesiae initi, ab Ordinibus suscipiendis ne prohibeantur.

7. Ut omnia impedimenta matrimonialia, iuris tantum ecclesiastici, fiant in posterum impedimenta prohibentia tantum, exceptis tamen impedimentis ex Ordine Sacro et Voto castitatis Solemni provenientibus.

Quoad impedimenta aetatis, in iis regionibus ubi lege civili aliqua aetas statuatur pro validitate vel liceitate matrimonii, iure quoque canonico similiter sit statutum.

8. Ut Ordinariis locorum facultas tribuatur sanandi in radice matrimonia, sive catholica sive mixta, invalida propter quemcumque defectum formae necnon propter impedimenta iuris ecclesiastici tantum, dummodo, si agatur de matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam sanandis, cautum sit de catholica educatione prolis forte nasciturae.

9. Ut abstinentia servetur singulis feriis VI; lex vero abstinentiae simul et ieiunii feria IV Cinerum, Feria VI in Passione et Morte Domini et feriis VI Quattuor Temporum.

10. Ut omnes excommunicationes latae sententiae aboleantur, vel fiant tantum ferendae sententiae, exceptis: 1) iis quae Sedi Apostolicae specialissimo modo reservantur; 2) quibus haeretici, schismatici et apostatae, 3) necnon matrimonium coram ministro acatholico uti sacris addicto attentantes, et 4) catholici filios suos ministro acatholico baptizandos scienter tradentes vel filios suos in religione acatholica educantes vel educandos pertinaciter permittentes, plectuntur.

11. Ut ad trutinam revocentur quaestio de matrimoniis per procuratorem ineundis, eo consilio ut restrictiones statuantur ad praecavendos abusus; quales abusus oriri possunt quando partes numquam antea se cognoverunt, etiam quando medicae investigationis testimonium impedit quominus pars in regionem ingrediatur, sic impediens unionem sponsorum; et in aliis similibus casibus.

12. Ut anglica lingua admittatur ut lingua quae libere adhiberi possit in commercio litterarum cum Sancta Sede praesertim in expediendis casibus matrimonialibus.

13. Ut provideatur pro instituendis tribunalibus tertiae instantiae in regionibus ubi difficultates distantiae, linguae etc. id postulant, e. g., Australia.

14. Ut plena fiat recognitio rerum quae ad matrimoniorum dissolutionem:

a) pertinet, ratione habita doctrina de indissolubilitate matrimonii necnon notissimi facti quod, scilicet, dissolutiones conceduntur in omni genere matrimoniorum, praeter nuptias sacramentales easque consummatas; e. g., matrimonia inter partes non-baptizatas; inter acatholicam partem baptizatam et non-baptizatam; inter partem catholicam baptizatam et partem non-baptizatam; matrimonia inter duas partes baptizatas (catholicas vel non-catholicas) quae remanebant non consummata;

b) ut dissolutio in favorem fidei (sic commendare licet) non con-

cedatur, cum matrimonium in Ecclesia catholica locum habuit, cum dispensatione super disparitatem cultus. Rationes praecipuae ad suadendam hanc commendationem hae sunt: Ecclesia, per concessionem dispensationis, talia matrimonia iam sanxit; si autem dissolvantur, fortasse ansa praeberetur ad ineundum talia matrimonia mixta cum spe dissolutionis habendae, si infelicia evaderent; et hoc in ipsorum matrimoniorum validitatem caderet, quae reapse invalida essent si tamquam dissolubilia contraherentur;

c) ut provideatur pro causis in favorem fidei aut causis nonconsummationis ab Ordinario loci iudicandis. Ipse Ordinarius suam commendationem in re (forte cum brevi summario) ad respectivam Congregationem Romanam mitteret, ita ut mox dissolutio a Summo Pontifice concederetur. Causae autem, in quibus Ordinarius sententiam ferre non vellet, integrae mitterentur ad Sanctam Sedem.

15. Ut can. 1139, 2, ita mutetur ut saltem a momento cessationis impedimenti iuris naturalis vel divini sanatio in radice dari possit.

Liceat etiam commendare, prout iam olim Concilium Tridentinum censuit, ut, sicut novam Vulgatae Latinae editionem Sodales Benedictini praeparant, ita etiam novae editiones Bibliorum graecorum (Sixtina iam insufficiens est) et hebraicorum, expeditiore quo fieri potest modo, praeparentur. Indignum esse videtur ut rei biblicae Professores pro versione septuaginta virorum et masoretico textu editionibus Protestanticis uti cogantur.

Haec dum scribo iterum manus Eminentiae Tuae humiliter et reverenter deosculans permaneo

deditissimus in Domino servus

✠ NORMANNUS T. CARD. GILROY
Archiepiscopus Sydneyensis

18

EXC.MI P. D. GULIELMI BRENNAN
Episcopi Toovoombaënsis (Toowoomba)

Eminentissime Princeps,

His litteris ego infrascriptus, Dei gratia et Sedis Apostolicae favore episcopus Toovoombaënsis, Australia, fidem facio me communicationem Eminentiae Vestrae circa Commissionem Antepraeparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico cum reverentia recepisse.

Relate ad res in futuro Concilio tractandas ego nil invenio quod ab

aliis doctioribus non esset propositum et melius est me illas sequi quam me caecum alios ducere.

Quapropter ceteris omissis ego tantum communicare volo me habere intentionem, si Deus ita vult, praescripto Iuris Canonici 223 obeundi atque in futuro Concilio partem faciendi.

Dum haec Vobiscum communico fausta coelestia cuncta Eminentiae Vestrae auspicor et me profiteor Summae Romanae Sedis servum devotissimum ac fidelissimum.

✠ GULIELMUS BRENNAN
Episcopus Toovoombaënsis

19

EXC.MI P. D. HUGONIS E. RYAN
Episcopi Tovnsvillensis (Townsville)

Townsville, die 1 septembris 1959

Eminentissime Princeps,

Litteras ab Excellentia Vestra Clarissima, die 18 iunii 1959 datas, ea qua par est reverentia summaque cum laetitia ego infrascriptus, Dei gratia et Sedis Apostolicae favore, episcopus Tovnsvillensis, in Australia, nuper accepi. Quod Eminentia Vestra rogat id omne conabor. His igitur praesentibus mentem meam, ignorantiae et insipientiae propriae omnino memor, de rebus in supralaudatis litteris candide ac sincere pando.

Ast ne verborum probitas rem confundat vel taedium gignat breviter tantum recolo ea capita doctrinae vel disciplinae quae, me opinante, in bonum religionis et animarum in futuro Concilio tractari possunt, videlicet:

1. *Quod ad doctrinae capita attinet*:

a) De Corpore Christi quod est Ecclesia (eiusque definitione et verificatione.

b) De modis invitandi vel adiuvandi haereticos ut ad unitatem Ecclesiae redeant.

c) De natura iuris quo Primatus Summi Pontificis cum episcopatu Romano coniungitur, necnon de usu vocis Romanae in describendo Ecclesiam Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam.

d) De officiis vel praerogativis Beatae Mariae Virginis.

1) de Mariae mediatione universali;

2) de participatione Mariae in opere redemptionis;
3) de dispensatione gratiarum Christi.

2. *Quod ad disciplinae capita attinet*:

A) *Cleri*:

a) De meliore formatione spirituali candidatorum v. g. per aliquam institutionem, ad instar novitiatus, in seminariis cursus theologi tradendam;

b) de meliore oblationum fidelium distributione inter animarum pastores eorumque cooperatores (anno elapso, 1958, de hac re in synodo dioecesana Townsville multum actum est. Quapropter maxima cum humilitate propono alteram paragraphum canoni 1410 forte addendam, nempe: « Summa dotis, vi certis et voluntariis fidelium oblationibus in synodo dioecesana determinetur »).

c) Utilitas recitandi Divinum Officium in lingua vulgari.

B) *Religiosarum*:

De reformatione illorum canonum qui Religiosarum confessores, confessiones, locum confessionis respiciunt.

De necessitate mutandi superiores in Religionibus.

C) *Laicorum*:

De promulgatione regularum vel canonum quibus definiretur:

a) natura et scopus Actionis Catholicae;

b) auctoritas Episcopi in operibus actionis Catholicae stricte dictae;

c) partes Episcopi in dirigendo actionem Catholicorum in rebus apostolatus.

3. *Quod ad actuositatem vitae christianae attinet*:

Reformatio disciplinae de Matrimonii impedimentis; in specie mihi videtur impedimentum mixtae religionis (can. 1060) esse debere impedimentum dirimens, non impediens, a quo dispensatio rarius esset concedenda.

Haec sunt, Eminentissime Princeps, ea quae cum Excellentia Vestra Rev.ma communicare volebam, et nunc, his dictis, corde magno fausta cuncta a Deo Omnipotenti Tibi adprecor, atque me profiteor

Summi Pontificis et Sedis Romanae
servum oboedientissimum et addictissimum

✠ Hugo E. Ryan
Episcopus Tovnsvillensis

20

EXC.MI P. D. FRANCISCI A. HENSCHKE
Episcopi Corvopolitani (Wagga Wagga)

Wagga Wagga, die 18 augusti 1959

Eminentia Rev.ma,

Quia litterae tuae de Concilio Oecumenico mihi venerunt solum his diebus (per mare et non per viam aëream) et quia vis responsum non ultra diem primam septembris, relinquo ad peritiores onus tribuendi suggestiones pro dicto Concilio.

Interim me profiteor Eminentiae Tuae addictissimum

✠ FRANCISCUS A. HENSCHKE
Episcopus Corvopolitanus

21

EXC.MI P. D. THOMAE M. FOX
Episcopi Vilcanniensis (Wilcannia-Forbes)

Die 11 aprilis 1960

Princeps Eminentissime,

Ad osculum Sacrae Purpurae humillime provolutus ego, infrascriptus, Dei gratia et Sedis Apostolicae favore Episcopus Vilcanniensis, significare volo me, pluribus abhinc mensibus, litteras Commissionis Antepraeparatoriae futuri Concilii Oecumenici mense iulio anno praeterito datas maxima cum reverentia accepisse.

Quod attinet ad res vel quaestiones in futuro Concilio forte decernendas, candide fateor, Eminentissime Princeps, me nil habere proponendum quod ab aliis doctioribus iam non sit propositum; ideoque neque rem decernendam neque quaestionem agitandam suggerere cupio.

Attamen, bonitati Divinae fretus, voluntatem firmam Romam petendi atque futuro Concilio Oecumenico adeundi habeo.

Faxit Deus ut opus tam magni momenti ad quod Summus Pontifex manus adeo fortiter, adeo sapienter, apposuit ad finem felicissimum perducatur.

Nactus hanc occasionem fausta cuncta Eminentiae Vestrae opto atque a Deo imploro.

Obed.mum et fidel.mum in Domino
Me profiteor
✠ Thomas M. Fox
Episcopus Vilcanniensis

22

Exc.mi P. D. THOMAE McCABE
Episcopi Vollongongensis (Wollongong)

Wollongong, die 15 decembris 1959

Gratias ago Eminentiae Tuae pro epistola Prot. N. 1 C/59-1478, circa res considerandas a futuro Concilio Oecumenico.

Quoad res ipsas quae in Concilio tractari debent cupio relinquere animadversiones etc. illis episcopis magis peritis in talibus rebus.

Ideo nullas animadversiones proponere habeo nisi sit quaedam consideratio de potestate et auctoritate episcoporum.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus
✠ Thomas McCabe
Episcopus Vollongongensis

23

Exc.mi P. D. ROMULI CARBONI
Archiepiscopi tit. Sidoniensis
Delegati Ap. in Australia, Nova Zelandia et Oceania

4 settembre 1959

Eminenza Reverendissima,

Con riferimento al venerato Dispaccio di Vostra Eminenza Reverendissima N. 1 C/59-1700, del 13 luglio 1959, ho l'onore di rimettere alla « Pontificia Commissio Antepraepratoria pro Concilio Oecumenico » gli acclusi fogli (allegato) con alcuni suggerimenti da me formulati, dopo di aver consultato a viva voce e per iscritto i miei collaboratori nell'ufficio

di questa Delegazione Apostolica, alcuni Superiori Provinciali ed alcuni teologi e canonisti dei Seminari dell'Australia e della Nuova Zelanda.

Chino al bacio della Sacra Porpora, ho l'onore di professarmi con sensi di profondo ossequio

dell'Eminenza Vostra Reverendissima
dev.mo um.mo obbl.mo servo

✠ ROMOLO CARBONI
Arcivescovo tit. di Sidone
Delegato Ap. nell'Australia, Nuova Zelanda e Oceania

PARS PRIMA

DE DOCTRINA

Doctrinam quod attinet, in votis est ut haec perpendantur:

§ I: *De sacrificio Missae*

Cum Sanctissimum Sacrificium Eucharisticum totius vitae christianae sit centrum, ut fructus eius uberius percipiantur, postulamus:

1. Ut relatio inter Missam et Coenam, necnon inter utramque et Sacrificium Crucis, clare definiatur, ut quod in doctrina a Synodo Tridentina tradita obscurum sit, pro omnibus clarificetur.

2. Ut declaretur qua ratione formali sacrificium stricte dictum in Consecrationis verbis verificetur.

3. Ut solemniter definiatur Christum, Summum Sacerdotem, tamquam principalem offerentem unamquamque Missam actualiter offerre.

4. Ut decernatur utrum liceat an non sacrosanctum hoc Sacrificium applicare pro haeretico aliove extra Ecclesiam.

§ II: *De redemptione*

1. Ut schema pro Concilio Vaticano praeparatum relate ad satisfactionem vere vicariam a Christo peractam definiatur.

2. Ut clarius fortiusque proponatur doctrina catholica de modo quo oporteat homines contactum vitalem cum Christo Salvatore facere ut fructus Redemptionis percipiant.

§ III: *De B. V. Maria*

1. Ut solemniter adprobetur doctrina, in Ecclesia iam communis, Beatam Virginem esse omnium gratiarum mediatricem atque dispensatricem.

2. Ut decernatur utrum Beata Virgo partes habuerit in ipsa Redemptione obiectiva, ita ut cum Christo at sub Christo pro genere humano vere satisfecerit atque meruerit.

§ IV: *De Ecclesia*

1. Ut Constitutio de Magisterio Ecclesiae, in Concilio Vaticano inchoata, iam conficiatur.

2. Ut tradatur sententia declaratoria utrum ad infallibilitatem Romani Pontificis salvandam requiratur non solum ut loquatur Pontifex ceu Supremus Ecclesiae Doctor, sed etiam cum intentione quaestionem definitive dirimendi.

3. Ut clarificetur assistentia divina qua gaudet Summus Pontifex in Encyclicis scribendis; necnon assensus Litteris Encyclicis ab omnibus praebendus.

4. Ut firmiter declaretur quo sensu, si modo, schismatici vel haeretici bona fide extra Ecclesiam versantes membra sint Corporis Christi Mystici, quod Ecclesia est.

5. Ut presse definiatur quid praecise intelligatur nomine « Communionis Sanctorum ».

6. Ut in propatulo ponatur utrum animae tum purgantium tum beatorum adhuc membra sint Corporis Mystici, an hoc nomen Ecclesiam visibilem tantum designet.

7. Ut, si agatur de salute eorum qui bona fide extra Ecclesiam versantur, abstineatur a formula « anima Ecclesiae », et dicatur potius eosdem, conditionibus adimpletis, ad Corpus Ecclesiae voto coniungi.

8. Ut relationes inter Ecclesiam et Statum civilem, in regionibus et catholicis et acatholicis, clare proponantur, quo iura Ecclesiae efficacius propugnentur.

§ V: *De Sacramentis*

1. Ut doctrina de effectibus Sacramenti Extremae Unctionis clarius pleniusque exponatur.

2. Ut, cum conditio « in mortis periculo » ad abusus praecavendos olim introducta fuisse videatur, permittat iam Ecclesia ut omnes gravi in morbo versantes hoc sacramentum recipiant, etsi adsit bona spes ut convalescant, ne sacramenti receptio ad mox morituros nimis arcte restringatur.

3. Ut, cum fructus S. Communionis sit nutrimentum spirituale ipsius sumentis, decernatur utrum hic fructus adeo sit personalis ut aliis transferri nequeat, seu Communio pro aliis recipi nequeat, quamvis communicans tunc pro aliis melius optimeque orare possit.

4. Ut significatio dogmatica Sacramenti Confirmationis pro vita christiana, et praesertim pro Apostolatu plenius proponatur.

5. Ut doctrina de essentia Ordinis a S. Pontifice Pio XII in Constitutione, cui titulus « Sacramentum Ordinis », prolata, iam definiatur.

6. Ut, serpentibus erroribus vitiisque gravibus, tradantur clarificationes de matrimonii usu, necnon de fine tum primario tum secundario eiusdem.

7. Ut, cum finis satisfactionis sacramentalis sit poenae temporalis remissio, declaretur an confessario liceat poenitenti iniungere alium finem in satisfactione facienda, v. g. allevationem animarum purgantium, sicut de facto non raro accidit.

8. Ut, quo excellentia singularis SS. Eucharistiae clarius manifestetur, declaretur ordo Baptismi ad hoc augustum Sacramentum, quippe quod medium principale gratiae est, Baptismus vero ad illud ianua est.

§ VI: *De fontibus*

Ut, cum Concilium Tridentinum definiat Revelationem divinam « in libris scriptis et sine scripto traditionibus contineri », ipsissima relatio inter S. Scripturam et S. Traditionem vigens magis accurate determinetur, ratione habita recentioris investigationis theologicae.

§ VII: *De Limbo puerorum*

Ut, cum sententiae peregrinae, male sonantes, immo et mirandae, uti videtur, tum concionibus tum scriptis de sorte infantium sine baptismo morientium his diebus vulgentur, de Limbo puerorum quaestio dirimatur.

§ VIII: *De communismo atheistico*

Ut detestandus atque omni modo abominandus hic error diabolicus vehementer anathematizetur, necnon ut omnes bonae voluntatis homines omni vi urgeantur ut contra eum totis nervis distensis pugnent.

§ IX: *De Biblia Sacra*

Ut nova versio Latina Bibliae Sacrae (praeter versionem Psalmorum Ecclesiae iam feliciter datam) textui primigenio pro viribus conformis, cito conficiatur. Quod quidem videtur esse postulatum ex Encyclica « Divino afflante Spiritu » sponte ortum.

§ X: *De auctoritate Commissionis Biblicae*

Ut, nullo dubitante quin decreta Romanarum Congregationum ceu Sanctae Sedis accipienda sint, declaretur utrum par submissio decretis Commissionis Biblicae praestanda sit.

§ XI: *De moribus*

Ut horrenda crimina euthanasiae et sic dicti « birth control » vehementer damnentur: nam non desunt qui aut putant aut sperant doctrinam Ecclesiae, relate ad alterum illud maleficium praesertim, reformabilem esse.

PARS SECUNDA

De liturgia

Liturgiam Sacram quod spectat, optatur atque postulatur ut haec in considerationem veniant:

§ I: *De SS. Missa*

1. Ut lingua vernacula partes habeat in Missae liturgia, et in specie: *a*) ut liceat sacerdoti et epistulam et evangelium coram populo solemniter legere, quin eadem lingua latina recitet; *b*) ut fideles has saltem partes lingua vernacula recitent dum sacerdos simul latine dicit, nempe: Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Pater Noster, Agnus Dei, Domine non sum dignus.

2. Ut in diebus dominicis saltem longe aptior fiat selectio lectionum ex S. Scriptura, tam Veteris quam Novi Testamenti.

3. Ut liceat omnibus sacerdotibus Missam celebrare omnibus et singulis diebus Maioris Hebdomodae. Valde enim mirum videtur pauciores Missas istis proprie diebus, lege cohibente, celebrari.

4. Ut die dominica omnes commemorationes in orationibus prorsus omittantur, eo consilio ut maius praebeatur tempus ad Verbum Dei praedicandum.

5. Ut in regionibus missionariis, orientalium quorumlibet populorum praesertim, permittantur aliquae innovationes in liturgia, iuxta indolem cuiuslibet gentis, eo consilio ut ritus liturgicus ingenio nativo magis aptetur.

§ II: *De Sacramentis*

1. Ut ritus Sacramenti Baptismatis pro infantibus radicaliter emendentur, et praesertim ut tactus cum saliva, insufflationes, et huius generis caeremoniae quae admirationi ansam praebere possint, omittantur.

2. Ut ritus Sacramentorum (praeter Sacramentum Ordinis) lingua vernacula absolvantur, excepta tamen ipsissima cuiuslibet Sacramenti forma, quae lingua latina dici debet, quin lingua vernacula repetatur.

3. Ut in administratione publica SS. Eucharistiae Sacramenti, quoties recipientes sat sunt numerosi, sacerdoti liceat continuo dicere: « Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animas vestras in vitam aeternam », quin formulam in numero singulari super unumquemque recitet. Vel, si adhuc optetur ut formula super unumquemque recipientium dicatur, in hanc similemve breviorem mutetur: « Corpus Domini custodiat te in vitam aeternam ».

4. Ut, considerata necessitate Sacramenti Confirmationis, hisce praesertim diebus, quilibet sacerdos facultatem habeat illud administrandi in periculo mortis. Et praeterea, ut Episcopus possit delegare quemlibet sacerdotem ad hoc Sacramentum administrandum ob aliam causam gravem, v. g. si fidelis non possit hoc Sacramentum ab Episcopo recipere nisi post moram diuturnam.

§ III: *De Sacramentalibus*

Cum omnis sacerdos « ad benedicendum » divinitus ordinetur, enixe vehementerque postulatur ut cuilibet sacerdoti, prae sua dignitate immensa, sit facultas impertiendi omnes benedictiones quae in Rituali Romano continentur. Siquidem, divinae institutioni haud consonat quod Sacerdotes Altissimi, ad ministerium adprobati, ab ipsissimis muneribus excludantur ad quae vi consecrationis sacerdotalis deputantur.

§ IV: *De Breviario*

1. Ut Breviarium, quod in forma consueta vitae monasticae tantum aptatur, ad usum Sacerdotum Dioecesanorum modificetur. Unde postulatur:

a) ut recitatio quotidiana brevior reddatur;

b) ut lectio S. Scripturae sit ordinatim logiceque facta, ita ut ininterrupta sit, incipiens a primo Geneseos capite atque pergens usque ad ultimum Apocalypsis versiculum;

c) ut lectio quaedam magis idonea seligatur, vel ex scriptis SS. Patrum vel ex Encyclicis SS. Pontificum pro unaquaque die excerpta;

d) ut sit cogitatio quaedam salutaris ex vita Sancti vel ex Festo celebrato derivata.

PARS TERTIA

DE CODICE

Iuris Canonici Codicem disciplinamque ecclesiasticam si spectemus, haec inter multa caute considerata postulamus:

§ 1: *De censuris et poenis*

Ut totus liber « De Censuris et Poenis » revisioni atque emendationi subiciatur:

a) censuras quod attinet, melius fortassis videretur omnes abolere nisi eas « ferendae sententiae »;

b) quidquid decernatur hac super re faciendum, profecto optatur ut regulae pro absolutione a censuris et peccatis reservatis sat simpliciores reddantur;

c) oportet omnino ut decreta Ecclesiae de censuris et poenis populo fideli innotescant, nam in praxi plures censurae hodie vigentes, ob ignorantiam fidelium, de facto inutiles redduntur.

§ II: *De administratione Sacramentorum*

1. Ut omnes Sacerdotes, ad Confessiones Sacramentales recipiendas adprobati, facultate gaudeant audiendi Confessiones mulierum religiosarum.

2. Ut omnes Sacerdotes vi legis facultatem habeant audiendi Confessiones Sacramentales, saltem intra fines Dioecesis. Vel, ut Ordinarii adprobatio ad liceitatem tantum requiratur. Illa enim lex « supplet Ecclesia » valde obscura est atque non parvam confusionem ingerit.

3. Ut definitio magis accurata « erroris communis » tradatur.

4. Ut S. Communio quavis diei hora infirmis distribui possit.

5. Ut a praecepto Communionis annuae amoveatur ambiguitas eorum verborum « saltem in Paschate ». Si enim id quod praecipiatur sit Communio tempore Paschali praecise sumenda, omittatur vox « saltem »; si vero praecipiatur Communio annua quovis tempore sumenda, potius dicatur: « semel saltem in anno, convenientius in paschali tempore », vel quid simile.

6. Ut Ordinarius loci vel etiam parochus quemlibet sacerdotem idoneum habitualiter delegare possit ad matrimoniis valide assistendum intra proprii territorii limites.

7. Ut matrimonia fidelium orientalium quorumlibet coram Ordinario loci vel parocho latino (vel sacerdote ab alterutro delegato) valide cele-

brari possint; itemque matrimonia fidelium ritus latini coram Hierarchia vel parocho cuiuslibet ritus orientalis catholici valide celebrentur. Ad liceitatem vero requiratur gravis causa et licentia Ordinarii vel parochi proprii ritus. Notitia authentica de matrimonio celebrato ad parochum proprii ritus quam primum ab illo qui eidem astiterit transmittatur.

§ III: *De matrimonii impedimentis*

1. Ut impedimentum « disparitatis cultus » ad formam primitivam ante Codicem promulgatam restituatur.

2. Ut prima species impedimenti « criminis » (neutro patrante) abrogetur.

§ IV: *De ieiunio*

1. Ut lex de ieiunio et abstinentia sit pro universa Ecclesia ad normam decreti S. C. Concilii, die 28 Ianuarii, 1949, prolati, nec liceat legem arctiorem edere pro quocumque territorio ecclesiastico.

2. Ut lex ieiunii sub gravi non imponatur.

3. Ut lex de ieiunio Eucharistico eadem omnino sit pro sacerdotibus quae pro fidelibus, nam lex iam vigens persaepe non est in utilitatem sacerdotum qui die dominica duas vel tres Missas celebrant.

§ V: *De hora Missae*

Ut Sacerdoti horis matutinis ob gravem causam a Missa celebranda impedito, horis postmeridianis litare liceat, adiecta facultate S. Communionem fidelibus vel intra Missam, vel etiam immediate ante sive immediate post Missam, distribuendi.

§ VI: *De legibus ecclesiasticis*

1. Ut legibus mere ecclesiasticis subdantur ii tantum qui in Ecclesia Catholica baptizati fuerint, vel ad eamdem conversi fuerint, seposita obscuritate Codicis, can. 12.

2. Ut Ordinarii locorum et Parochi qui, sive vi legis sive ex indulto, potestate gaudeant dispensandi super legibus ecclesiasticis, eamdem illam potestatem exercere valeant in favorem non tantum propriorum subditorum, verum etiam in favorem omnium in proprio territorio actu commorantium.

§ VII: *De operibus servilibus*

Ut lex de abstinentia ab operibus servilibus, die festo de praecepto, radicaliter emendetur, cum norma iuxta quam lex illa primitus efformata fuerit iam fallax immo et absurda sit.

§ VIII: *De indice*

1. Ut Index librorum prohibitorum saltem quinto quoque anno edatur, atque ut criteria prohibitionis, quoad veteres libros praesertim, sedulo emendentur ut conditionibus hodiernis magis apte accommodentur.

2. Ut omnes in Seminariis et Facultatibus magistri vi legis concessione gaudeant omnes libros legendi quotquot ad propriam disciplinam scholasticam faciant, necnon ut possint, pro prudentia sua, permittere ut hic illeve alumnus hoc illudve opus prohibitum legat, si ad profectum scholasticum utile videatur.

§ IX: *De Seminariis*

1. Ut cursus adeo extendatur ut tres anni disciplinis philosophicis, quinque vero anni disciplinis theologicis dicentur; et hoc quidem eo vel magis quod hodierna die alumni aetate iuniori, quam olim solebant, studia ad Sacerdotium praeparatoria aggrediuntur.

2. Ut omnes in seminariis dioecesanis alumni, sive ante sive post coeptum cursum philosophicum, sex saltem menses impendant in colendis principiis vitae spiritualis, ad modum novitiatus, quo tempore omnes disciplinae philosophicae prorsus suspendantur.

3. Ut, tum pro cursu philosophico tum pro theologico, et textus adhibiti et praelectiones professorum sint in *lingua latina,* ne adhuc in deterius labatur animi cultus seu « cultura » virorum ecclesiasticorum, qui quidem, proh dolor, hanc linguam ecclesiasticam hodiernis diebus magis magisque despiciunt.

4. Ut omnes omnino magistri, qui in Seminariis docent, non tantum virtute atque prudentia sint praediti, verum etiam ut singuli doctoratus gradu in propriis disciplinis ornentur.

§ X: *De coelibatu*

Ut humiliter petentibus atque sincere poenitentibus concedatur gratia dispensationis a coelibatu pro sacerdotibus qui, heu, matrimonium civile attentaverint atque familiam habeant, eo consilio ut possint modo christiano in matrimonio vivere, nulla tamen iisdem porrecta spe fore ut ad sacerdotii exercitium unquam redire possint, nullaque iterum prorsus.

§ XI: *De Episcopis*

1. Ut in futuris episcopis eligendis sedulo attendatur non tantum, neque primarie, ad sollertiam seu capacitatem administrativam, sed etiam potiusque ad idoneitatem tum scholasticam tum pastoralem, nam absque

his attributis, in gradu insigni possessis, non valebunt, hisce praesertim diebus, gregem Domini debito modo pascere.

2. Ut quinto quoque anno fiat visitatio apostolica uniuscuiusque Dioecesis ut de expletione muneris episcopalis omni sub respectu constet.

3. Ut, iuxta veterem consuetudinem, Sacerdotes Dioecesis vocem habeant cum res agatur de Episcopo eligendo.

4. Ut valde caveant Episcopi cuiuslibet nationis quod, quoties agatur de rebus ullatenus controversis, sive respiciant fidem, sive mores, sive res sociales vel politicas, in unum conveniant ut rem propositam diligenter perpendant, sapienter consultis viris in re peritis. Sin autem non loquantur, ne unus aliis contradicat, in scandalum omnium fidelium et in detrimentum unitatis et caritatis.

§ XII: *De Curia Romana*

1. Ut Tribunalia et Officia omnia Curiae Romanae valde magis festinent atque accelerent negotia propria in quaestionibus resolvendis et in responsionibus tradendis; et hoc quidem eo vel magis hisce diebus cum media transmissionis ex utraque parte adsint celerrima.

2. Ut cito erigatur Officium de « Statisticis »,quod singulis annis statisticas officiales Sedis Apostolicae, scientifice confectas, diligenter collaborantibus omnibus Nuntiis, Internuntiis, Delegatis Apostolicis, et Ordinariis locorum, fideliter emittat quoad omnes aspectus laboris vitaeque Ecclesiae per mundum universum.

3. Ut cito erigatur Congregatio Sacra « De Actione Catholica » quae dirigat omnes activitates apostolorum laicorum in universa Ecclesia; necnon ut huic novae Congregationi intime associentur sacerdotes ex singulis nationibus oriundi, qui conditiones propriae patriae presse cognoscunt.

4. Ut presse arcteque determinetur cuinam Congregationi, vel auctoritati ecclesiasticae, Legati Sanctae Sedis, apud varias nationes permanenter nominati, (Nuntii, Internuntii, Delegati) directe et ex officio rationem rederre debent, atque ideo ex quanam auctoritate iussa mandataque accipere debent.

5. Ut presse declaretur et definiatur relatio inter Legatum Sedis Apostolicae et Hierarchiam nationis apud quam nominatur, ratione huius habita quod Episcopi iure divino regunt.

PARS QUARTA

DE UNIONE

Magnam difficillimamque hanc quaestionem quod spectat, iis viris relictis quaestionibus Orientem respicientibus qui in istis rebus periti sunt, haec, quae ad Occidentem potius pertinent proponimus:

1. Ut quaestio de invaliditate Ordinum Anglicanorum definitive dirimatur; nam plerique ministri anglicani, susurrantibus immo aliquibus catholicis, opinantur sperantque quod declaratio S. Pontificis Leonis XIII non sit definitiva, ideoque reformabilis. Quae quidem opinio non paucos, ut sentimus, retinet quominus in Ecclesiam ingrediantur.

2. Ut ministri sic dicti « Anglo-Catholici » strenue urgeantur ut submissionem personalem Vicario Christi statim faciant. Scimus enim plures ex eis hanc suasionem gerere: « Admitto Pontificem Romanum esse Christi Vicarium in terris: eiusdem admitto infallibilitatem in sensu catholico necnon iurisdictionem universalem: admitto omnes Ecclesiae definitiones dogmaticas, etiam a Tridentino et Vaticano prolatas. *Tamen,* iudico melius esse in praesenti statu manere ut aliis pluribus de his rebus persuadeam ». Oportet igitur huius generis ministros anglicanos monere ut de propria salute caveant.

3. Ut igitur fortiter repetatur admonitio S. Pontificis Pii IX in Encyclica ad Episcopos Angliae, anno 1864, missa, scilicet: Ecclesiam Christi nullatenus esse partitam in communiones Romano-Catholicam et graeco-schismaticam et anglicanam, ac si liceat cuiquam extra communionem cum Pontifice Romano manere, Christo ipso dicente « ut sit unum ovile et unus Pastor ». Tot enim quaerunt vocem fortem atque tutam, nam satis iam habuerunt fluctuationis et incertitudinis.

4. Ut igitur clara voce proponatur duplex unitatis medium a Domino ipso datum, scilicet: unitas regiminis in Summo Pontifice, qui praesidet in caritate, verificata, et gratia unitiva quam confert SS. Eucharistia valide liciteque confecta: « quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane participamus ».

5. Ut hoc sincere perpendatur: si ministri protestantes, *numero tamen quo mereatur,* parati sint in Ecclesiam ingredi, a lege coelibatus ii dispensentur qui matrimonium validum iam contraxerint, ut, si velint, ministerium sacerdotale, conditionibus impletis, exercere possint.

✠ ROMULUS CARBONI
Archiepiscopus tit. Sidoniensis
Delegatus Ap. in Australia,
Nova Zelandia et Oceania

24

EXC.MI P. D. IOANNIS JOBST

Episcopi tit. Pitanaei, Vicarii Ap. Kimberlisiensis (Kimberleys)

28 augusti 1959

Eminentia Vestra,

Ex corde Vobis gratias maximas ago pro epistola de materia in Concilio Oecumenico tractanda recepta. Magno cum gaudio adventum istius Concilii expecto. Tamen instanter nullas propositiones speciales Commissioni Pontificiae submittendas habeo. Mihi propositum est ut alios episcopos patriae meae petam ad res et argumenta possibilia una cum eis simul perpendenda.

Interim obsequia animae profitens,

Eminentia Vestra devotissimus

✠ IOANNES IOBST, S. A. C.
Episcopus tit. Pitanaeus
Vicarius Ap. Kimberlisiensis

25

EXC.MI P. D. IOSEPHI B. ROPER

Episcopi tit. Elusani

24 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pergrato animo accepi litteras tuas datas 18 iunii 1959 quibus certiorem me fecisti Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. regn. in Festo Pentecostes anni currentis Commissionem Antepraeparatoriam instituisse pro futuro Concilio Oecumenico, cui Commissioni Eminentia Tua praeest.

In quantum possum secundum infirmitates meas operam dedi ut omnibus monitis tuis in hac magna materia obediar, sed, etiam consultis nonnullis peritis et prudentibus, nihil ad rem habeo.

Addictissimus in Christo servus

✠ IOSEPH B. ROPER
Episcopus tit. Elusanus

26

Exc.mi P. D. IACOBI FREEMAN

Episcopi tit. Hermopolitani Minoris, Auxiliaris Sydneyensis

Die 15 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Dum ad litteris Eminentiae Tuae de Concilio Oecumenico respondendum me accingo, duo praesertim invenio, quae inter opiniones, consilia, vota episcoporum humiliter proponere velim.

Primum est, ut de vita episcoporum aliquid statuatur, quo spiritus illius Apostolorum verbi magis in Ecclesia vigeat: « Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis » (*Act.* VI: 2). Etenim hodie fere ubique gentium episcopi negotiis administrationis nimis gravantur, ita ut vita eorum typum, ut ita dicam, burocraticum exhibeat.

Alterum autem est, ut leges censurarum diligenter perpendantur, ad statuendum quaenam ex tot censuris, et qualiter pro temporum nostrorum condicione retinendae sint.

His votis propositis, manus Eminentiae tuae humiliter deosculor et me profiteor

Devotissimum in Christo Servum

✠ Iacobus Freeman
Episcopus tit. Hermopolitanus Minor
Auxiliaris Sydneyensis

27

Exc.mi P. D. FRANCISCI X. GSELL

Episcopi tit. Pariensis

Eminence Révérendissime,

Je commence ma réponse par des excuses. Ayant vécu pendant 56 ans parmi les indigènes de l'Australie, où personne ne parle le latin, mon latin en a souffert. J'ai donc pensé que le français le remplacerait aisément. Je vous demande donc de m'excuser de prendre cette liberté.

Votre circulaire demande ensuite une prompte réponse. Or depuis

un an je suis dans l'infirmerie avec une maladie étrange qui nous rend impotent corps et âme, avec impossibilité de tenir une plume et de construire une phrase. Ne sachant combien de temps cette maladie va encore durer et me sentant un peu mieux, j'ai cru profiter de l'occasion pour donner signe de vie.

L'opinion des indigènes vaut celle d'un nouveau-né; on ne peut pas tenir compte. Celle des blancs qui vivent dans la brousse ne vaut guère mieux. Naturellement l'unité de la Foi et de l'exercice de la religion serait à désirer.

Veuillez, Eminence, excuser ma brève réponse et bénir votre serviteur dans son effort. Que Dieu bénisse et protège son Eglise.

✠ FRANÇOIS X. GSELL
Evêque tit. de Paro

28

EXC.MI P. D. PATRITII M. O'DONNEL

Archiepiscopi tit. Pelusiotani, Coadiutoris c. s. Brisbanensis

1. Poenae excommunicationis latae sententiae reducantur numerice in quantum fieri potest saltem pro laicis. Inutiles quidem videntur ad effectum consequendum cum propter ignorantiam poenarum saepissime non incurrantur.

2. Augeatur numerus addictorum servitio S. R. Tribunalium ut magis expediatur exitus causarum praesertim matrimonialium.

3. In regionibus ab Urbe remotioribus aliqua mora haberi potest propter distantiam in obtinendo Rescripta a Sancta Sede. In Australia ubi progressus Ecclesiae est pari passu cum progressu civili necesse est in alienando bonorum in commodum Ecclesiae ut decisiones promptae sint ne progressus Ecclesiae tardetur. Valor bonorum requirens licentiam S. Sedis aequivalet in Australia £ 2,500, quae summa non est extraordinaria relative ad conditiones oeconomicas in hac regione. Hinc, iuvabit augere valorem pro quo requiritur licentia Apostolica ne saepe saepius ad Sanctam Sedem recurrendum sit.

4. In officiis nonnullorum Sanctorum lectiones secundi nocturni magis critice confici possent.

5. *De monialibus et sororibus religiosis*: Cum non raro et quidem ob ignorantiam vel inadvertentiam occurrant quaedam irregularitates — e. g. in electionibus, in supputatione temporis novitiatus, etc. — quae

validitatem actuum afficiunt ita ut ipsa professio religiosa et actus subsequentes omnino invalidae sint; et quia tales invaliditates diu continuare et crescere possunt quin detegantur, valde optandum est ut conditiones quae nunc pro validitate ponuntur, in futurum potius pro liceitate, in quantum fieri potest, habeantur.

6. Clarificatio can. 522 necessaria est. Forsan mutari possit ut sic:

Si, non obstante praescripto cann. 520, 521, aliqua religiosa, ad suae conscientiae tranquillitatem, confessarium adeat ab *aliquo* Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio peracta in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico, *vel ex causa verae necessitatis extra sedem confessionalem, adhibitis cautelis opportunis,* valida et licita est, etc.

7. Tempus videtur opportunum ut exploretur convenientia initiandi discussiones, saltem non formaliter, cum quibusdam de illa secta ecclesiae anglicanae quae vocatur « High Church ». Adsunt in illa secta viri praestantes qui sincere desiderant unionem cum Sancta Sede. Quia tamen secta diffunditur — et plus minusve modo autonomo — per diversas regiones oporteret discussiones tenere in unaquaque regione. Annuente Sancta Sede, iudicet Coetus Episcoporum in his regionibus — puta, in Anglia, Australia, Canada, America Septemtrionali (Stati Uniti) — de convenientia vel utilitate tales discussiones initiandi.

✠ Patritius M. O'Donnel
Archiepiscopus tit. Pelusiotanus
Coadiutor c. s. Brisbanensis

29

Exc.mi P. D. IACOBI G. GLEESON

Episcopi tit. Sestensis, Auxiliaris Adelaidensis

Die 2 februarii 1960

Reverendissime Domine,

Epistola tua die 18 iunii 1959 conscripta rite ad me pervenit. Mihi permultae laetitiae causa fuit optimam habere notitiam de sapienti consilio Supremi Pontificis quoad Commissionem Antepreparatoriam pro futuro Concilio Oecumenico instituendam. Certissime ex diversis partibus orbis universi sententiarum, consiliorum et votorum congeries iam praedictae Commissioni submissa est ita ut nullam habeam rem alicuius magni momenti adiungendam quae non sit ab alio futuro Patre prius exagi-

tata. Tamen, in quantum humana fragilitas mihi liceat optimum habeo propositum preces fundendi Ssmae. Triadi ut abundanter benedicat opus sanctum tum Commissionis Antepraeparatoriae cum ipsius Concilii futuri Oecumenici.

Interim cuncta a Domino fausta tibi exopto et peramanter in Domino me profiteor

addictissimum in Domino
✠ Iacobus G. Gleeson
Episcopus tit. Sestensis
Auxiliaris Adelaidensis

MELANESIA

1

Exc.mi P. D. PETRI MARTIN

Episcopi tit. Selinusiensis, Vicarii Ap. Novae Caledoniae
(Nouvelle Calédonie)

Nouméa, die 20 octobris 1959

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Ab Eminentia Tua Reverendissima, mense iulii 1959, iam litteras accepi de consiliis ac votis quae in futuro Concilio tractari possent.

I. De Doctrina

Videtur quod:

1. Optandum erit ut:

conclusiones iam in Concilio Vaticano praeparatae de *Ecclesia*: scilicet de potestate Episcoporum, de munere pastorali eorumdem in sua dioecesi, quamvis sint Pontifici Romano subiecti, valde perficiantur,

necnon de *unitate* in se et in eius relationibus cum *universalitate* certe et aperte disseratur.

2. Voluntas universalis salutis pro singulis hominibus determinanda est, Deo unicuique casui singulari actionem suam ita accommodante, ut nullus a visione beatifica excludatur, nisi personaliter actum malum in se susceperit.

II. De praxi

A) *Canonica*

De Matrimonio:

a) minora impedimenta avellere;

b) Ordinariis facultatem concedere ut sanationem in radice concedere valeant cum nullitas ex hoc defectu formae tantum procedat quod sacerdos sine delegatione matrimonium celebraverit;

c) actiones matrimoniales, praesertim in Missionibus expeditiores ac faciliores instituere;

d) dispensationes « super ratum et non consummatum » velocius concedere, sive Romae augeantur dispensatores, sive Nuntii, Delegati Apostolici, Ordinarii facultatibus congruis ditentur.

B) *Liturgica*

1. Sic Pontificale necnon Rituale retractare ut felicius praesenti menti adaptetur.

2. Non solum modernarum linguarum usui favere in his regionibus in quibus unica lingua adhibetur, sed etiam ritus tum Sacramentorum tum Sacramentalium ad consuetudines locales, servatis servandis, ita restaurare ut menti indigenae melius adaptentur.

3. Martyrologium emendare.

4. Breviarii emendationem conficere.

Quae argumenta Eminentiae Tuae Reverendissimae humiliter praesentare ausus sum, ad solam maiorem Dei gloriam perpulsus, et sincero zelo animarum ac profundo amore erga Matrem Ecclesiam animatus, in cuius rei fide ad Tuam Sacram Purpuram provolutus, anulum Tuum osculari gaudeo.

✠ PETRUS MARTIN
Episcopus tit. Selinusiensis
Vicarius Ap. Novae Caledoniae

MICRONESIA

1

Exc.mi P. D. VINCENTII KENNALLY

Episcopi tit. Sassuritani, Vicarii Ap. Carolinensis et de Marshall
(Caroline Islands)

30 augusti 1959

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Mihi pergratum fuit accipere litteras quibus vocatus sum ad res suggerendas quae utiles forent ut in Concilio Oecumenico tractentur.

Ad hunc finem consilia inivi cum patribus missionis. Ex his, autem, nulla materia orta est quae ut Commissioni Antepraeparatoriae proponatur digna videatur.

Neque mihi in mentem venit aliquod ad proponendum Commissioni Antepraeparatoriae.

Ut mihi videtur, iuxta can. 223, uti Episcopus Titularis, non sum ex iure in Concilium Oecumenicum vocatus. Tamen, uti Ordinarius huius Vicariatus Apostolici, fortasse vocatus sum. Velim, si possit, me certiorem de hac re fieri.

Cotidie preces offero ad Spiritum Sanctum ut gratiae effundantur ut labor Commissionis Pontificiae Antepraeparatoriae ad gloriam Dei et Ecclesiae robur profuturus sit.

Eminentiae Tuae Rev.mae
add.mus

✠ Vincentius Kennally, S. I.
Episcopus tit. Sassuritanus
Vicarius Ap. Carolinensis et de Marshall

2

EXC.MI P. D. OCTAVII TERRIENNE

Episcopi tit. Menelaitensis, Vicarii Ap. Insularum Gilbertinarum
(Gilbert Islands)

27 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Gratias ago Tibi, Eminentissime Domine, pro littera d. 18 iunii 1959, Prot. N. 1 C/59-1767 quae mihi potestatem dabat exprimendi vota mea circa ea quae in futuro Concilio Oecumenico tractari possent.

1. In hac missione, in re matrimoniali, multae et magnae sunt difficultates ortae ex can. 1098, § 1 (« extra mortis periculum ») cum perdifficile sit cognoscere intentionem coniugum. Fere omnes difficultates suppressae essent si coniuges tenerentur, ad validitatem, adire catechistam qui praeest religiosae communitati durante absentia sacerdotis insulae. Quam maxime simplificare legislationem matrimonii est votum missionariorum omnium.

2. Pueri et puellae excellentes libros in lingua anglica scriptos pro scholaribus studiis habent, sed locales Sorores in missionibus non possunt uti libris paratis pro anglicis, americanis, australiensibus Sororibus. Existimo perutile esse componere libros in lingua anglica, stylo simplici, pro indigenis Sororibus quae indigent spirituali educatione et devotionis incremento.

3. Non superfluum esset denuo studere quaestioni duplicis auctoritatis (religiosae et ecclesiasticae) quae interdum magnarum difficultatum causa est pro apostolico vicario.

4. Mihi videtur necessarium cum auctoritate scribere de momento et vera notione obedientiae propter speciales conditiones temporum et animorum.

5. Simili modo de religiosa perfectione completus tractatus cum auctoritate scriptus valde utilis esset.

✠ OCTAVIUS TERRIENNE
Episcopus tit. Menelaitensis
Vicarius Ap. Insularum Gilbertinarum

3

EXC.MI P. D. GULIELMI A. BAUMGARTNER

Episcopi tit. Ioppitani, Vicarii Ap. Guamensis (Guam)

16 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Invitationem ad annuntiatum futurum Concilium Oecumenicum laetus iam recepi et, Deo volente, interesse spero. Hoc autem tempore nullas habeo animadversiones, opiniones aut vota notae digna circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt, ut offeram Commissioni Antepraeparatoriae cui Sanctissimus Dominus noster, Ioannes XXIII, Pontifex Maximus, commisit opera praeparatoria.

Orationibus clericorum, religiosorum religiosarumque necnon fidelium Vicariatus Guamensis opera Vestra iam commendavi; et exemplar commendationis ipsae una cum his litteris transmitto.

Interim maxima cum reverentia, Eminentia Vestra, me subsigno

In Christo Iesu

✠ GULIELMUS A. BAUMGARTNER
Episcopus tit. Ioppitanus
Vicarius Ap. Guamensis

NOVA GUINEA
ET ARCHIPELAGUS BISMARCK

1

EXC.MI P. D. ADOLFI A. NOSER

Episcopi tit. Hierpinianensis, Vicarii Ap. Portus Alexii
(Alexishafen)

March 25, 1960

Your Eminence,

I feel that much good would come from an authoritative statement by the Council on the existence and nature of the spiritual fatherhood of the Catholic priest. It would help both priest and people to become more conscious of the intimate relations that exist between them and of the practical consequences for their daily lives of these very real spiritual bonds. Bringing into clear light and defining the role of the priest as the channel of the life of grace for his spiritual children would serve to bring both into intimate union and unity, and to live continually in the consciousness of this beautiful spiritual relation. I have received letters repeatedly earnestly asking that I petition the General Council to do something by way of authoritative statement or definition to focus the attention of both priests and people upon the spiritual fatherhood of the priest so that both may share in the rich fruits which such awareness will bring.

Two other matters, viz. the spiritual motherhood of the Blessed Virgin Mary, and her universal mediatrixship, have undoubtedly been brought up already. I wish to support these whole-heartedly.

Praying God to bless the work of the General Council, I remain,

Most respectfully in Spiritu Sancto

✠ ADOLPH A. NOSER, S. V. D.
Bishop tit. of Gerpiniana
Vicar Apostolic of Alexishafen.

2

Exc.mi P. D. MANFRIDI STAVERMAN

Episcopi tit. Mosynopolitani, Vicarii Ap. Hollandiae
(Hollandia)

Hollandia, 14 ianuarii 1960

Eminentissime Princeps,

Litterae Vestrae, datae die 18 iunii 1959 Prot. N. 1 C/59-1772, quibus Eminentia Vestra me invitabat ut desideria ac propositiones notoficarem in ordine ad Concilium Oecumenicum venturum, die 6 augusti tandem huc pervenerunt. Cum autem in mensibus posterioribus perfecerim multa et diutina itinera in meo Vicariatu, qui tam late patet, nunc tandem litteris Vestris respondere possum. Excusationem reverentem meam pro hac retardatione Eminentia Vestra benigne accipere velit.

Confortatus autem petitione Eminentiae Vestrae ut desideria palam et candide patefacerem, ad proposita quae sequuntur animum attendere velim.

Praenotandum

Commonitiones illae quas S. Sedes praesertim ultimis decenniis fecit erga laicos ut ipsi participarent in apostolatu, necnon modus admirabilis quo multi laici ubique terrarum ad hanc invitationem responderunt; maxime autem notio quam theologia ultimis decenniis acquisivit circa locum laicorum in Ecclesia Dei, secundum meam opinionem requirunt ut pars laicorum explicite assumatur in praeparatione Concilii Oecumenici occasionemque acquirat participandi aliquo modo huic Concilio Oecumenico.

1. *Mariologia.*

Putamus mariologiam pro rata totius theologiae nimium momentum recepisse. Quo damnum affertur evolutioni sanae et aequilibri doni fidei spiritualitatisque christianae. Praeterea eo ipso obstacula ponuntur, quin autem necesse sit, motui oecumenico. Quare certe non possumus assensum dare illi Motui pro definitione dogmatica Maternitatis spiritualis B. M. Virginis, qui in Mexico agitur et ab Hierarchia sustentatur.

2. *Relatio Ecclesiam inter et Statum.*

Concilium Oecumenicum circa hanc rem explanationes faciat, quae hodierno theologiae statui correspondeant. Quare etiam proponatur problema *libertatis religiosae.* Ratio agendi, quae in quibusdam regionibus

assumitur erga protestantes, non amplius iustificata censeri potest, dolorosum quoque effectum secumfert in iis regionibus, ubi catholici minore numero adsunt.

3. *Regiones minus evolutae.*

Concilium Oecumenicum iudicium pronuntiet de problemate regionum minus evolutarum ac de quaestionibus cohaerentibus: penuria materialis in his regionibus, quae crude opponitur superfluitati materiali in multis regionibus evolutis; conatus emancipationis et independentiae nationalis; relationes quae intercedunt inter gentes diversi coloris, inter albidos et nigros, subnigros et gilvos.

4. *Matrimonii doctrina moralis.*

Anxietas conscientiae multorum nuptorum bonae voluntatis quod ad usum matrimonii inquietat animum. Renovata examinatio sensus matrimonii eiusdemque finis necessaria est. Concilium Oecumenicum hoc ploblema mundiale praetermittere non debet.

5. *Concilium Oecumenicum.*

In hoc Concilio Oecumenico statuatur quonam tempore Concilium Oecumenicum proxime venturum habebitur ut ita praeveniatur denuo per centum annos Concilium Oecumenicum exspectandum.

6. *Ordinationes.*

In regionibus missionum restauratio ordinationum minorum optanda censetur pro bona aedificatione Ecclesiae.

7. *Missae celebratio.*

Optatur facultas celebrandi Missam quacumque diei hora, iuxta necessitatem vel etiam commoditatem populi; item in locis extra ecclesias vel oratoria, iis tantum exceptis, in quibus reverentia tanto Sacramento debita observari non potest, iuxta Ordinarii loci aestimationem; item bis in die, iis quoque diebus quibus non urget praeceptum Missae audiendae. Preces porro post Missam lectam non amplius praeceptive sed facultative dicantur.

8. *Confirmatio.*

Hoc Sacramentum pro regula conferatur iis qui aetatem decem et octo annorum attigerunt.

9. *Breviarium.*

Suppressio obligationis recitandi officia Beatorum vel Beatarum, facultate eadem recitandi pro personis privatis retenta.

10. *Oleum infirmorum.*

Facultas conferendi Sacramentum Olei infirmorum iis personis, qui seria infirmitate labuntur, etsi in periculo mortis nondum constituti.

11. *Liturgia in Missionibus.*

In hac re consentimus cum conclusionibus et votis Congressus « Missio et Liturgia », mense septembri superiore habiti in Nijmegen-Uden in Neerlandia, praeside Em.mo Card. Gracias.

12. *Confessio sacramentalis.*

Abolitio confessionis sacramentalis pro religiosis quacumque hebdomada; sufficiat obligatio semel in mense.
Cum summae venerationis sensu subscribo,

✠ MANFRIDUS STAVERMAN, O. F. M.
Episcopus tit. Mosynopolitanus
Vicarius Ap. Hollandiae

3

EXC.MI P. D. HERMANNI TILLEMANS
Episcopi tit. Berisseni, Vicarii Ap. Meraukensis (Merauke)

Merauke, 21 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Ad perducendas omnes gentes ad lumen Evangelii modus praedicandi et explicandi fidei nostrae mysteria adaptandus esse videtur necnon caeremoniae liturgicae applicandae statui mentis et geographico gentium. Necessitas et methodus adaptationis catecheticae et applicationis Liturgiae Sacrae in nostris regionibus praesertim demonstratae et propagatae sunt ab Excellentissimo Domino W. van Bekkum, Vicario Apostolico Rutengensi in insula Flores (Indonesia) et a Reverendissimo Patre Hofingen S. I., directore Instituti Apologeticae missionalis in Manila (Insulae Philippinae), inter alios in periodicis « Missie en Liturgie » et « Mission Bulletin ».

Quorum opiniones et argumenta Nos et Missionarii nostri approbamus et magni pretii aestimamus etiam pro ovibus nostri gregis in Nova Guinea Neerlandica.

Specialem autem attentionem Commissionis Pontificae Antepraeparatoriae Pro Concilio Oecumenico rogamus pro quaestione cooperatorum assistentium Missionarios, quae est magni et urgentis momenti. « Messis quidem multa, operarii autem pauci ». Permultae in hac terra regiones sunt ubi christifidelium multitudini sacerdotum numerus non respondet. Praesertim in quibusdam regionibus missionum haec Christi verba applicanda videntur, non propter penuriam sacerdotum habita ratione cum numero absoluto fidelium ibi degentium, sed propter varias condiciones quae impediunt ne christifideles a sacerdotibus suis apte et rite adiuventur. Quae res etiam obtinet in missionibus Novae Guineae. Singulis enim missionariis cura incumbit viginti circiter pagorum, qui omnes inter se valde distant, ita ut semel dumtaxat in sex hebdomadibus vel semel in duobus mensibus fideles occasionem nanciscuntur accedendi ad sacramenta, Missam audiendi, instructionem religiosam accipiendi et cetera huiusmodi. Rarissime accidit ut moribundi sacramentis muniri possint.

Forsitan decima tantum pars eorum, qui vita iam functi sunt, Extrema Unctione muniri potuit. Fere nulla invenitur ecclesia ubi Sanctissimum asservatur; plerisque in stationibus secundariis die Dominica Missa numquam celebrari potest, ita ut fideles consuetudinem Missae audiendi in die Dominica addiscere non valeant.

Cum illae gentes in paganismo vel in barbaria crudeli adhuc versabantur, omnes earum vitae condiciones functionibus religiosis ornabantur. In nostris vero diebus, cum veram religionem amplexi sunt homines, isti abusus equidem e medio eorum ablati sunt, sed in illorum locum nihil aliud suppositum est quam aliquae preces a catechista vel ab alio viro laico dictae, sine caeremoniis liturgicis et sine actuosa participatione fidelium. Sic rerum condicio inducta est quae incremento fidei apud gentes nuper e barbaria profundissima et crudelissima erutas, valde officiat. Medelae ad vitam religiose efformandam omnino deficiunt. Ad substituendum ubique in locum sacerdotum gentilitatis sacerdotes Novae Legis, numerus missionariorum numquam sufficere potest. Insuper in plerisque pagis numerus incolarum minor est quam quod unus sacerdos per singulos dies operam consumere ibi posset. Laici autem charactere sacrali ad officia religiosa illa exercenda carent.

His omnibus perpensis mihi videtur penuria sacerdotum partim saltem tolli posse si officia ordinum minorum, subdiaconatus et diaconatus denuo ad usum realem transferantur. Equidem sacrum facere

non possunt ministri minores et diaconi, sed fidelibus occasio daretur petendi benedictiones, quae apud gentes magni aestimantur, necnon ad S. Synaxim accedendi quoties vellent etiam quotidie.

Institutio autem ordinum minorum et diaconatus nostris temporibus ad sacerdotium adipiscendum dirigitur, qua de causa pro functionibus supra dictis in regionibus missionum exercendis minus apta videtur vel etiam magna ex parte inutilis ideoque nimis difficilis.

Eminentiae tuae et Excellentibus Patribus Concilii proponitur restitutio ordinum minorum, subdiaconatus et diaconatus ut functio sacra reapse et pro vita exercenda.

Fausta quaeque Eminentiae Tuae a Domino adprecans

Eminentiae Tuae
add.mus in Domino
✠ Hermannus Tillemans
Episcopus tit. Berissenus
Vicarius Ap. Meraukensis

4

Exc.mi P. D. LEONIS I. SCHARMACH
Episcopi tit. Mostenensis, Vicarii Ap. Rabaulensis (Rabaul)

17 augusti 1959

1. Petitur ut instructio N. 6 rubricarum Hebdomadae sanctae extendatur ad omnes Missas sollemniter celebratas, nempe: « In Missa si solemniter celebratur, scilicet cum ministris sacris, ea omnia, quae diaconus vel subdiaconus vel lector, vi proprii officii cantant vel legunt, a celebrante omittuntur ».

2. Rogatur ut Ordinariis generaliter detur facultas permittendi iusta de causa, ut in Missa solemni: Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Benedictus et Agnus Dei substituantur hymnis in lingua vernacula exacte translatis vel canticis adaequatis, ut magis actuosa fiat participatio fidelium.

3. Petitur ut festa aliquorum Sanctorum ac Martyrum antiquorum supprimantur eo fine, ut sancti viri et feminae recentioris temporis magis venerari possint.

4. Rogatur etiam ut lectiones Matutini in Breviario Romano redu-

cantur ad unum Nocturnum ac in recitatione privata facultas detur utendi lingua vernacula ad libitum sacerdotis.

5. Petitur ut Calendarium renovetur et dies Dominicae Paschatis stabiliatur.

6. Suadetur facilitatis conversionis Protestantium causa, facultatem dandi generalem ministris acatholicis matrimonio ligatis, ut matrimonium suum continuare valeant post ordinationem sacerdotalem.

7. Suadetur Apostolatum laicorum intensive extendendi necnon Actionem Catholicam ac Legionem Mariae fovendi uti temporibus nostris maxime necessariis.

✠ LEO I. SCHARMACH
Episcopus tit. Mostenensis
Vicarius Ap. Rabaulensis

5

EXC.MI P. D. LEONIS ARKFELD

Episcopi tit. Bucellensis, Vicarii Ap. Vevakensis (Wewak)

Die 12 augusti 1959

Eminentia Reverendissima,

Pergrato animo accepi litteras die 18 iunii 1959 missas (Prot. N. 1 C/59-1892).

Sit mihi permissum faciendi subsequentia proposita ad Commissionem pro futuro Concilio Oecumenico:

1. Ut conferre liceat ordines maiores Subdiaconatus et Diaconatus sub his conditionibus:

a) ut recipiens habeat eundem gradum educationis quem incolae territorii magis eruditi habent;

b) ut recipiens sit membrum communitatis religiosae qui emisit votum castitatis saltem temporaneum, vel vivens in mundo emisit idem votum;

c) ut solus Ordinarius loci iudicet de recipientis idoneitate;

d) ut hi ordines non conferantur nisi urgens necessitas alicuius territorii id postulet.

2. Ut conferri liceat ordines minores sequentibus conditionibus:

a) ut recipiens sit bonae famae;

b) ut recipiens assecutus sit gradum educationis quem incolae territorii bene eruditi habent;

c) ut recipiens sit maturae aetatis;

d) ut recipiens possit esse obstrictus vinculo matrimonii vel determinatus sit vitam castam ducendi;

e) ut solus Ordinarius iudicet de idoneitate recipientis;

f) ut hi ordines non conferantur nisi urgens necessitas alicuius territorii id postulet.

3. Ut usus translationum acatholicarum Scripturae Sacrae fidelibus permittatur sequentibus conditionibus:

a) ut in iis nihil contineatur contra fidem et bonos mores; ne causent falsas impressiones in animas legentium; ut iudicium hac de re reservetur Ordinario loci;

b) ut adsint rationes graves pro hac permissione, exempli gratia:

1) ad infringendum praeiudicium inter Catholicos et haereticos existens,

2) ne acatholici accusent nos quod Sacra Scriptura arceatur a fidelibus in iis locis ubi translationes catholicae nondum existunt. Si hae translationes acatholicae errores non continent earum usus permittatur. Insuper uti possint ad refutandos haereticorum errores. Catholici indigenae Novae Guineae saepe saepius ad alias regiones transeunt ad laborandum. Revertuntur cum translationibus acatholicis Scripturae Sacrae. Hi catholici indigenae sunt indolis valde primitivae et non intelligunt quare hi libri iis prohibeantur.

4. Ut ad sententiam canonis 770 *C.I.C.* « Infantes quam primum baptizentur » addantur verba: « dummodo catholicae eorum educationi cautum sit ».

5. Ut pastoribus animarum imponatur stricta obligatio celebrandi Missam binatam vel vespertinam diebus Dominicis et Festis de praecepto, ne fidelium notabilis pars beneficio Sacrificii Missae privetur.

6. Ut in locis missionum Ordinariis delegetur facultas dissolvendi matrimonium duorum paganorum post divortium civile *in favorem Fidei* alicuius cui impossibile est contrahere matrimonium cum parte catholica. Cf. Cappello, S. I., De Matrimonio, editio 6, n. 791 bis, 2: « Quae solutio seu applicatio potestatis vicariae vere probabilis videtur atque ut talis habenda ».

7. Ut inserantur in Codicem Iuris Canonici leges de iis qui sint suspecti de apostasia, sicuti leges habentur de iis qui suspecti sunt de haeresi.

8. Ut favores in can. 1098 *C.I.C.* concessi quoad extraordinariam formam matrimonii in locis missionum limitentur et iudicium hac de re reservetur Ordinario loci. Ratio est quia in locis missionum nupturientes saepe saepius matrimonium contrahunt sub influxu metus reve-

rentialis a parentibus et propinquis vel moribus patriae incussi, et, post factum, difficile est diiudicare de valore matrimonii.

Submitto haec proposita iudicio auctoritatis ecclesiasticae.

Haec cum Tecum communico, impensos meae aestimationis sensus Tibi obtestor permanens Eminentiae Tuae Rev.mae

add.mus in Corde Mariae

✠ LEO ARKFELD
Episcopus tit. Bucellensis
Vicarius Ap. Vevakensis

NOVA ZELANDIA

1

EXC.MI P. D. EDUARDI M. JOYCE

Episcopi Christopolitani (Christchurch)

Die 4 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Gratias ago Eminentiae Tuae pro litteris 18 iunii 1959.

Consilio virorum ecclesiasticorum peritorum et prudentium audito, omni cum humilitate, quasdam sententias perago, circa argumenta quae in futuro Concilio tractari poterunt:

1. *Relate ad compositionem Collegii Cardinalium.*

Ut numerus Eminentissimorum augeatur, et, in proximum, sit centum.

2. *Relate ad res liturgicas.*

a) Ut, in administratione sacramentorum, omnia, verbis formae exceptis, lingua vernacula permittantur.

b) Ut idem permittatur in ritu exsequiali.

c) Ut in omnibus Missis in honorem Beatae Mariae Virginis, privilegium extendatur per totum mundum utendi paramentis coloris specialis.

3. *Relate ad doctrinam Sanctae Ecclesiae.*

Ut dogma de Beata Maria Virgine, Omnium Gratiarum Mediatrice, amplius studeatur, ad hanc doctrinam sollemniter definiendam.

Preces nostras coniungimus pro optimis fructibus eveniendis e Concilio Oecumenico, necnon pro labore Eminentiae Tuae atque coadiutorum tuorum in Commissione Antepraeparatoria, et ex corde me profiteor

Eminentiae Tuae
Devotissimum in Christo

✠ EDUARDUS M. JOYCE
Episcopus Christopolitanus

2

Exc.mi P. D. IOANNIS P. KAVANAGH
Episcopi Dunedinensis (Dunedin)

Die 21 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Ut respondeam ad Vestrae Eminentiae litteras denuo datas die 21 martii 1960 (Prot. N. 1 C/59-465 bis) quibus rogabantur opiniones et consilia de rebus et argumentis quae in futuro Concilio Oecumenico opportune tractari possent, pergratum mihi est sententias una cum animadversiones de his rebus expetitas communicare, quae, habita praesertim ratione boni animarum et utilitatis pastoralis, mihi videntur esse prae ceteris graviores.

Dolet mihi hanc responsionem tamdiu delatam fuisse, et veniam precor benignam.

Quo maximo est obsequio Eminentiam Vestram prosequor meque profiteor

Eminentiae Vestrae add.mum
✠ Ioannes P. Kavanagh
Episcopus Dunedinensis

A) De Sacramentis

1\. *De Baptismo.*

Ut ritus pro sollemni collatione Baptismi ad formam simpliciorem redigatur.

Animadversiones: Constat ex diuturna experientia caeremonias quae praecedunt ipsum Baptismum, quales sunt exhalatio in faciem baptizandi, ministratio salis, reiterati exorcismi, aurium et narium cum sputo madefactio, hodie parum vel nihil significare pro populo nostro etiam cum bene explicantur, ita ut plurimum habeantur ab eis tamquam reliquiae antiquitatis reverentiae utique dignae, seu tamquam anachronismi.

2\. *De Eucharistia.*

a) *Ut Sacramento.*

Ut disciplina nunc vigente de ieiunio eucharistico immutetur et ita statuatur: Fideles ad S. Synaxim accedentes ieiuni sint et a cibo et a potu ab una hora ante initium Missae.

Animadversiones: Difficultates adsunt pro fidelibus hac in regione quae maxime obsunt frequentiori receptioni Sacramenti praesertim cum

agitur de Missis vespertinis. Imprimis, apud nos hora coenae seu refectionis vespertinae communiter est hora quinta vel sexta postmeridiana, hora illa nempe statim post opus diei completum. Deinde, ut possint assistere fideles, Missae vespertinae vel functiones in quibus distribuitur Communio plerumque debent locum habere antequam tres horae statutae pro ieiunio a cibo elapsae sint. Quapropter, si quis ex familia, v. g., velit ad S. Synaxim accedere horis vespertinis vel intra vel extra Missam, aut debet omnino omittere coenam aut aliquo modo fit causa deordinationis vitae domesticae cum necesse sit horam coenae deferre.

Magis difficulter ergo Sacramentum suscipiunt quam illi qui alibi e. g. in Europa, secundum morem, coenam non sumunt ante horam octavam, nonam vel etiam decimam postmeridianam, quia ad Sanctam Communionem recipiendam maius exposcitur sacrificium et a parte sumentis et a parte familiarum eius. Sane, mens S. Pontificis inducendo mitigatam disciplinam de ieiunio eucharistico erat faciliorem reddere frequentem susceptionem Sanctae Communionis: quod praesenti disciplina et hisce in adiunctis non plene actuatur, sed potius impeditur.

Denique, cum non omnes sacerdotes sacrum litando eumdem tempus requirant, nec omnes Missae tempore aequales sint, deficiente tempore praeciso Communionis populi post Missam inceptam, fideles non possunt cum certitudine computare tres horas ieiunii; et non raro aut scrupulis anxiantur, aut ob errorem in rei computatione non possunt intra Missam sacramentum suscipere.

b) *De Eucharistia ut Sacrificium.*

Ut in S. Missa omittantur Psalmus « Iudica me », et ultimum evangelium S. Ioannis, ita ut incipiatur a confessione et terminetur benedictione. Praeterea, ut post postcommunionem, verso sacerdote ad populum, statim addantur duae vel tres orationes pro gratiarum actione populi, recitandae ab omnibus cum sacerdote lingua latina, vel etiam, si visum fuerit, vulgari.

3. *De Matrimonio.*

Ut omnes et singuli quomodocumque valide baptizati universim ad formam canonicam servandam teneantur.

Animadversiones: Hodierno tempore, cum quisque protestantium suam sequitur viam, prudenter suspicari potest de validitate cuiusvis baptismi a ministris e sectis protestantibus seu acatholicis collati aut ob defectum formae aut ob defectum intentionis requisitae. Fere omni in casu, adest dubium prudens, quod tamen resolvere valde difficile est vel plerumque moraliter impossibile, cum quaerentem oporteat semper inquirere de praxi, intentione et opinionibus subiectivis singulorum ministrorum.

Item, cum apud acatholicos in dies crebrescit doctrina et praxis sic dicti divortii civilis, videtur nonnullos acatholicos matrimonium inter se inire cum intentione contraria ad indissolubilitatem et cum consensu limitato, adeo ut contractus matrimonialis revera irritus reddatur.

Haec autem valde obstant quin coniuges ad fidem conversi post divortium ineant matrimonium validum et christianum cum catholico. Nam ab una parte baptismum iam receperunt cuius validitas valde dubia est et debet manere: quod reddit difficillimum applicationem Privilegii Fidei vel Paulini; et ab altera parte matrimonium prius etiam dubium est sed aegre invalidum probari potest. Quare, apud nos plurimi sunt processus matrimoniales in privilegium fidei, qui propter difficultates perplexas diu protrahuntur: quod non vergit in bonum animarum.

Quaerelae acatholicorum non videntur propter hanc immutationem nimis anticipandae. Principium fundamentale iam agnoscitur in can. 1099 *C.I.C.*

B) De Praeceptis Ecclesiae

De Observantia Diei Dominicae.

Ut antiquus conceptus « operum servilium » de novo definiatur a Patribus, ut facilius possit applicari ad vitam moresque hodiernos.

C) De iuribus et officiis Personae et Status

1. *Ut, considerata gravissima attentione gentium hisce temporibus ad iura fundamentalia personae humanae, Patres Concilii reaffirment et denuo annuncient doctrinam de dignitate personae humanae de eiusque iuribus inalienatis proclamatam a Summis Pontificibus praesertim inde ab initio huius saeculi.*

2. *Item, ut Patres clare definiant correlativa personae erga Societatem et Statum civilem* officia, *et officia Status erga personam,* dato quod hodie multa proclamantur de iuribus, pauca vero de officiis sive personae sive Status civilis.

✠ Ioannes P. Kavanagh
Episcopus Dunedinensis

3

Exc.mi P. D. PETRI T. McKEEFRY
Archiepiscopi Vellingtonensis (Wellington)

1. Libri Breviarii, Ritualis, Missalis ac Pontificalis Romani, quam primum fieri poterit, recognoscendi sunt.

2. Breviarii additamenta, quae fiunt post novas festorum sollemni-

tates Universali Ecclesiae indictas, minuantur oportet. Nova autem festa, praesertim Sanctorum, Universali Ecclesiae ne indicantur, antequam XXV annorum spatium sit elapsum ab iisdem festis institutis, vel ab ipsorum Sanctorum publica consecratione. Additamenta Breviarii, alicuius nationis vel ecclesiasticae provinciae proprii, tunc tantum decernantur cum eiusdem nationis vel provinciae Episcopi ea unanima consensione poposcerint.

3. In recognoscendo Rituali, omnes sacrae caeremoniae (e. g. Benedictiones, etc.), quae Religiosorum Ordinibus reservantur, eae tollantur oportet. Quae norma etiam in Iesu Christi perdolentis stationibus condendis observanda est: etenim si Sancta Ecclesia aliquod pietatis opus Christi fidelium universitati proposuerit, eique rite expleto sacras indulgentias adiunxerit, haud sane decet idem religionis opus ab aliqua tantum privata sodalitate vel coetu foveri ac promoveri.

4. Si in solos locorum Ordinarios commissi populi regendi onus revera recidit, tollantur vel minuantur oportet eae legum immunitates, quibus aliqui Religiosorum Ordines utuntur.

5. Religiosorum Familiae, quae publicum templum iure habent, plenam quoque sedulamque eorum curationem suscipere debent, qui haec templa adeunt, si Ordinarius id iudicaverit ad maiorem populi utilitatem conducere.

6. Concilii patres se ab omni abstineant sententia, quae ad aliquod novum dogma pertineat, praesertim de B. V. Maria gratiarum conciliatrice. Cum enim ut certissimum veritatis caput pronuntiatum est Deiparam Virginem caelo receptam esse, novatores christiani, qui a catholica Ecclesia dissident, acerrime huic dogmati repugnarunt, ideoque assiduus labor, qui eo spectat ut iidem ad catholicam reducantur fidem, magnopere praepeditus est.

7. Si Apostolica Sedes facultatem fecerit ut aliquae Ritualis partes e Latino in communem convertantur sermonem, nationibus eiusdem linguae concedatur oportet ut coniunctim de hac re deliberent, ne in huiusmodi conversionibus haud opportunae verborum dissimilitudines exsistant.

✠ PETRUS T. MCKEEFRY
Archiepiscopus Vellingtonensis

POLYNESIA

1

EXC.MI P. D. VICTORIS FOLEY

Episcopi tit. Petinessensis, Vicarii Ap. Insularum Fidgis
(Fiji Islands)

17 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Tibi gratias ago propter epistolam 18 iunii 1959, 1 C/59-1764.

Desideraveram eas res deliberare cum Vicariis Apostolicis Insularum finitimarum Oceaniae, quae in Concilio tractari poterunt, sed tempus atque distantia obstant.

Mihi videtur nulla specialia argumenta exponenda habere extra res cotidianas et consuetas quae in his locis tractari debemus.

Propter epistolam tuam, Eminentissime Domine, maximam habeo gratiam.

✠ VICTOR FOLEY
Episcopus tit. Petinessensis
Vicarius Ap. Insularum Fidgis

2

EXC.MI P. D. PAULI MAZÉ

Episcopi tit. Ascalonitani, Vicarii Ap. Insularum Tahiti (Iles Tahiti)

25 août 1959

Eminence,

Nous avons reçu la lettre, en date du 18 juin dernier, de la Commission Pontificale Antépréparatoire au Concile Oecuménique, qui nous demande de présenter en toute simplicité les opinions, avis, conseils et vœux que nous jugeons opportuns pour le bien de l'Eglise et et des âmes.

Comme suite à cette communication, et après avoir consulté les ecclésiastiques du Vicariat qui nous semblent les plus avisés et les plus prudents, nous avons décidé d'un commun accord de soumettre à la très Honorable Commission les suggestions que vous trouvez ci-incluses.

Il va de soi que ce n'est que par obéissance que nous avons osé

proposer ces desiderata, bien déterminés d'avance à nous soumettre humblement à tout ce que l'Eglise et son Chef, le Souverain Pontife, voudra en définitive décider ferme et nous imposer.

Je prie votre Eminence, d'agréer l'hommage de mon humble soumission et le très profond respect avec lequel je me dis

Son très humble serviteur in X.to

✠ Paul Mazé
Evêque d'Ascalon
Vicaire Apostolique des Iles Tahiti

Suggestions

Principes

Que toutes les transformations de la discipline suivent les principes de simplification, clarté et authenticité.

de la Messe

1. Que les leçons puissent être lues directement en langue vulgaire.

2. Que le début des messes chantées ou solennelles soit allégé du Psaume « Iudica me ... »; que dans les autres messes les prières in plano soient dites « modo missarum pro defunctis ».

3. Que les chants en langue vulgaire soient maintenus dans les messes chantées ou solennelles.

— la coutume de chanter un ou deux chants tahitiens en langue vulgaire, pendant la Messe solennelle, remonte à l'origine de la mission (plus de cent ans).

4. Que soit rédigé un « Ordo Hebdomadae Sanctae » pour les prêtres *seuls* ne disposant que d'enfants de chœur.

— les prêtres seuls, la majorité ici, n'arrivent pas à accommoder les cérémonies actuels selon le nouvel ordo, surchargés qu'ils sont, au moment de la semaine sainte, par l'administration des sacrements.

Du rituel des Sacrements

1. Allègement des rites et prières du baptême pour les enfants et surtout pour les adultes.

— une réforme plus complète de la discipline dans l'administration

du sacrement de baptême aux adultes devrait prévoir une amélioration du catéchuménat.

2. Que les rites, leur signification, ne soient plus en opposition avec la mentalité locale ou moderne universelle; que l'on supprime par exemple, au baptême, l'usage de la salive (répugnant pour beaucoup de fidèles...) et que le principe soit admis, sur proposition de l'ordinaire, que l'on puisse introduire dans les cérémonies liturgiques, des rites correspondant aux gestes en usage dans le pays et compris de tous.

3. Qu'un rituel abrégé en tahitien soit rédigé;

— cela veut dire que l'usage d'une double langue vulgaire soit admis dans l'église locale, puisque le rituel bilingue français est déjà en usage ici.

Du Missel Romain

1. Que soient achevées brièvement la simplification, la transformation des textes du Missel Romain pour l'Eglise Universelle;

— que pour les pays et les époques de l'année où une leçon de la Messe vienne à contre temps ou soit mal comprise, le Missel propose d'autres textes *ad libitum*; mais que l'initiative du choix des épîtres ou des évangiles ne soit pas laissée à la discrétion de l'officiant lui-même.

2. Que l'on propose des introits en langue vulgaire ou en latin qui puissent se chanter pendant une période assez longue des différents cycles liturgiques;

— ceci pour éviter que des gens peu habitués au chant grégorien aient à apprendre une messe propre différente chaque semaine.

Du Bréviaire

Qu'un seul nocturne de trois leçons soit proposé pour chaque jour de l'année;

— la simplification déjà considérable apportée à la récitation du bréviaire, n'a pas allégé les prières à dire normalement avant la messe ou tôt le matin; reporter au soir des lectures nombreuses et longues n'aident ni à prier ni à la récitation de la prière officielle de l'Eglise.

Des Ordinations

Que les ordres inférieurs soient restaurés;

— cette restauration doit toucher non seulement la célébration des offices liturgiques mais le ministère paroissial ou diocésain dans son ensemble;

— il paraît souhaitable que des ordres soient conferrés aux meilleurs des auxiliares de la Mission; cela les intègrera à la hiérarchie

ecclésiastique aux yeux des fidèles, comme aux yeux des personnes étrangères à l'Eglise.

Du Pontifical Romain

1. Que les vêtements épiscopaux soient allégés, adaptés aux pays chauds.

2. Que soit supprimé le baisement de l'anneau au moment de la communion;

— l'indulgence attachée à cette pratique, préjudiciable à la bonne compréhension de la Communion, pourrait être jointe à une autre action pieuse.

Divers

Alcoolisme et Ivrognerie

1. Q'un document pontifical, de l'importance des grandes encycliques sur la question sociale, soit promulgué sur cette question.

2. Que l'usage modéré des vins et des alcools entre dans une pratique pénitentielle propre à l'Eglise;

— l'acoolisme, l'ivrognerie sont un fléau nouveau et terrible dans nos îles; les sectes abstentionistes nombreuses autour de nous font un reproche publique et constant aux gens d'église et aux fidèles de propager l'alcoolisme.

Jeûne Eucharistique

Que le prêtre qui célèbre trois messes le matin puisse faire usage d'aliments solides sans qu'il s'écoule obligatoirement trois heures avant la première messe.

Religieuses

Que les religieuses soient obligées et non plus seulement invitées, à simplifier leur costume;

— des jeunes filles sont parfois arrêtées par l'étrangeté de l'habit religieux.

Séminaires

Que les études approfondies sur le communisme et sur l'athéisme soient effectivement accomplies dans les séminaires selon les instructions et exhortations pontificales.

Code de Droit Canonique

Que le livre V, cc. 2.195--2.414, du Code de Droit Canonique relatif aux délits et aux peines, soit considérablement allégé et surtout

clarifié en s'inspirant davantage des besoins de la pastorale actuelle et permette aux prêtres de mieux administrer le sacrement de pénitence.

✠ PAUL MAZÉ
Evêque d'Ascalon
Vicaire Apostolique de Iles Tahiti

3

EXC.MI P. D. IOANNIS H. M. RODGERS
Episcopi tit. Sbidensis, Vicarii Ap. Insularum Tonga et Niue
(Tonga and Niue Islands)

6 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Periucundum mihi est mittere Eminentiae Tuae varias sententias quae pro posse meo praeparare potui pro deliberationibus Concilii Oecumenici Patrum si visum eis fuerit.

Interim Reverentiam obedientiamque Eminentiae Tuae profiteor et auxilium Dei postulo pro Te in complendo munere Tuo arduissimo et permaneo

Servus Tuus hum.mus ac dev.mus

✠ IOANNES H. M. RODGERS
Episcopus tit. Sbidensis
Vicarius Ap. Insularum Tonga et Niue

1. Utrum melius sit si omnes Ordinarii loci, sive Episcopi sive Praelati minoris gradus, eligantur in munus suum per modum electionis ab utroque clero.

2. Utrum melius sit si omnes Ordinarii loci ut supra in n. 1 munere suo abdicent anno septuagesimo aetatis suae completo vel etiam priusquam annum septuagesimum aetatis suae attingerentur ut mos est in variis muneribus ad res mundanas pertinentibus.

3. Utrum melius sit si omnes Ordinarii loci ut supra in n. 1 eligantur in officium pro spatio temporis prius definito, e. g., pro annis duodecim, ut mos est in variis Congregationibus religiosorum religiosarumque pro eorum Moderatoribus Supremis.

4. Utrum opportunum sit quaestionem molestissimam gravissimamque de Matrimoniis Mixtis simpliciorem reddere, praesertim in variis

regionibus ubi Catholici pauci sunt, vel saltem in Missionibus propter difficultatem vel etiam impossibilitatem Christifideles a Matrimoniis talibus arcendi.

5. Utrum sit voluntas Ecclesiae ut Confirmationis Sacramentum prius accipi possit ante Sacramentum Paenitentiae, cum hoc raro possibile sit.

6. Utrum bonum sit si Catechistae in Missionibus degentes ubi legatione pro Sacerdotibus funguntur ad quattuor Ordines Minores promoveantur ut auctoritas eorumdem Catechistarum sic augeatur coram Christifidelibus.

7. Utrum bonum, dignum et iustum sit si nomen S. Ioseph Canoni Missae addatur.

8. Utrum melius sit si variae hominum mulierumque Congregationes quae plus minusve eumdem spiritum habent in unum coalescant.

9. Utrum bonum sit si obligationes variarum Societatum quibus regiones missionales a S. Sede concreditae fuerint strictius definiantur praesertim de operariis mittendis pecuniisque donandis.

10. Utrum bonum sit in lucem edere editionem omnino novam Pontificalis et ei addere omnes caeremonias quae non inveniuntur in Pontificali, v. g. domus scholaris benedictio, etc., et etiam caeremoniae novae temporis Passionis.

11. Utrum melius sit si dies de praecepto restringantur ad omnes dies Dominicales tantum et alia festa de praecepto transferantur ad Dominicam proxime accedentem, exceptis diebus Nativitatis Domini eiusque Circumcisionis ratione temporis quo occurrunt cum facilius sit populo Catholico Missam audire istis diebus.

12. Utrum possibile sit prius Ordinariis loci omnes proclamationes S. Sedis mittere ut certiores sic reddantur priusquam eaedem promulgationes in ephemeridibus diurnis a Christifidelibus legantur.

✠ Ioannes H. M. Rodgers
Episcopus tit. Sbidensis
Vicarius Ap. Insularum Tonga et Niue

4

Exc.mi P. D. ALEXANDRI PONCET

Episcopi tit. Basilinipolitani, Vicarii Ap. Insularum Vallis et Futuna
(Wallis and Futuna Islands)

Lano, Insula Wallis, die 19 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Honori mihi duco Tuae Eminentiae acceptas die 11 augusti litteras diei 18 iunii 1959 (Prot. N. 1 C/59-1890) denuntiare. Ne fallam Summum Pontificem cognoscere cupientem Episcoporum opiniones de variis rebus tractandis in proximo Concilio Oecumenico, haec pro posse meo in tam longinquis insulis Oceani Pacifici degens, Suae Sanctitati humiliter submittam.

I. *Quaedam Doctrinae capita*

1. Desiderari mihi videtur de S. Scriptura hisce diebus interpretanda claras Ecclesiae sententias quae terminos definiant licitae Sacrorum Librorum interpretationis. Recentius enim passim a Catholicis scriptoribus eduntur discrepantia cum Commissionis de Re Biblica responsis annorum 1905-1914 effata sic asserta ut nullo modo videatur in dubio iam ea ponere posse.

Sic asserunt Pentateuchum scriptum esse multo post dies Moysi, cui vagus tantum tribuitur ortus traditionum quae in hoc libro inveniuntur. Sic etiam ab eis explanari videntur tria priora Libri Geneseos capita tamquam allegorias aut symbola ab auctore tantum proposita ad inculcandas quasdam praecipuas veritates religiosas, non autem ut vera historica, quamvis popularis, descriptio originis generis humani. Liber autem Isaiae ab eis diversis auctoribus tribuitur, et Psalmi plerique non Davidi, sed variis auctoribus recentioris aetatis.

Notari etiam potest recentior interpretatio Libri Danielis, quae partim saltem tollere videtur eius propheticum genus, illum tribuendo aliquo recentiori auctori temporis Antiochi Epiphanii.

Quamvis Ecclesia magnam libertatem exegetis iure relinquat ut scientifico modo investigent quae ad Libros Sacros pertinent, et in specie quodnam sit cuiusque eorum litterarum genus, ut verius appareat mens auctoris et genuina eorum interpretatio, saepe tamen eos monuit ut semper prudenter et caute in hoc laborent.

Unde videretur vere utile, ad anxietates tollendas eorum qui aliquo

modo S. Scripturam explanare debent, sive in seminariis, sive in scholis mediis aut elementaribus, sive in Catechismi scholis, sive tandem in sacra praedicatione, definire quid sentiendum sit de his novis interpretationibus, quae contradicunt, ut videtur, Commissionis de Re Biblica responsis, aut saltem praeviae in Ecclesia communiter receptae exegesi, sive de his ipsis responsis, num scilicet vim adhuc plene retineant an non.

2. *De aeterna infantium sine Baptismo decedentium conditione,* circa quam recenter orta est disputatio inter aliquos, utile quoque videretur aliquid ab Ecclesia definiri ne rursus tales oriantur disputationes, ita ut hac de re in tutum ponatur traditionalis Ecclesiae doctrina, et clarius, si possit, prodeat in lumen, necnon infinita Dei bonitas et universalitas Redemptionis in hoc etiam capite Catholicae doctrinae manifesta appareat, non obstantibus innumeris infantibus sine gratia baptismi decedentibus, sive in sinu matris, sive post eorum ortum, praesertim in regionibus paganorum, adhuc multo numerosiorum Christianis; et tandem ut parentes, praesertim pii fideles, occurrente tali alicuius filii decessu, genuinam habere possint consolationem.

3. *Naturam ignis inferni,* qui metaphorice videtur a quibusdam recenter intelligi, nonne tempus advenerit iuxta mentem Patrum et totius Traditionis tam multa Evangelii verba de hac re intelligentium ut verus corporeus ignis, vicinus, quamvis arcanae naturae, illi rei, scientifice quidem multiplici, quae tamen ab antiquis saeculis vulgo vocatur ignis, definiendi? Quae definitio verisimiliter arceret multorum tendentiam his diebus ad gravitatem secum minuendam peccati et eius poenarum, et ab eis cogitationem deflectendam.

II. *Quoad disciplinam cleri et Sacram Liturgiam*

1. Circa habitum ecclesiasticum pro regionibus ubi semper calor est et omnes plerumque aestuant, ut fit in hoc Vicariatu Apostolico, haec humiliter propono: ut aliquid statuatur quo rursus moneantur Clerici de religiosa gravitate quae eos decet, ita ut intelligant se non decere publice vestem talarem aut breviorem eis in sua regione legitime concessam exuere, saltem frequenter, etiam sub praetextu ferventis aëris, subuculam tantum servantes — quod clerici dignitati non videtur congruere — licite tamen, v. g. si aliter aestum ferre nequeant, hanc subuculam exuere, vestem clericalem, levissimam quidem et albi coloris super nudum pectus tunc induentes.

2. Ob eamdem rationem proponere etiam audeam ut in iisdem calidis regionibus sacerdotibus Missam celebrantibus, necnon ministris sacris ad altare servientibus, sufficiat induere levem casulam aut dalmati-

cam, vel tunicam super albam, sine amictu nec manipulo nec stola; et in Pontificalibus licitum sit ut episcopus casulam tantum, aut, si casus fert, pluviale super albam, sine ullo alio indumento, induat, mitra tamen utens et baculo pastorali iuxta rubricas; cappa vero magna ad libitum induat necne.

Omnia enim indumenta a rubricis praescripta, regionibus frigidis, aut saltem temperati caloris adaptata, et ibidem decursu saeculorum paulatim pro sacris functionibus recepta, absona apparent in tropicis regionibus, et vere molesta, abundantem sudorem generantia.

3. Quoad Sacram Liturgiam Ecclesiae Romanae, cuius reformatio est in cursu, humiliter etiam propono ut valde brevientur quaedam caeremoniae, nimium diuturnae, ut, v. g. consecratio ecclesiae, ne tam clerus quam populus hac diuturnitate obruetur, praesertim in regionibus fervidis; et etiam ut relinquatur Ordinario, pro sua prudentia, de quibusdam secundariis ritibus statuere, prout locus aut tempus fert, ut v. g. ritus genuflectendi aut standi pro fidelibus.

III. *De quibusdam cum Sacramento Ordinis et Ecclesiae constitutione connexis*

1. Utile videretur ut, iuxta Concilii Tridentini statutum (Sess. XXIII, cap. XVII), in ecclesiis paroecialibus, si populus frequens et ecclesiae proventus id ferre queunt, restituantur, quantum fieri poterit, functiones quattuor minorum Ordinum, a coniugatis etiam vitae probatae exercendae. Hoc peculiari utilitate videtur in Missionibus, ubi Catechistae ad hos Ordines promoveri possent, et sic congruentius praeesse quibusdam caeremoniis in locis ubi raro sacerdos adesse potest.

Si etiam diaconi coniugati ad servitium paroeciarum et Missionum ab Ecclesia rursum probari possent, multi verisimiliter sic ad hunc Ordinem promoverentur, et sic allevarentur sacerdotes, saepe nunc labore obruti, et saepe etiam incapaces sua officia plene exsequendi. Hi autem diaconi multa possent absolvere pro bono spirituali, aut etiam temporali, paroeciae aut Missionis.

Sic etiam melius appareret ratio huius Sacri Ordinis, institutionis quidem divinae, et iam ab ortu Ecclesiae exstantis.

Haec quaestio, recentius orta inter plures, opportune, ut videtur, disputationi Patrum Concilii submitti posset.

2. Nonne etiam haec tractari possent a Patribus Concilii? Nonne melius esset ut quaevis Missio tam diu tantum remaneat in statu Vicariatus Apostolici quam diu non habeatur sufficiens numerus fidelium? Ubi autem primum hic numerus habeatur erigatur ut dioecesis, etiamsi

adhuc desit clerus indigena, aut nondum afferri possint a fidelibus ipsis regionis necessaria subsidia?

Hic enim fuit antiquus usus pro Missionibus, et consentaneus videtur ipsi constitutioni Ecclesiae. Multi aliunde fideles ignorare videntur differentiam inter Vicarium Apostolicum et Episcopum residentialem, et de illo loquuntur tamquam de Episcopo proprio loci eius iurisdictionis. Insuper saepe difficile est, hanc differentiam explicare neophytis in eos docendo constitutionem Ecclesiae et episcopatus naturam.

Haec sunt quaedam meae memoriae occurrentia, quae cito Tuae Eminentiae et Suae Sanctitati submittere cupio, ut tuis litteris pro posse meo respondeam. Si tamen nulla navis huc appellat ante mensem septembris ad litteras auferendas mox in septembri per navem aëriam mittentur.

Velit Tua Eminentia meos summi obsequii sensus accipere, quibuscum me profiteor

Tuae Eminentiae Reverendissimae
humillimum servum in Domino

✠ ALEXANDER PONCET
Episcopus tit. Bisilinipolitanus
Vicarius Ap. Insularum Vallis et Futuna

5

EXC.MI P. D. GEORGII H. PEARCE

Episcopi tit. Attalensis in Pamphylia
Vicarii Ap. Insularum Samoa et Tokelau
(Samoa and Tokelau Islands)

Apia, W. Samoa, die 27 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Pro epistola vestra, nuper accepta gratias refero, et gaudeo eo quod etiam ego, in dissitis insulis curam pastoralem agens, Pontificiae Commissioni in Alma Urbe possum subvenire. Ideo, gravi nuntio vestro attente perlecto et pensato, divinoque auxilio humiliter implorato, audeo quaedam consilia dare circa res et argumenta, quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt. Sententias autem meas, ut reor, breviter proferre utilius est.

Primo mihi videtur opportunum esse ut tamquam divina et catholica fides definiatur Beatissimam Virginem Mariam, matrem unius Mediatoris Dei et hominum, esse omnium gratiarum Mediatricem.

Secundo, pro certo habemus Concilium novum supercertaturum esse, ut errantes ad unitatem verae Ecclesiae libere festinent. Faveant Patres, antequam grandem laborem illum aggrediantur, plenius exponere sensum huius axiomatis: « Extra Ecclesiam nulla salus »; praesertim sub luce Litterarum Encyclicarum *De Corpore Mystico* Pii XII, et Responsi Sancti Officii ad Archiepiscopum Bostoniensem remissi, occasione condemnationis cuiusdam sacerdotis eodem archidioecesi degentis.

Tertio, quantum refert ad regimen animarum iurisdictionemque episcoporum in diversis mundi plagis, valde desiderandum esse duco, ut Patres Conciliares totis viribus enitantur omnes leges et statuta Ecclesiae simplicioribus quamvis praecisis formulis exprimere. Leges quae ad fidelium institutionem pertinent, clarae, lucidae et eorum captui sint accommodatae; quod maxime ad quaestiones de matrimonio refert. De populis recenter Ecclesiae in Africa, Asia et Oceania aggregatis speciatim cogito; revera difficillimum est hodie illos doctrinam de matrimonio plene et facile docere.

Quarto, etiam spero Movimentum illud pastorale-liturgicum, quoad totum sum conspectum a Sacro Senatu pensatum iri. Memor traditionis, culturae, indolis et psychologiae gentium diversarum ad Occidentem et ad Orientem latentium, leges tutas ferat Concilium, ita ut ubique habeatur usus quidem limitatus linguae vernaculae una cum custodia linguarum antiquarum Ecclesiae.

Quinto, crescente iam numero fidelium, at penuria sacerdotum his locis semper obtinente, valde dolendum est quod multis fidelibus partes incolentibus dissitas desit auxilium spirituale, praesertim frequens sacratissimae Eucharistiae receptio. Nonne vero fieri possit ut ex coetu laicorum votis religionis obstrictorum eligantur quidam probatissimi ad Ordinem Diaconatus recipiendum; vel saltem delegentur ad sacram Communionem distribuendam diebus sollemnioribus quando magnae fidelium turbae ad Dominicam coenam maxime concurrunt. Concedo illos catechistas indigenas aliquod adiutorium nobis inferre, quoad instructionem, sed eorum efficacitas valde restringitur. Consentanea porro non videtur illa sententia, recenter proposita, quae favet catechistas, vel alios matrimonio ligatos ad Diaconatum elevari.

In proponendo haec consilia, nihil aliud studeo quam gloriam Dei et honorem Beatissimae Virginis promovere, et animas in viam salutis deducere. Velim, per Eminentiam Vestram, Sanctitati Suae summum obsequium et summam reverentiam praestare. Sedem Apostolicam, tamquam unitatis Catholicae centrum, omnisque iuris et auctoritatis in Ecclesia fontem, atque propugnaculum a Deo positum contra omnes errores et omnia schismata invictum confiteor et revereor, illique ex totis viri-

bus semper et ubique et in omnibus me adhaesurum promitto. Quam observantiam ac oboedientiam verbo et exemplo praedicabo, et ab omnibus subditis diligentissime curabo observari.

Eminentiae Vestrae addictissimus
✠ GEORGIUS H. PEARCE
Episcopus tit. Attalensis in Pamphylia
Vicarius Ap. Insularum Samoa et Tokelau

6

EXC.MI P. D. IOSEPHI F. BLANC
Episcopi tit. Dibonensis

E Maofanga Insularum Tonga, 1 septembris 1959

Eminentissime Domine,

Haec sunt animadversiones, consilia et vota quae in futuro Concilio tractari poterunt, si Eminentiae Tuae non videntur inania.

I. Faveant Concilii Patres perpendere, si non advenerit tempus de *Fide* declarare hanc sententiam quae tenet essentiam Sacrificii Missae consistere in sacramentali immolatione oblata a Christo Sacerdote principali.

(Mihi videtur haec ignorantia esse causa omissionis culpabilis sacrificii Missae, die dominica, a parte multorum).

II. Caveant Patres Concilii ne negligenter detur catechismus in scholis catholicis et in paroeciis, eo quod, in pluribus nationibus, doctrina catholica non pertinet ad publica certamina et concursus, facile deseritur et pro nihilo habetur.

III. Vetantur clerici assistere ad omnes chorearum celebritates etiamsi choreae caritatis vocentur. Doceant vero fideles ad dandas secreto et humiliter eleemosynas suas ut ad perfectionem sine impedimento currant et Ecclesiam aedificent.

IV. Moneantur clerici de natura horarum canonicarum quae sunt preces vocales et vocaliter dici debent: non sufficit eas oculis prosequi tantum, sicut ephemerides leguntur.

Missionibus tantum:

a) saltem in missionibus utilior mihi videtur suppressio externae sollemnitatis festi occurrentis in hebdomada quam eius externa sollemnitas in sequenti Dominica.

b) Caveant Concilii Patres ut lingua vernacula adhibeatur ad doctrinam catholicam docendam et ad preces sicut edictum fuit a Benedicto XV (*Maximum illud*) et ut haec obligatio sit semper praesens et gravis in mentibus Vicariorum Apostolicorum.

c) Moneantur Missionarii apud infideles ne primum eorum officium, id est, curam animarum ad Deum convertendarum, deserant propter studium immoderatum aedificandi domus, scholas, ecclesias etc., aut quod deterius esset, propter diligentiam depravatam ad varia ludorum genera corpori excitando (quae sports vocantur).

d) Ne introducant mores et usus patriae eorum sed se accommodent ad mores et usus loci in quantum non contradicunt fidem et christianam moralitatem.

e) Ut se abstineant ab esu carnium, in singulis sextis feriis etiamsi indultum generale habent propter penuriam carnis in loco existentem, si ipsi facile habere possunt quotidie.

f) Moneantur Vicarii Apostolici religiosi ut Societatem religiosam in qua vota emiserunt, etiam post eorum elevationem ad episcopatum, diligant, et regulam et spiritum eius in quantum possunt servent et sic missionariis suis exemplo sint.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Eminentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
add.mus

✠ IOSEPH F. BLANC
Episcopus tit. Dibonensis

INDEX

AMERICA MERIDIONALIS

AEQUATOR

ARGENTINA

PAGG.

BOLIVIA

BRASILIA

CHILE

COLUMBIA

GUAIANA

PARAGUAY

PERUVIA

URUGUAY

VENEZUELA

OCEANIA

AUSTRALIA

MELANESIA

MICRONESIA

NOVA GUINEA
ET ARCHIPELAGUS BISMARCK

NOVA ZELANDIA

POLYNESIA